31 £200 £.50.8.11

H

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
50 D
11

Digitized by Google

A VII c. 68 f 2

B.IV.16

Digitized by Google

Digitized by Google

f. 50. D. 11

APOCALYPSIS BEATI JOANNIS APOSTOLI EXPLANATIO HISTORICA

Authore DANIELE HERVE'O Nannetenſi, Oratorii Jeſu Chriſti Domini noſtri Presbytero.

Beatus, qui legit, & audit verba prophetiæ hujus; & ſervat ea, quæ in eâ ſcripta ſunt. Apoc. 1. v. 3.

NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT.



Pertinet ad Bibliothecam S. Franc. Transtiberim anno 1706

LVGDVNI,
Sumptibus PETRI BORDE, JOANNIS, & PETRI ARNAUD.

M. DC. LXXXIV.

CUM APPROBATIONE, ET PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO
ET AB OMNIBUS
CHRISTIANIS
OBSERVANDISSIMO
PAPÆ
INNOCENTIO XI.

BEATISSIME PATER,

INNOCENTIO XI. Sanctiorum Præ-
deceſſorum ſuorum virtutibus omnibus ornato, ad Philip. 3. v. 20.
cujus *converſatio in cœlis eſt*, Joannem inter

ã 2 Apoſto

Digitized by Google

Apoſtolos ſingulari præditum innocentiâ, & ad cœleſtia contuenda Divino raptum Spiritu, offero.

Tantus ſanè Apoſtolus, Evangeliſta, & Propheta, Eccleſiæ Romanæ, quam SANCTITAS VESTRA piè, ac ſanctè regit, decus eſt perinſigne. Etſi enim

Tertul. de præſcript. c. 36. *Petrus, & Paulus Romæ totam doctrinam cum ſanguine ſuo profuderint:* tamen *Joannes* Epheſo Romam vinctus perductus eſt; *& ante Portam Latinam in oleum igneum demerſus, ac nihil paſſus*, illuſtre teſtimonium reddidit Salvatori.

Veſtra quoque, BEATISSIME PATER, Lateranenſis Eccleſia, non tantùm Joannem Baptiſtam, quo *nemo major inter natos mulierum ſurrexit Propheta*; ſed & Dilectum Chriſti Diſcipulum tanquam Patronum colit.

Matth. 11. verſ. 11. Luc. 7. v. 28.

Plurima etiam, quæ revelata ſibi à Domino Joannes Româ Pathmoſam in inſulam relegatus protulit, ad urbem Romam, ſuperſtitionis primùm ethnicæ, ac dein Religionis Chriſtianæ caput, referuntur.

Nulla verò eſt Sacræ Scripturæ interpretatio, quæ non debeat judicio VESTRÆ SANCTITATIS ſubjici, cùm *Eccleſia*, cui VESTRA BEATITUDO præeſt, *ſit columna, & firmamentum veritatis.*

1. ad Timoth. 3. v. 15.

His ego rationibus adductus, BEATISSIME PATER, Explanationem Apocalypſis Hiſtoricam qualemcumque meam, ex ſacris literis, Patribus, & Hiſtoriographis, tùm Eccleſiaſticis, tùm Gentilibus depromptam, pedibus VESTRÆ SANCTITATIS advolutus, ſiſto: ſi quid in eo ſit opere, quod

quod vel tantiſper Beatitudini Vestræ diſpliceat, paratiſſimus emendare, & in omnibus ſententiam veſtram ſequi.

Is certè mihi animus eſt, cùm arctiſſimè teneam fidem Petri, cujus in Cathedrâ ſedetis; & *quem vitâ, & converſatione veſtrâ nobis Divino munere redditum credimus.* Quippe non ſecùs ac Petrus Romæ oratione ſuâ Simonem Magum dejecit; ejuſque præſtigias Fidei Chriſtianæ infenſas diſſipavit: ita Sanctitas Vestra ſuarum virtute precum, ingentem, & Chriſtianis regionibus formidoloſum Pſeudo-prophetæ Mahumetis exercitum, partim proſtravit Viennæ, partim ab eâ urbe procul fugavit.

Ep. Epiſcop. Metrop. Arelat. ad S. Leon. quæ eſt 108. inter ep. S. Leonis.

An. 1683. 12. Septemb.

Hinc ablatum illud, quod Summus Imperii Turcici Præfectus præ ſe ferebat, vexillum ad Vestram Sanctitatem, Beatissime Pater, protinùs delatum eſt, tanquam Petri, & Vestræ Pietatis trophæum: illo autem appenſo in Eccleſiâ Principis Apoſtolorum ſub Vestro Pontificatu, nemo non *videt opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, arcum* Turcarum *conterens, & confringens arma*, ſolemnem ad Innocentii XI. *orationem, de carne pudicâ, de animâ innocenti, & de Spiritu ſancto profectam.*

Pſal. 45. v. 9. 10.

Tertul. Apol. c. 30.

Quin etiam, ut mihi quidem non abs re ſuadeo, fideles ex toto orbe Romam confluentes, cùm perſpexerint, & ſibi mutuò magnâ fidei ſuæ, & devotionis alacritate ſignum illud ſuperbiæ Turcicæ oſtenderint, dicent, ſic *ſancta oratio om-*

S. Maxim. Ep.

Taurin. hom. 5. in nat. Ap. Petri, & Pauli.

nem humiliat ſuperbiam; univerſam dejicit vanitatem.

Quidni, BEATISSIME PATER, SANCTITATIS VESTRÆ oratio ſuperbiam Turcicam dejiceret, cùm tantæ humilitati eſſet ſociata, ut VESTRI PONTIFICATUS ſumma dignitas, verbis Gregorii Magni, dici queat *humilitatis magiſterium?* Nec enim in tanto PONTIFICE inceſſus, menſa, ſupellex, domus, curia, habitus mentis, & corporis, ac totius vitæ tenor, quicquam aliud præter humilitatem ſpirat, exhibet, commendat.

Gregor. Magn. Paſtoralis prologo.

Tam ſanctæ orationi robur addidit larga SANCTITATIS VESTRÆ eleemoſyna. Siquidem novit SANCTITAS VESTRA cum ſancto Leone, *quantum eleemoſynarum meritum, & quanta ſit virtus. Paſtorali* etiam *hortatu prædicavit, ut,* potiſſimùm ſibi pietate, & dignitate conjuncti, EMINENTISSIMI CARDINALES, *in opere miſericordiæ ſtuderent eſſe devoti: quod etiamſi nunquam ab illorum Sanctitate negligitur; nunc tamen promptiùs, & impenſiùs* ab illis *eſſet exequendum: quoniam immundi ſpiritus quantùm de* Infidelium Turcarum *errore*, & adverſùs ſanctam Eccleſiam *furore lætantur, tantùm veræ religionis obſervantiâ atteruntur; & augmenta juſtitiæ urunt impietatis authorem.*

S. Leo. ſer. 1. de collectis.

Serm. 2. de collectis.

Serm. 3. de collectis.

Sed *facilis ad exhortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum: Validiora tamen ſunt*

S. Leo. ſerm. in feſto S. Laurent.

exempla

Digitized by Google

exempla quàm verba; & plenius eſt opere docere quàm voce.

Adhortatus es igitur verbo, & exemplo, BEATISSIME PATER, ut in auxilium Eccleſiæ, à Turcis oppugnatæ, pecunias conferrent; ac Ipſe primus omnium copioſiſſimè contuliſti.

Paternam VESTRÆ SANCTITATIS charitatem eâ propenſione animi ſectati ſunt EMINENTISSIMI CARDINALES, ut INNOCENTIO XI. aſtantes, ſuarum, & Eccleſiæ facultatum largitione, Sanctum Laurentium, beato Xiſto miniſtrantem, & theſauros Eccleſiæ impartientem, palam omnibus in ſeſe commonſtraverint.

Felix, tantæ Sanctitatis PONTIFICE, & tantâ pietate conſpicuis CARDINALIBUS, Eccleſia Romana! Numquid non poſt victoriam, eximiis illorum virtutibus, & plurimis pecuniis ſanctè collatis, tanquam belli ſacri fortiſſimis nervis, reportatam de Infidelibus numeroſiſſimis, ac potentiſſimis, quiſquis Vexillum Turcicum, cujus inſigne eſt Luna, viderit expanſum ſub fornice Eccleſiæ Vaticanæ, exclamabit poſt Joannem in Apocalypſi? *Signum magnum apparuit in Cœlo: Mulier*, Eccleſia Chriſti ſponſa, *amicta Sole* juſtitiæ; *& Luna ſub pedibus ejus!* Apoc. 12. v. 1.

Sic, BEATISSIME PATER, *efficaciſſima fuit* VESTRÆ SANCTITATIS *deprecatio in eleemoſynis*, cæteriſque veſtris virtutibus; *& velociter* S. Leo. ſerm. 5. de jejun. & de eleemoſynis.

lociter ad divinas conſcendit aures talibus oratio elevata ſuffragiis.

Tanti PONTIFICIS tàm potentes apud Deum preces quis hominum ſuæ conſulentium ſaluti non ambiat, & benedictionem non efflagitet? Eas ego cum Congregatione Petri S. R. E. Cardinalis Berulli, quæ VESTRÆ SANCTITATI, & SANCTÆ SEDI devotiſſimè famulatur, ſupplex depoſco, ut mihi, & toti eidem Congregationi, juxta ipſiuſmet Inſtitutoris voluntatem primariam, ac præcipuam, *Chriſtus ſit vivere, quò totum proficiat Chriſti Eccleſiis, quod vivimus,*

S. Maxim. homil. 1. in nat. Ap. Petri, & Pauli.

BEATISSIME PATER,

SANCTITATIS VESTRÆ

Humillimus, & obſequentiſſimus Servus
DANIEL HERVEUS, Oratorii
Jeſu Chriſti Domini noſtri Presbyter.

IN EXPLANATIONEM

APOCALYPSIS

HISTORICAM

DANIELIS HERVEI,

Oratorii Domini noſtri Jeſu Chriſti Presbyteri

PRÆFATIO.

VT *minus ſapiens dico*, quamvis verè, & ad gloriam illius, *qui factus eſt nobis ſapientia à Deo.* (2. ad Corinth. 11. v. 23. — 1. ad Corinth. 1. v. 30.)

Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto, cùm Veſontione, Comitatus Burgundiæ Metropoli, Nancœyum in Lotharingiâ proficiſcens, ac indè remeans, hebdomadâ quartâ poſt feſtum Paſchæ, meditarer ſuper Apocalypſim, quæ tùm in officio Romano legitur, animum ſubiit cogitatio explicandi admirabilem illam, & divinam revelationem.

Reluctabar huic cogitationi multis de cauſis: ſed tandem menti meæ lux affulſit, cùm his verbis Ezechielis, *ubi erat impetus ſpiritus, illuc gradiebantur.* (Ezech. 1. v. 12.) Protinùs acquievi; & ſtatim atque Veſontionem reverſus ſum, accinxi me ad opus, quod mihi à Deo inſpiratum arbitrabar.

Difficultas operis, & ſublimitas exegit, ut myſteria, eo

Digitized by Google

in libro ſacro rcondita, Latino idiomate explicarem, præſertim cùm oporteret me perſæpe Sacram Scripturam, necnon Authores Eccleſiaſticos, & hiſtoriæ Auguſtæ, alioſve Scriptores referre. Præterea conſentaneum judicavi, ut, quia *Sanctus Ioannes Apocalypſim acceperat, poſtquàm in ferventis olei dolium miſſus fuerat Romæ ante Portam Latinam*, Romanâ quoque, & Latinâ linguâ ſenſus tanti Apoſtoli, Martyris, & Prophetæ, utcumque poſſem, Deo dante, aperirem.

Tertull. de præſcript. c.36. Offic. Rom.

Quis verò ad hæc explananda idoneus; cùm ſanctus Hieronymus, *in exponendis ſacris Scripturis Doctor maximus*, teſtetur, *quot Apocalypſis verba, tot eſſe Sacramenta*; ab iiſque explicandis abſtinuerit?

Offic. Rom. S. Hieron. Ep. Paulino.

Ante ipſum etiam Dionyſius Alexandrinus, magnæ eruditionis, & ſanctitatis vir, de eâdem Apocalypſi loquens, inquit: *Iudico quòd excedant, atque emineant quæ in eo libro ſcripta ſunt, humanæ eruditionis modum, & ſit in eo arcanus quidam, & reconditus, atque admirandus omnibus ſenſus, quem & ego admiror, ac veneror, etiamſi non intelligo. Et ita ſentio, quòd Divina aliqua Sacramenta ſermonibus contegantur humanis, non tàm judicio meo diſcernens, quàm fide credens; & ideò non reprobo, quæ non intelligo; ſed tantò magìs admiror, quantò minùs aſſequor.* Hæc ille mirabili pietate, & humilitate.

Ruffinus hiſtor. lib.7. c.23.

Quid igitur ego eloquar? Silendum profectò mihi eſſet, niſi Deus, qui, cùm vult, *quæ ſtulta ſunt mundi, eligit*, juberet me, quantùm mihi videtur, loqui, quamvis *ſtultiſſimus ſim virorum; & ſapientia hominum non ſit mecum.* Loquar ergo Domino jubente, & benedicente: atque utinam *non adulterem Verbum Dei; ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquar!*

1. ad Corinth. 1. v. 27. Proverb. 30. v. 2. 2. ad Cor. 2. v. 17.

Omnis ſcriba doctus in Regno Cælorum, inquit Verbum Incarnatum, *ſimilis eſt homini Patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova, & vetera.* Hanc ego Magiſtri unius Chriſti Domini ſententiam ſecutus, veteris Legis, & antiquorum Prophetarum oracula conſulo, ut novam, & admirabilem Apocalypſis Prophetiam, prout Deus dederit, explicem.

Matt. 13. v. 52.

At

At, *quod in nomine Domini Propheta prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus*, ait Moyſes: unde inferendum cenſeo è contrà, quod Propheta prædixerit, & evenerit, hoc à Domino prolatum eſſe. Quamobrem ſcitè pronuntiat Tertullianus, *Probatio Divinitatis eſt veritas Divinationis*: & Angelus Ioanni inquit, *Teſtimonium Jeſu eſt ſpiritus prophetiæ.* Ipſe quoque Ioannes teſtatur Apocalypſim ſibi datam eſſe *eorum, quæ oportet fieri citò.* Deuter. 18. v. 21. Tertul. in Apolog. Apoc. 19. v. 10. Apoc. 1. v. 1.

Itaque ex multis effectibus miris, qui juxta Divinam Providentiam cuncta diſponentem, ſexdecim ſæculis ab Apocalypſi datâ propemodùm elapſis evenerunt, arbitror eamdem Apocalypſim, uſque ad medium capitis vigeſimi, congruè, ac veraciter explicari poſſe; maximè ſi liquidò pateat effectus illos verbis ejuſdem Apocalypſis apprimè conſentire.

Sentiant aliter, qui voluerint; & Apocalypſim interpretantes, futura ſibi ad libitum exhibeant: Ego, ut divinantis ingenium non mihi arrogo; ita neque ex Apocalypſi, quæ futura ſint, ad arbitrium animi mei præſumo prædicere: ſed Apocalypſim, quantùm mihi fas eſt, attendens, ea, quæ ſecundùm illius prophetiam evenerint, ex probatis variorum temporum Hiſtoriographis aſſerere utcumque audeo.

Nec miror Dionyſium Alexandrinum, doctum æquè ac ſanctum, modeſtiâ veraci ingenuè faſſum eſſe, ſe plurima, quæ eo Apocalypſis libro continentur, arcana non intelligere. Ecquis enim futura, præter naturæ rerum ordinem eventura, plurimis etiam figuris perobſcuris adumbrata, & phraſi perpetuò allegoricâ deſcripta percipere queat, niſi vel poſtmodùm videat eventus, quorum perſpicuitas omnem, quæ in iis erat prædictionibus, obſcuritatem pellat; vel ab ipſomet Prophetâ, qui prædictiones illas ſtylo, ad humilitatem, & pietatem fidelium exercendam, abſtruſo recondidit, fuerit aliquatenùs eruditus?

Ad hæc, notatu dignum duco, Chriſtum *non veniſſe ſolvere legem, aut Prophetas, ſed adimplere.* Quamdiu autem *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus*, complevit ea, quæ vitam ejus paſſibilem ſpectabant. Reſurgens verò, & aſcendens in Cœlum, implevit ea, quæ ad gloriam illius attinebant. Matth. 5. v. 17. Baruch 3. v. 38.

Reſtabant ex lege, & Prophetis plurima, quæ Judæorum, & Gentium converſionem præſignificaverant; eaque Apoſtolorum ſuorum miniſterio perfecit.

Reprobandi poſteà erant ex Judæis ii, qui obſtinato animo ſeſe Evangelio opponerent; necnon ipſa Jeruſalem, in quâ Salvator ab iniquis, & impiis crucifixus fuit, erat funditùs ſubvertenda: quod & factum eſt juſto Dei judicio.

Supererant multa, ſubſequentibus ſæculis futura, quæ figuris legalibus, Prophetarumve oraculis, antiqui quoque Populi Dei geſtis, ac paſſionibus fuerant juxta mentem Divinæ ſapientiæ mirabiliter præſignificata. Ea verò, & multa alia, necdùm prænuntiata, magni ad Eccleſiam momenti futura, amantiſſimus Magiſter Diſcipulo, quem præ cæteris diligebat, eo tempore, quo ſolus ex Apoſtolis ſupererat, diſtinctè revelavit; & quidem verbis, ac ſignis ænigmaticis, quæ veteris Teſtamenti Scripturis reſponderent, ut conſonantia novæ Prophetiæ cum antiquâ eluceret; interim au-
Matth.7. tem myſterium Dei lateret infideles; *nec daretur ſanctum*
v.6. *canibus, nè fortè dirumperent*, ac magis, magiſque vexarent pios, innocuoſve Dei cultores Chriſtianos.

Eæ mihi videntur cauſæ revelationis à Chriſto factæ beato Ioanni; & eæ rationes ſtyli Apocalypſis ænigmatici, ac perobſcuri.

Verùm explicationem ſacrorum illorum ænigmatum ag-
Pſal.138. grediens, dixi, *Forſitan tenebræ* illæ ſacræ peccatorem, & im-
v.11. peritum *conculcabunt me*. Attamen in Domino meo profe-
Ioan.8. rente hoc oraculum, *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris,*
v.12. *ſed habebit lumen vitæ*, confiſus addidi: *Et nox illa* futura eſt
Pſal.138. *illuminatio mea in deliciis meis, quia tenebræ non obſcurabuntur*
v.11.12. *à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

Offic. Subjunxi perſæpè hanc orationem, *Eccleſiam tuam, Domine,*
Rom in *benignus illuſtra, ut beati Ioannis Apoſtoli tui, & Evangeliſtæ*
feſto S. *illuminata doctrinis, ad dona perveniat ſempiterna.*
Joannis.
Luc.1. Beatiſſimæ Virginis, cujus, ſecundùm plurimos Authores,
v.43. nomen Illuminatricem illam ſignificat, quæque Chriſti Do-
Joan.19. mini, & Ioannis, licèt variè, Mater eſt, opem enixè poſtu-
v.27. lavi; nec eam mihi defuiſſe puto.

Sancto

Digitized by Google

Sanctorum etiam Angelorum, quorum in Apocalypſi frequens habetur mentio, præſidium quæſivi; & ab iis adjutum me apud Deum non ambigo.

Super hæc autem omnia, tùm Miſſam celebrans, tùm in gratiarum actione poſt Miſſam, Chriſtum Dominum invocavi; & nimiùm ingratus ſim, niſi coram ipſo profitear me præſentiſſimum illius in graviſſimis, quæ occurrebant, difficultatibus auxilium perſenſiſſe. Memor illius effati, *ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, rogabam Patrem *luminum* per ipſummet Chriſtum, qui *ſplendor ejus eſt*; & aliquantò poſt mihi videbar, quod poſtulaveram, obtinere. Joan. 16. v. 23. Jac. 1. v. 17. ad Hebr. 1. v. 3.

Niſi id ita ſit, fallor plurimùm; ac re ipsâ falli me poſſe non diffiteor: ſed ſicuti officii mei eſt, ut fatear, *petenti mihi*, licèt indigno, *largiter Dominum dediſſe*; ita è re meâ eſt, ut multa, quæ admiſi peccata, *ab eodem Domino*, & Salvatore *clementer ignoſci*, plurimùm expoſcam. S. Aug. lib. de Spirit. & lit. ſub finem.

Quocirca etiam, cùm amantiſſimus Magiſter dixerit, *Dimittite, & dimittemini*, nè ipſe ulli anſam iniquam præberem redarguendi me, neminem quoque explanationibus meis arbitratus ſum arguendum: Præterquàm quòd ipſa per ſe veritas cuique abundè queat ſufficere; eamque mihi unicè indagandam, & aliis exponendam propoſuerim. Luc. 6. verſ. 37.

Heterodoxorum quidem interpretationes pravas lugeo; & utinam ad veritatem Catholicam, à quâ patres illorum infeliciter defecere, ipſi feliciter, ac quàm primùm redeant!

Orthodoxorum verò pias explicationes ſuſpicio; eorumque authores veneror.

Cunctos autem, hos, & illos, eo charitatis ordine, quem mihi præcipit Dominus, velim ſincerè diligere.

Verùm liceat mihi de Apocalypſi ſancti Ioannis id, quod ſanctus Auguſtinus de epiſtolâ tanti Apoſtoli pronuntiavit, effari: *Si quo alio modo tanti Sacramenti profunditas, quæ in Apocalypſi Ioannis legitur, exponi & intelligi poteſt ſecundùm Catholicam fidem, nullâ ratione reſpuendum eſt; quod enim ad exercendas mentes fidelium in Scripturis ſanctis obſcurè ponitur, gratulandum eſt, ſi multis modis, non tamen inſipienter, exponatur.* S. Aug. lib. 3. cōtra Maximum Arianor. Epiſcop.

At meæ non immemor tenuitatis, etiam atque etiam omnes, tùm Orthodoxos, tùm heterodoxos rogo, ut ſi quid

Digitized by Google

boni eâ in explanatione meâ ſacri illius libri perceperint, id
Offic. Rom. in Deum, *à quo bona cuncta procedunt*, grato animo excipiant: quicquid verò mali juſtè animadverterint, tanquam ab homine prolatum, pro ſuâ benignitate, & humanitate excuſent, ac corrigant.

Porrò illas omnes Apocalypſis explanationes qualeſcumque meas judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubjicio; fateorque ex illis rationibus, quæ me, tametſi quinquageſimum ſeptimum annum à duobus menſibus agentem, ad peregrinandum pedibus Romam anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, menſe Octobri, impulerunt, præcipuam fuiſſe, ut hoc opus commendarem beatiſſimis Apoſtolis: certè enim timebam, nè tantiſper aberrarem à vero in rebus tàm ſacris, & abditis; eſſemque falſus teſtis, & interpres Apocalypſis Apoſtoli illius, qui Romæ *teſtimonium*
Apoc.1. v.2. inſigne *perhibuit Verbo Dei.* Quare intercedentibus ſanctiſſimis, ac veraciſſimis Apoſtolis, rogabam cum humili, & ſan-
S. Aug. Confeſſ. l.11. c.2. cto Doctore Auguſtino Deum verum, ac ſanctum, ut *eſſent caſtæ deliciæ meæ ſacræ Scripturæ; nec fallerer in eis; nec fallerem ex eis.*

Ad Eph. 3.v.20. 21. *Ei autem, qui potens eſt omnia facere ſuperabundanter, quàm petimus, aut intelligimus, ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis: Ipſi gloria in Eccleſiâ, & in Chriſto Ieſu, in omnes generationes ſæculi ſæculorum. Amen.*

Hanc Præfationem anno ſequenti peregrinationis meæ Romanæ ſcribebam Veſontione in die octavâ feſti Sanctorum Petri, & Pauli: quod non dicerem, niſi vellem bea-
AdRom. 11.v.36. tiſſimis Apoſtolis, ac primùm Deo, *ex quo, per quem, & in quo omnia*, publicas, & ſolemnes gratias referre.

APPROBA

Digitized by Google

APPROBATIO DOCTORUM Facultatis Pariſienſis.

LEGI Manuſcriptum, cui titulus eſt, *Apocalypſis B. Joannis Apoſtoli Explanatio Hiſtorica*, *Authore* DANIELE HERVE'O, *Nannetenſi Oratorii JESU CHRISTI Domini noſtri Presbytero.* In Sorbona die 6. Auguſti 1683.

PIROT.

SUMMA PRIVILEGII REGIS Chriſtianiſſimi.

LUDOVICUS XIV. Dei gratiâ Galliarum & Navarræ Rex Chriſtianiſſimus, ſingulari Privilegio ſanxit, ne quis per univerſos Regni ſui fines, intra ſex annos à die hujus impreſſionis finitæ computandos imprimat, ſeu typis excudendum curet & venalem habeat librum qui inſcribitur, *Apocalypſis B. Joannis Apoſtoli Explanatio Hiſtorica*, *Authore* DANIELE HERVE'O, *Nannetenſi Congreg. Oratorii D.I. Preſbytero*, præter PETRUM BORDE, & Socios IOANNEM, & PETRUM ARNAUD, Bibliopolas Lugdunenſes, aut illos quibus ipſimet conceſſerint. Prohibuit inſuper eâdem authoritate Regiâ omnibus ſuis ſubditis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam ubicumque fuerit, ad id

agendum

agendum impellere ac inſtigare, ſine conſenſu dictorum PETRI BORDE, & ARNAUD. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis contra delinquentes expreſſis, uti latiùs in Litteris datis apud Fontem Bellaqueum 21. Auguſti 1683.

Ex mandato Regis,

Signatum DESVIEUX.

Peracta eſt hæc impreſſio die 29. Ianuarii 1684.

Licentia Reverendiſſimi Patris Generalis Congreg. Oratorii Domini noſtri JESU-CHRISTI.

NOS ABEL LUDOVICUS DE SAINTE MARTHE, Congr. Oratorii JESU CHRISTI Domini noſtri Preſbyter & Generalis Præpoſitus: juxta Regium diploma datum 12. Decembr. 1672. quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ejuſdem Congregationis imprimant, & venales exponant citra licentiam noſtram: Viſis Doctorum approbatione & diplomate Regio; Permittimus PETRO BORDE, JOANNI & PETRO ARNAUD Lugdunenſibus Bibliopolis, ut librum cui titulus, *Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli Explanatio Hiſtorica, Authore* DANIELE HERVE'O, *Nannetenſi Congreg. Oratorii D. I. Presbytero*, typis edere, ac liberè divendere poſſint. Dat. in Prioratu S. Pauli, 15. Septemb. 1683.

A. L. DE SAINTE MARTHE.

EXPLANA

Digitized by Google

EXPLANATIONVM
APOCALYPSIS BEATI JOANNIS Apoſtoli Hiſtoricarum

ARGVMENTA.

CAP. I. EXPLANATIO I. *Tituli Apocalypſis, tribus primis verſibus Capitis I.* pag. 1

Explanatio II. *Precationis Ioannis pro illis Eccleſiis, quibus ſcribit, à quarto ad ſextum verſum Capitis I.* 6

Explanatio III. *Septimi, & octavi verſus Capitis I. de Chriſto Iudice.* 11

Explanatio IV. *Referens à nono ad duodecimum verſum Capitis I. quo loco, tempore, & modo tradita ſit Apocalypſis Sancto Ioanni.* 15

Explanatio V. *Prima viſionis de Chriſto tanquam ſummo Sacerdote, à decimo tertio ad decimum ſextum verſum Capitis I.* 19

Explanatio VI. *In Capitis I. quatuor ultimos verſus, quibus Chriſtus Ioannem, ejus aſpectu Cœleſti territum, proſtratumque confirmat, erigit, & docet.* 28

CAP. II. Explanatio VII. *Referens ad Oneſimum Epiſcopum Epheſinum ſeptem primos verſus Capitis II.* 36

Explanatio VIII. *Verborum Chriſti ad Smyrnenſem Epiſcopum, ab octavo ad undecimum verſum Capitis II. de Sancto Polycarpo.* 46

Explanatio IX. *Ea, quæ ſcribuntur Epiſcopo Pergami, à duodecimo ad decimum ſeptimum verſum Capitis II. interpretans de confeſſione illius Præſulis; de Martyrio Antipæ; & de criminibus Gnoſticorum, propter quæ falsò accuſati Attalus Pergamenus, aliique Sancti Martyres Lugduni miro modo paſſi ſunt.* 54

Explanatio X. *Scripta Epiſcopo Thyatiræ, à decimo octavo verſu, ad finem Capitis II. exponens, tùm de Carpo Thyatirenſi Præſule, & Martyre, tùm de Marcellinâ Muliere Gnoſticâ, aliiſque juxtà hiſtoriam.* 61

CAP. III. Explanatio XI. *Sex primorum verſuum Capitis III. de Melitone Eccleſiæ Sardenſis Epiſcopo.* 73

Explanatio XII. *Quà de Philadelphienorum Epiſcopo illo, quem*

Sanctus Ignatius epiſtolâ ad Philadelphienſes laudavit, explicantur verba Beati Ioannis à ſeptimo ad decimum tertium verſum Capitis III. 83

Explanatio XIII. *Referens ad Sagarim Laodiceæ Epiſcopum ea, quæ Sanctus Ioannes ejuſdem Eccleſiæ Præſuli ſcribit, à decimo quarto verſu ad finem Capitis III.* 93

CAP. IV. Explanatio XIV. *Quinque primorum verſuum Capitis IV. de Chriſto viſo, tanquàm ſummo Pontifice, Rege, Iudice, & Deo, quem Sancti ſub formâ viginti quatuor Seniorum, veluti Sacerdotum, circumambiebant; cuique aſtabant Angeli ſeptem lampadibus ardentibus deſignati.* 106

Explanatio XV. *Exponens ſub ſpecie maris vitrei & cryſtallini munditiem, quam Chriſtus veluti Pontifex miniſtris ſuis præbet; ac virtutes Sanctorum in cælis miniſtrantium illi; & hymnum, quem ejus ſanctitati decantant ſub figurâ quatuor Animalium, quibus officia Levitarum quondam in Tabernaculo, & Templo deſervientium exhibentur, à ſexto verſu ad octavum Capitis IV.* 113

Explanatio XVI. *Exhibens adorationes, laudes, gratiarum actiones, & oblationes, quas ſancti ſub ſymbolo viginti quatuor Seniorum referunt Chriſto, tribus ultimis verſibus Capitis IV.* 124

CAP. V. Explanatio XVII. *Septem primorum verſuum Capitis V. de libro ſeptem ſigillis ſignato, qui viſus eſt in dexterâ Chriſti; quemve ille ſolus aperire dignus fuit.* 128

Explanatio XVIII. *Adorationis, & laudis, quæ à quatuor Animalibus Myſticis cum citharis, & à viginti quatuor Senioribus cum phialis thymiamatum, redditur Chriſto Redemptori ſub ſpecie agni, quòd librum ſeptem ſigillis obſignatum aperturus acceperit, ab octavo ad decimum verſum Capitis V.* 134

Explanatio XIX. *De laude, quæ tribuitur ab Angelis Chriſto tanquàm Agno Dei pro hominibus immolato, ex verſu undecimo, & duodecimo Capitis V.* 139

Explanatio XX. *Laudis, quæ redditur ab omnibus Creaturis Chriſto; aſſenſus quatuor Animalium Myſticorum in illam laudem; & adorationis profundæ viginti quatuor Seniorum erga eumdem Dominum, duobus ultimis verſibus Capitis V.* 142

CAP. VI. Explanatio XXI. *Quæ duobus primis verſibus Capitis VI. primi ſigilli libri cæleſtis reſignatio, inſidentem equo albo, habentem arcum, & coronam, ac vincentem exhibens, explicatur de inſigni victoriâ ab Agarenis mirabiliter reportatâ, ſub ſpecie arcus inſoliti, aliorumque ſupernorum portentorum, adversùs equitatum, & exercitum Trajani Chriſtianorum perſecutoris, & ſuperbi innumerarum gentium victoris.* 144

Explanatio XXII. *Secundi ſigilli libri cæleſtis, tertio, & quarto verſu Capitis VI. ſumptam pacem de terrâ, & gladium magnum, quo*

Digitized by Google

quo ſe invicem interficiant, innuentis, de alternis Romanorum, & Judæorum cædibus ſub Trajano, & Adriano. 149

Explanatio XXIII. *Tertii ſigilli libri cœleſtis, quinto, & ſexto verſu Capitis VI. de penuriâ ſolius panis, non autem vini, & olei, ſub Marco Antonino, & Lucio Vero.* 152

Explanatio XXIV. *Quarti ſigilli libri cœleſtis, ſeptimo, & octavo verſu Capitis VI. de bello, fame, & peſte, tempore Galli, & Voluſiani.* 155

Explanatio XXV. *Referens in reſignatione quinti ſigilli rationes, cur animæ Martyrum videantur ſub altari; quæ ſit vindicta, quam poſtulant à Deo; quamobrem datæ ſunt illis ſtolæ albæ; & cur interficiendi ſint adhuc causâ religionis ſuæ multi Chriſtiani, à nono ad undecimum verſum Capitis VI.* 158

Explanatio XXVI. *Sigilli ſexti libri cœleſtis, à duodecimo ad decimum ſeptimum verſum Capitis VI. de horribili terræ motu, qui Antiochiam, cùm in ea Trajanus degeret, ſubvertit.* 162

CAP. VII. Explanatio XXVII. *Trium primorum verſuum Capitis VII. De quinque Angelis, quorum quatuor cohibent quatuor præcipuos ventos; quintus verò præcipit cœleſtibus illis ſpiritibus, nè noceant terræ, & mari, antequam ſignentur ſervi Dei ſigno Dei vivi.* 170

Explanatio XXVIII. *Obſignationis duodecim millium in quavis Tribu; nominis, & ordinis Tribuum obſignatarum; & cur Tribus Dan, & Ephraim prætermiſſæ ſint, à verſu quarto ad octavum Capitis VII.* 174

Explanatio XXIX. *Innumerabilis turbæ Sanctorum cum veſtibus albis, & palmis Deo, & homini Chriſto agentium gratias, quas Angeli confirmant, à nono ad duodecimum verſum Capitis VII.* 182

Explanatio XXX. *Quâ ſingulares innumerabilium Sanctorum, anteà viſorum, dotes exponuntur, à decimo tertio ad decimum ſeptimum verſum Capitis VII.* 185

CAP. VIII. Explanatio XXXI. *In quâ poſt aperturam ſigilli ſeptimi, cœleſte ſilentium per mediam horam; ſeptem Angelicæ tubæ; ſuffitus Angelicus ante Altare aureum; & ex prunis Altaris holocauſtorum, ab Angelo in terram projectis, tonitrua, & terræ motus explicantur à primo ad ſextum verſum Capitis VIII.* 189

Explanatio XXXII. *Primam plagam infidelibus, poſt clangorem primæ tubæ Angelicæ, inflictam exponens de legione Chriſtianâ Fulminante nuncupatâ, ſub Marco Aurelio Antonino Philoſopho, verſu ſeptimo Capitis VIII.* 195

Explanatio XXXIII. *Secundæ plagæ, ex ſecundæ tubæ Angelicæ clangore obortæ, de Byzantii ſtrage ſub Severo Imperatore, verſu octavo, & nono Capitis VIII.* 198

Explanatio XXXIV. *Tertiam plagam, ex ſonitu tertiæ tubæ An-*

gelicæ inflictam referens ad tempora, tùm Antonini Pii, tùm Gallieni Imperatorum, verſu decimo, & undecimo Capitis VIII. 203

Explanatio XXXV. *Quâ ſolis, lunæ, & ſiderum obſcuritas inſueta, ex clangore quartæ tubæ Angelicæ exorta, refertur ad tempus Gallieni Imperatoris; redduntur etiam rationes, ob quas alter Angelus, ſub ſpecie aquilæ apparens, graviter impus comminetur, duobus ultimis verſibus Capitis VIII.* 206

CAP. IX. Explanatio XXXVI. *Quarta plaga poſt quintæ tubæ clangorem, de Valeriani Imperatoris Romani, & Chriſtianorum perſecutoris captivitate à Sapore Rege Perſarum, ex primo ad undecimum verſum Capitis IX.* 209

Explanatio XXXVII. *Sexta plaga poſt ſonitum ſextæ tubæ Angelicæ, à duodecimo ad decimum nonum verſum Capitis IX. De peſtilentia ſub Marco Antonino, & Lucio Vero.* 221

CAP. X. Explanatio XXXVIII. *Capitis X. de Angelo jurante, quod non erit ampliùs tempus cultus dæmonum; Imperii Ethnici, & perſecutionis adversùs Chriſtianos; ſed Regnum Dei, & Chriſti, quod, accepto libro, & devorato, Ioannes jubetur prædicere.* 223

CAP. XI. Explanatio XXXIX. *Duorum primorum verſuum Capitis XI. quibus ſub figura templi, quod Joannes præcipitur, & atrii gentibus dandi, quod prohibetur metiri, ac ſanctæ Civitatis menſibus quadraginta duobus à gentibus calcandæ, oſtendit Dominus tueri dona Spiritus Sancti, & virtutes fidelium, qui templum ejus interius, & ſpirituale ſunt; loca verò externa, quò conveniunt ad publicam orationem, & ea, ubi degunt, ſubjacere poteſtati infidelium tribus annis, ac dimidio, ſub multis Imperatoribus Ethnicis.* 233

Explanatio XL. *Quomodò Clerus, & populus Chriſtianus tanquam duo teſtes fideles Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſub Ieſu à Joſedecho prognati, & Zorobabelis, necnon Moyſis, & Eliæ figuris, ſint pietate ſua impietatem ethnicam expugnaturi; Eccleſias ad Dei cultum reædificaturi; & varias plagas gentilibus inflicturi, à tertio ad ſextum verſum Capitis XI.* 240

Explanatio XLI. *Tempore perſecutionum in plateis Romæ Ethnicæ, quæ multis de cauſis Sodoma, Ægyptus, & Ieroſolyma Chriſti interfectrix dicitur, inſepulta jacebunt cum dedecore corpora Sanctorum Martyrum; ſed pace Eccleſiis redditâ, ſolemnes à fidelibus honores, utpote à Deo in Cœlum recepti, conſequentur: undè expaveſcent infideles; à ſeptimo ad duodecimum verſum Capitis XI.* 249

Explanatio XLII. *Verſus decimi tertii Capitis XI. de terræ motu Hieroſolymitano, cùm Iudæi tentarent templum reædificare ſub Juliano Apoſtata.* 262

Explanatio XLIII. *De tranſlatione Imperii Romani ab Ethnicis ad*

ad Chriſtianos, quâ ex mutatione Cœlites gratias agunt Deo; fidelium pietas, ac præſertim Martyrum patientia remuneratur; exterminantur autem Chriſtianorum præcipui perſecutores, à decimo quarto ad decimum octavum verſum Capitis XI. 268

Explanatio X L I V. *Ex aperturâ templi Cœleſtis, & apparitione Arca teſtamenti in eo, nec non ex tonitruis, & terra motu, ac grandine magnâ, relatis verſu decimo nono Capitis XI. oſtendens ſignificari futurum, ut quamvis Diocletianus Eccleſias Chriſtianas, & libros Sacros combureret; atque omnibus modis impediret, nè Martyrum corpora haberentur in honore: tamen Eccleſiæ Chriſtianæ ubique tandem extruerentur; in earumque adytis aſſervarentur libri Sacri: Signum Crucis victoriam de impietate promittens Conſtantino cœlitùs appareret: vera Crux, & nonnulla præcipuorum myſteriorum Chriſti ſanctiſſima loca, ab Ethnicis obtecta, detegerentur; in iiſque conſtruerentur Eccleſiæ: Crucis quoque cœleſte ſignum, præter terræ motum, & tempeſtatem inſuetam, appareret, cùm molirentur Iudæi templum Hieroſolymis inſtaurare: impius autem Cæſar Galerius ſub Diocletiano, in gratiam Deorum ſuorum publicè perorans, argueretur à Deo vero ſubitis tonitruis, pluviis, & denſâ grandine: ignis libros ſacros comburens, aliquando miris imbribus, & grandine permixtis extingueretur: denique Deus inſolitis terræ motibus, procellis, ac tonitruis cogeret nonnumquàm Ethnicos, ut ſinerent fideles debitum Sanctis Martyribus honorem rependere.* 275

CAP. XII. Explanatio X L V. *Sex primorum verſuum Capitis XII. quibus Eccleſia, Chriſti ſponſa, fidem ejus, & Apoſtolorum habens immutabilem, fœta promiſſionibus divinis, nititur, ut edat in lucem virum, qui eam à perſecutionibus, quas patitur, liberet; Adverſatur autem ei diabolus, tùm per ſeſe, tùm Imperatorum Ethnicorum, qui ei addicti ſunt, ferocitate. Eccleſia verò prudenter fugit tempore perſecutionum ſibi illatarum; ac tandem enititur Conſtantinum, qui raptus ad Divina contuenda, pacem ei tribuit; gentium delubra, & idola conterit; & cultum Dei in omnes Imperii ſui fines diffundit.* 282

Explanatio X L V I. *Referens ad tempora Conſtantini, & Maxentii, necnon Licinii, prælium Sanctorum Angelorum, & dæmonum: illorum quidem de ſubvertendâ impietate Ethnicâ: horum autem pro illâ tuendâ: dejectionem horum, qui antè adorabantur ut dii, & Chriſtianos perſequebantur: Angelorum verò Sanctorum, ac Martyrum victoriam; & de eâ cœleſtem lætitiam, à ſeptimo verſu ad primam partem duodecimi verſus Capitis XII.* 293

Explanatio X L V I I. *In quâ, à parte ſecundâ verſus duodecimi*

ad verſum decimum quartum Capitis XII. declarantur multa rationes, ob quas, tempore perſecutionis, tùm à Maximino, tùm à Licinio mota, cùm jam Conſtantinus Chriſti fidem amplexus eſſet, Eccleſia, aquila comparata, duabus veluti alis ſubvecta, avolavit in deſertum; ibique, Deo ei providente, alitur. 303

Explanatio XLVIII. *Verſus decimi quinti, & decimi ſexti Capitis XII. de ingentibus copiis à Maxentio contra Conſtantinum pluries immiſſis; à Conſtantino, tùm occiſis in terrâ, dùm illas multiplici certamine devicit; tùm in Tiberim demerſis, dùm ab eodem Imperatore ultimâ pugnâ fugata ſunt.* 311

Explanatio XLIX. *Duorum ultimorum verſuum Capitis XII. de Licinii adversùs Chriſtianos perſecutione, & præliis tùm terreſtribus, tùm navalibus contra Conſtantinum, à quo profligatus eſt.* 315

CAP. XIII. Explanatio L. *Bellua, duobus primis verſibus Capitis XIII. deſcripta, de Imperio Romano Ethnico, Chriſtianos atrociter perſequente.* 322

Explanatio LI. *Impietas Ethnica, Chriſtianorum perſecutrix, in Nerone extincta, reviviſcit in Domitiano, aliiſque multis Imperatoribus Romanis tres annos, & ſemiſſem ſævientibus: Adorantur illi, non tantùm à gentilibus, ſed etiam à pſeudo-Chriſtianis, ut dii: tamen ex illis quidam captivitate plectuntur; alii gladio intereunt: elucet verò iis in perſecutionibus fides, & patientia genuinorum Chriſtianorum, & Sanctorum Martyrum, à tertio ad decimum verſum Capitis XIII.* 326

Explanatio LII. *Octo ultimorum verſuum Capitis XIII. de Diocletiano Maximianum Herculium collegam ſibi aſciſcente; necnon poſteà ultrò deferente Imperium creato antè à ſe Cæſari Galerio Maximiano, qui & ipſe Cæſarem, & conſortem Imperii Maximinum habuit, cùm adhuc Diocletianus viveret, à quibus Imperatoribus Chriſtiana Religio graviter vexata eſt.* 335

CAP. XIV. Explanatio LIII. *Quinque primorum verſuum Capitis XIV. de Martyribus, Chriſtum Dei Filium perpetuò confeſſis; eique in Cælo victoriam, quam in terris de impietate reportarunt, cantico ſuo aſcribentibus: Integritate fidei ſuæ conſpicuis; Chriſtum uſque ad mortem ſecutis; eumque multipliciter in Cælo ſequentibus; nullo mendacio negationis contra Chriſtum, nec ullâ maculâ idololatriæ fœdatis; ſed nitentibus tanquàm præcipuis, & inſignioribus Dei, & Chriſti Domini ſanctis teſtibus.* 350

Explanatio LIV. *Exhortationis ad unius Dei cultum Angelicæ; excidii primariæ urbis Ethnicæ, Chriſtianorum perſecutricis; comminationis perpetuæ pœnæ, idololatris infligendæ; & pollicitationis quietis æternæ fidelibus, qui pro Chriſti cauſâ obierint, à verſu ſexto ad decimum tertium Capitis XIV.* 358

Explanatio

Digitized by Google

Explanatio L V. *Septem poſtremis verſibus Capitis XIV. oſtendens ſub figuris meſſis, & vindemiæ, victorias, quas Conſtantinus eodem anno reportavit de exercitibus Maxentii, primùm apud Taurinos, & Veronam, deindè propè Romam.* 364

CAP. XV. Explanatio L VI. *Capitis XV. De Moyſis, & Agni cantico, quod fideles ob victoriam Conſtantini, Maxentio in Tiberim demerſo, concinunt; & de ſeptem plagis poſteà infligendis, ut impietas Ethnica prorsùs deleatur.* 374

CAP. XVI. Explanatio L VII. *Quæ undecim primis verſibus Capitis XVI. quinque plagæ, à quinque Angelis inflictæ, explicantur de peſte, & carbunculo, de fame, & ſiti, de æſtu, & igne ſacro, ac de cæcitate, quibus percuſſi ſunt divinitùs Ethnici ſub Maximino, inſano Chriſtianorum perſecutore.* 377

Explanatio L VIII. *Sexta plaga, à ſexto Angelo inflicta, de bello, quo Iulianus Imperator, Chriſtianæ Religionis deſertor, ac perſecutor, præter ſuperbam animi ſui præſumptionem, & falſa Deorum ſuorum oracula, turpiter victus eſt à Perſis, & occiſus, à duodecimo ad decimum ſextum verſum Capitis XVI.* 384

Explanatio L IX. *Referens ad primos annos Valentiniani, Imperatoris Chriſtiani, terræ motum ab orbe condito inauditum, atque etiam necem Procopii, & Marcelli, cognatorum Iuliani, cujus impietatem, & imperium excitare tentabant, verſu decimo ſeptimo, & decimo octavo Capitis XVI.* 398

Explanatio L X. *Decimi noni, & vigeſimi verſus Capitis XVI. de excidio Civitatum gentium, & de ruina tripartita, tùm Nicomediæ, tùm Romæ.* 400

Explanatio L XI. *Ultimi verſus Capitis XVI. De grandine vehementi, quæ poſt extinctum Procopium Juliani Apoſtatæ conſanguineum, craſſata eſt Conſtantinopoli, & in Cappadocia, Valentiniano, & Valente Imperatoribus.* 409

CAP. XVII. Explanatio L XII. *Condemnationis Romæ, ut Ethnicæ, ſub ſpecie meretricis, & beſtiæ, ſeptem capitibus, & decem cornibus monſtroſæ; inſanientis inanium Deorum ſuorum amore, & furentis in Chriſtianos; opibus, & populis affluentis; ſeptem montibus, ſuper quos ſita eſt, celebratæ; notatæ etiam ſeptem Imperatoribus à Nerone primo Chriſtianorum perſecutore ad Trajanum; & ab eo ad Licinium, & Iulianum, decem alios Imperatores, Chriſtianæ religionis perſecutores habentis, toto Capite XVII.* 413

CAP. XVIII. Explanatio L XIII. *Capitis XVIII. de excidio Romæ, ut Ethnicæ, quod paganis eſt luctuoſum, Cælitibus autem jucundum.* 423

Explanatio L XIV. *Laudis, quæ refertur à Cælitibus Deo ob everſam Romam ut Ethnicam; & nuptiarum ſpiritualium Chriſti cum Eccleſia; necnon pietatis Joannis erga Angelum; & humilitatis Angeli*

APOCALYPSIS BEATI IOANNIS APOSTOLI EXPLANATIO HISTORICA.

EXPLANATIO I.

TITULI APOCALYPSIS tribus primis verſibus Capitis primi.

VERS. 1. Apocalypſis Jeſu Chriſti, quam dedit illi Deus palam facere ſervis ſuis, quæ oportet fieri citò; & ſignificavit, mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Joanni.

℣. 2. Qui teſtimonium perhibuit verbo Dei; & teſtimonium Jeſu Chriſti, quæcumque vidit.

℣. 3. Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ hujus, & ſervat ea, quæ in eâ ſcripta ſunt: tempus enim prope eſt.

Verſ. 1. *Apocalypſis Ieſu Chriſti.*

EVANGELIUM, quod nomine ſuo Græco
Bonum nuntium refert, illa, quæ Jeſus Chriſtus
aliquot annis in terra fecit, docuit, ac paſſus eſt,
narrat: Apocalypſis autem, cujus Græca vox ſi-
gnificat *Revelationem*, declarat ea, quæ amantiſſi-
Pſal. 109. mus Magiſter, ac Dominus, *Sedens ad dexteram*
Matth. 28 Patris in Cœlis, docuit; quæque glorioſè acturus
verſ. 20. eſt *uſque ad conſummationem ſæculi*, ut *inimicos ſuos*
Matth. 24. *ponat ſcabellum pedum ſuorum*; & *electos ſuos*, mundi
verſ. 30. victores, ad ſe *colligat* ſecum regnaturos.

Ex verſ. 1. *Quam dedit illi Deus.*

Ad Phi- Quamvis Chriſtus, ut Deus, æterno Patri, à quo gignitur, ſit *æqua-*
lip. 2. v. 6. *lis*, paremque cum illo authoritatem habeat; tamen, ut homo, minor
Ioan. 14. eſt Patre; eique in omnibus morem gerit. Eapropter vivens inter homines,
v. 28. Ioan. 12. nequicquam illos docebat, niſi quod Pater juberet. *Ego*, inquit, *ex me*
v. 49. 50. *ipſo non ſum locutus; ſed qui me miſit Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid*
Ad Eph. *dicam, & quid loquar. Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.*
1. v. 20. 1. ad Cor. Non diſſimile Chriſtus, *in cœleſtibus conſtitutus*, obſequium exhibet Patri,
15. v. 28. cui etiam nunc, ut homo, *ſubjectus eſt*. Quare quod revelavit inter Cœ-
lites agens, id nonniſi Deo Patre dante, & mandante notum fecit. O mira
Filii Dei erga Patrem in terra, & in cœlo obedientia! Quis illam non ado-
2. ad Cor. rabit, & imitabitur, quò *ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquatur*,
2. v. 17. & agat?

Ex ℣. 1. *Palam facere ſervis ſuis.*

Ea certè bonitas eſt Domini omnium, & obſervandiſſimi Magiſtri, ut
diſcipulos ſuos, pridie quàm ab illis diſcederet, amicos ſuos vocaverit:
Ioan. 15. hæc enim ſunt ejus verba. *Iam non dicam vos ſervos, quia ſervus neſcit quid*
v. 15. *faciat Dominus ejus: vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi à*
Patre meo, hactenus vobis dicenda, *nota feci vobis*. Verùm, quò majorem
benevolentiam Chriſtus diſcipulis ſuis impendit, eò ipſi referre debent
illuſtriorem gloriam ſummæ illius Majeſtati; ac idcirco æquum eſt, ut ſeſe
Luc. 1. illius *ſervos* nuncupent; eique *ſerviant in ſanctitate, & juſtitia omnibus die-*
v. 75. *bus vitæ ſuæ.*

Quemadmodum verò Chriſtus, cùm in terris degeret, laudabat Patrem,
Matth. 11. quòd ſalutaris ejus adventus myſteria, quæ *prudentibus* ſecundùm carnem,
v. 25. & ſuperbis *abſconderat*, *revelaſſet parvulis* ſpiritu, & humilibus corde: ita
ſervi Chriſti gratias uberes rependere debent eidem Patri, quòd per eumdem
Filium ſuum, ſedentem ad dexteram ſuam, illis voluerit multarum rerum,
ad ipſorum ſalutem implendarum, arcana cœleſtia, infideles latentia, pa-
tefacere.

Ex ℣. 1. *Quæ oportet fieri citò.*

Digitized by Google

At Deus ſummè ſapiens, cùm, etſi omnia poſſit, efficiat cuncta *in* Sap.11.
menſura, numero, & pondere, varios diverſis temporibus, ut ſuam erga v.21.
fideles paternam providentiam prodat, mirabiles effectus producet; ali-
quoſve ad extrema uſque ſæcula protelabit. Hos verò, & illos quiſquis
habitâ ratione æternitatis, ad quam referuntur à Deo, attenderit, judica-
turus eſt citò eventuros: *mille* enim *anni apud Dominum ſicut dies unus*, 2.Petr.3.
ait princeps Apoſtolorum; & ipſe Joannes ſub finem Apocalypſis de ulti- v.8.
mo adventu Chriſti loquens, inquit, *Etiam venio citò.* Apoc.22. v.20.

Brevi quoque, & intra paucos annos incipient fieri multa, quæ
hocce libro proponuntur revelata à Chriſto Domino de Eccleſiæ præci-
puis miniſtris; de perſecutionibus, quas ipſa paſſura eſt ab Ethnicis;
de plagis, quæ infligentur ejus perſecutoribus; ac de præclaris Marty-
rum victoriis, & triumphis.

Ex ℣.1. *Et ſignificavit.*

Interim nemini dubium eſt, quin Verbum Divinum, cui *omnia nuda, &* Ad Hebr.
aperta ſunt, potuiſſet nudis, & apertis verbis patefacere ſervis ſuis, 4.v.13.
quæ ſuæ eſſent Eccleſiæ, & inimicis illius eventura. Sed ne ipſos infideles
exaſperare videretur, & in ipſammet Eccleſiam concitare, ſi parata illis
ab ipſo graviſſima mala perſpicuè declararet, obtexit ea variis figuris,
quarum ſenſus, cùm eſſet ignotus Paganis, negotium faceſſeret nullum Re-
ligioni Chriſtianæ.

Hàc arte prudens juxtà ac bonus Magiſter in gratiam Eccleſiæ ſuæ
egit, quod olim commendarat diſcipulis ſuis, dicens: *Nolite dare ſanctum* Matth.7.
canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas v.6.
pedibus ſuis, & converſi dirumpant vos. An non enim ſancta res eſt Apo-
calypſis, cujus *quot verba, tot ſacramenta?* Quis etiam dubitaverit eſſe Hieron.
margaritas, quarum ſplendor eximius ſponſam Chriſti, lugentem in ter- ep. Pauli-
ris, recreet; ornet ſqualentem inter perſecutores; & connubio ſponſi no.
æterno dignam præſtet? Apoc.4. v.3 c.19. v.7.c.21. v.2.19.21.

Verùm, quò pretioſiores ſunt margaritæ illæ, eò plurium figura-
rum involucris, ac veluti thecis concluſæ aſſervantur; & quò ſanctior eſt
Apocalypſis, eò magis infidelium oculos latet ſub multiplici ſpecie ſig-
norum, quæ aliud oſtendunt exteriùs, aliud interiùs complectuntur.
Sic enim teſtatur beatus Joannes, *Signum magnum apparuiſſe* ſibi *in cœlo*, Apoc.12.
mulierem nempe *amictam ſole*; & vidiſſe *alind ſignum in cœlo, draconem ma-* v.1.& 3.
gnum. Quæ duo viſa, cùm à beato Apoſtolo appellentur ſigna, fidem fa-
ciunt alias rerum diverſarum formas, quas ſe vidiſſe paſſim refert, eo-
dem ſigni nomine eſſe nuncupandas. Quamobrem aſſerit Apocalypſim
ſibi à Chriſto *ſignificatam*, hoc eſt, ſignis variis, iiſque mirabilibus tra- Apoc.1. v.1.
ditam: καὶ ἐσήμανεν, *& ſignificavit*: καὶ σημεῖον μέγα; *& ſignum ma-* c.12. v.1.
gnum: καὶ ὤφθη ἄλλο σημεῖον; *& viſum eſt aliud ſignum.* Ita perpen- & 3.
denda duco, & inter ſe conferenda ſacra illa, tùm Græca, tùm vulgatæ
editionis noſtræ verba, ut genuinus, ac plenus ſenſus hujus vocis, *&*
ſignificavit, id eſt, ſignis declaravit, innoteſcat.

Ex ℣. 1. *Mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Ioanni.*

Cui autem, & per quem divina illa Chriſti Domini Apocalypſis ſignificata eſt? Joanni per Angelum: Joanni, inquam, uni ex primis diſcipulis Chriſti; quem præcipuè diligebat Jesus; qui ſolus eo tempore ex omnibus Apoſtolis erat ſuperſtes; quique ſupra cæteros in Chriſtum credentes dignitate, & ſanctitate eminebat: per Angelum verò, inter bonos haud dubiè præcellentem; quemve decebat mitti ad tantum diſcipulum.

℣. 2. *Qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti, quæcumque vidit.*

Complura obſequii ſui erga Chriſtum Dominum, cujus ſe eſſe ſervum gloriatur, argumenta ſermone, & opere dedit Joannes. Intrepidè enim prædicavit Judæis, & gentibus verbum Dei, quod audivit à Chriſto vero Deo, & homine. Actus quòque Filii Dei mirificos, ac ſecretiores, quibus affuit, & paſſiones ſtupendas, quas conſpexit, enarravit iis, ad quos ſer-
1. Ioan. 1. monem habuit. Unde ait primâ ſuâ Epiſtolâ, *Quod audivimus, quod vidi-*
v. 1. 2. *mus oculis noſtris, teſtamur, & annuntiamus vobis*; & hocce Apocalypſis loco juxta autographum, ὃς ἐμαρτύρησε τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ χριστοῦ, ὅσα τε εἶδε, qui teſtatus eſt verbum Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti, quæcumque vidit.

At ſanctus Joannes non modò *teſtatus eſt, & annuntiavit* verba divina, quæ audivit à Chriſto, & actiones, ac paſſiones, quas perſpexit in illo; ſed etiam retulit *teſtimonium*, quod ipſemet Chriſtus perhibuit de iis, quæ ille ipſe Chriſtus vidit. Licèt enim antiqui prophetæ multa, quæ illorum mentibus ſuggeſſerat Deus, fuerint locuti: nulla tamen umquam, quæ in ejus Eſſentiâ Divinâ vidiſſent, aſſeruere. Solus Chriſtus, quæ in Deo vidit, tanquam oculatus teſtis, locutus eſt hominibus, & teſtatus. Hinc Joannes
Ioan. 1. in Evangelio, *Deum*, inquit, *nemo vidit umquam: Unigenitus, qui eſt in*
v. 18. *ſinu Patris, ipſe enarravit*. Quin ipſemet Chriſtus, ſe ipſum indicans, ait,
c. 6. v. 46. *non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo.* Et rurſus ipſe; *quod*
c. 3 v. 11. *vidimus, teſtamur.* Ejus autem præcurſor illum laudans, declarat, *Qui de*
v. 31. 32. *cælo venit, ſuper omnes eſt; & quod vidit, & audivit, hoc teſtatur.*

Verba igitur Apocalypſis hæc, *Quæcumque vidit*, & ad Joannem, & ad Chriſtum patet eſſe referenda; ita ut Joannes privilegio inter complures Apoſtolos ſingulari nihil aut verbo, aut ſcripto de actibus, & paſſionibus Chriſti dixerit, niſi quod in illo perſpexerit; & ipſemet Chriſtus nulla de Deo docuerit, niſi quæ in ejus Eſſentia Divinâ viderit: quod quidem illi ſoli proprium eſt; nec ulli ex antiquis prophetis conceſſum.

℣. 3. *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ hujus.*

Luc. 10. *Beati* planè *oculi*, teſte Domino, *qui* ipſum *viderunt*, perſuaſi quòd eſſet
v. 23. filius Dei. Felices etiam pronuntiat illos, qui etſi cum *non viderint*, in
Ioan 20. ipſum tamen promptis animis, & toto corde *crediderunt*. Beatus quòque
v. 19. eſt is, qui ea, quæ à Chriſto jam in cœlis regnante, revelata ſunt, piâ fide legit; nec dubitat ſuo tempore implenda, quæ ab omnium rerum præſcio, & optimo Magiſtro prædicuntur futura: Chriſtus enim ſumma

ma veritas, ſapientia, & bonitas, nec falli poteſt, nec fallere; *Cœlique, & terra* potiùs *tranſibunt*, quàm verba ejus, prænunriativa cujuſquam rei, *prætereant* effectu ſuo deſtituta. Matth. 5. v. 18.

Beatitudo non ſolùm ſperanda eſt ei, qui congruâ fide, ac pietate, ſeu privatìm, ſeu publicè, Apocalypſim legerit; ſed etiam illi, qui, cùm legetur, ipſam attentè, ac ſanctè audierint, ἀκούοντες, ſpem concipiant felicitatis.

Ex ℣. 3. *Et ſervat ea, quæ in eâ ſcripta ſunt.*

Sed ut plenè, perfectèque beati ſint, lector, & auditores Apocalypſis, non ſatis illis fuerit de myſteriis in eâ revelatis religiosè ſentire; verùm oportet ut animo illa retineant, mente revolvant, ac meditentur; & quod juſſum fuerit, opere compleant, τηροῦντες. Quippe eodem vocabulo Græco ſanctus Lucas ſignificavit ſemel atque iterùm quòd Maria, Luc. 2. 19.
tum dicta à paſtoribus de Chriſto, tum ab ipſomet prolata *conſervabat in* 51.
corde ſuo, conferens in corde ſuo. Συνετήρει, διετήρει. Pſalmiſta quòque teſtatur, quòd ſit *beatus vir*, cujus eſt *voluntas in lege Domini*; & in eâ *meditatur*. Nunquid non ipſe Chriſtus ait, *Beati, qui audiunt verbum* Luc. 11.
Dei, & cuſtodiunt illud? & cùm Divinus Salvator eximia dediſſet Apo- v. 28.
ſtolis ſuis virtutum exempla, atque monita ſalutis, ſubjunxit, *Si hæc*
ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Ioan 13. v. 17.

Ex ℣. 3. *Tempus enim prope eſt.*

Inſtat tempus, opportunitas, & occaſio, καιρὸς, ſervandi mandata,
quæ mox ad Epiſcopos ſeptem Eccleſiarum Aſiæ perferentur: unde poſt Apoc. 2.
admonitionem unicuique datam Joannes ſubinfert, *Qui habet aurem, au-* & 3.
diat quid ſpiritus dicat Eccleſiis; quaſi concluderet his verbis Prophetæ Pſ. 106.
regii, *Quis ſapiens? & cuſtodiet hæc; & intelliget miſericordias Domini.* v. 43.

Prope eſt tempus, quo Ethnici impii perſecutiones atrociſſimas move- Apoc. 13.
bunt adversùs ſanctos Dei cultores: tunc autem ſervanda erit à genuinis 14.
Chriſtianis invicta fides, & patientia. Quamobrem dicet poſtmodùm
Apoſtolicus Propheta; *hîc eſt patientia, & fides ſanctorum*; ac rurſùs, Apoc. 13.
hîc ſapientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu: beati v. 10.
autem, *qui in Domino moriuntur.* c. 14. v. 12.

Non diù tardabit Dominus, quin varias Ethnicis impiis, Chriſtiano- Apoc. 6. 8.
rum etiam perſecutoribus ſæviſſimis, plagas temporales, æternaque impœ- 9. 10. 16.
nitentibus infligat ſupplicia: ſed beatus, qui effugerit illos cruciatus, *timens* 17. 18.
Dominum, & dans illi honorem.

Deniqne *prope eſt tempus*, quo Sancti laborum ſuorum præmium conſe- Apoc. 14. v. 7.
quantur: ait enim per Angelum ſuum Dominus Joanni, *Beatus, qui cuſtodit* Apoc 22.
verba prophetiæ libri hujus. Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere v. 7. 12.
unicuique ſecundum opera ſua.

Concludam hanc explanationem primam verbis ejus, qui raptus eſt
vſque ad tertium Cœlum. *Itaque, fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & im-*
mobiles, abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt 1. ad Cor. 15. v. 58.
inanis in Domino.

EXPLANATIO II.

Precationis Ioannis pro illis Eccleſiis, quibus ſcribit, à quarto ad ſextum verſum Capitis primi Apocalypſis.

VERS. 4. Joannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſiâ, gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt:

℣. 5. Et à Jeſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo:

℣. 6. Et fecit nos regnum, & ſacerdotes Deo, & Patri ſuo. Ipſi gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

VERS. 4. *Ioannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſiâ.*

QUAMVIS in omnium manus, oculos, aures, animum, &
Euſeb. hiſt. l. 3. c. 16. 17. cor beatus Joannes cuperet venire Apocalypſim; eam tamen
inprimis ad Eccleſias Aſiæ, quas potiſſimùm regebat, ſcribit.
Septem illæ ſunt inferiùs ab eo commemorandæ; optatque
Ad Eph. 1. v. 3. 4. ut *benedicantur à Deo omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut*
elegit eas Deus *in ipſo, ut ſint ſanctæ, & immaculatæ in conſpectu ejus in charitate.* Quapropter ait.

Ex ℣. 4. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt.*

Quaſi diceret, ſupernum Dei vobis auxilium exopto, ut ei gratæ ſitis
omni tempore. Placete, quæſo, illi jugiter; ipſumque impenſiſſimè di-
Iob 9. v. 4. ligite. *Pacem* habete cum illo perpetuam, obſequentes in omnibus ſan-
Prov. 21. ctiſſimæ ejus voluntati: *Quis enim reſtitit ei; & pacem habuit?* Utinam ille
v. 1. ipſe, qui *inclinat corda quòcumque voluerit, det* quòque *vobis gratiam ad om-*
Act. 2. *nem plebem; & pacem cum omnibus hominibus* conferat! Sed ſi eſt infidelium
v. 47. Ad Rom. perverſitas, ut vos oderint, & perſequantur, quia Deum unum colitis,
12. v. 18. ac pravis illorum operibus minimè conſentitis, tranquillo id animo to-
Ad Rom. lerate; tantaque in vobis *gratia* Dei *ſuperabundet*, ut gratias agatis ei,
5. v. 20. quòd *dignæ habitæ ſitis pro ejus nomine contumeliam pati.* Gratiam illius
Act. 5. ducite magni beneficii loco, tametſi veſtra virtus iniquis flagitioſorum
v. 41. hominum odiis ſit expoſita. Quid enim cenſendi ſunt omnes mortales
Iſai. 40. v. 17. æterno Deo comparati? Prophetas audite. *Omnes gentes, quaſi non ſint,*
ſic

Digitized by Google

ſic ſunt coram illo; & quaſi nihilum, & inane reputata ſunt ei. Ipſe verò
Moyſem alloquens, ait: *Ego ſum qui ſum.* Modò igitur *gratia, & pax,* Exod.3.
quam efflagito, *vobis* inſit *ab eo, qui eſt* ipſummet eſſe; inimicitias illo- v.14.
rum, qui nihil ſunt, animo chriſtiano deſpicietis: *ad nihilum* enim *de-* Pſ.14.v.4.
ductus eſt in conſpectu Dei *malignus: timentes autem Dominum glorificat.*

Ex ℣. 4. *Et qui erat.*

Erat certè quondam Dominus cum populo ſuo, quem Ægyptii crudeli- Exod 6.
ter vexabant. Eſt etiam vobiſcum, ſicuti promiſit, etſi graves ab impiis v.7.
perſecutiones patiamini. Signum præſentiæ divinæ hoc unum ex pluribus Matth.28.
fuit erga Iſraëlitas, quòd *quantò opprimebantur, tantò magìs multiplicaban-* v.20. Exod.1.
tur, & creſcebant. Ita non dubium erga vos divinæ benevolentiæ argumen- v.12.
tum illud eſt, quòd ex infidelium perſecutionibus pietas chriſtiana magìs,
ac magìs in dies corroboretur, & augeſcat.

Ex ℣.4. *Et qui venturus eſt.*

Cùm premerentur Iſraëlitæ, aiebat Moyſi Dominus, *Vidi afflictionem* Exod.3.
populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi; & ſciens dolorem ejus deſcendi, v.7.8.
ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terrâ illâ in terram
bonam, & ſpatioſam, quæ fluit lacte & melle Nonne *gens* Chriſtianorum *ſan-* 1.Petr.2.
cta, & verè jam unicus populus Dei, patientiâ veſtrâ movebitur idem Do- v.9.
minus; & orationes veſtras exaudiet, ut *veniat cum poteſtate magnâ,* Luc.21.
erepturus vos ab omnibus malis, quæ illius causâ ſuffertis, & evecturus v.27.
in terram viventium, ubi *ſatiemini* viſu gloriæ illius; atque *torrente volu-* Pſ.16.
ptatis potemini? Prorsùs ad id *venturus eſt.* Quocirca *gratiam* ejus, *& pacem* v.15.
ſempiternam vobis in illius amore, & obſequio perſeverantibus peraman- Pſ.35.v.9.
ter deſidero.

Verùm Apocalypſis verba propoſita non ſolùm de Deo intelligenda ſunt, quemadmodum viderer nonnullis ea explicuiſſe; ſed etiam de Chriſto, vero Deo, & homine velim illa explanare.

Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt verè in cœlis; nec enim morte, quam paſſus fuit, extinctus eſt, ſicuti falsò opinantur Judæi; ſed verè ſuſcitatus vivit, & in Patris eſt gloriâ; *qui erat* verè in terris, non ſimilitudine quâdam dumtaxat apparens, uti obganniunt quidam hæretici; ſed verè cum hominibus converſatus per veritatem carnis, & animæ rationalis aſſumptæ ab eo, *qui venturus eſt* cum gloriâ judicare cunctos homines, licet impii Ethnici non id credant.

Gratia iterùm, *& pax ab eo, qui eſt* in cœleſtibus *Advocatus apud Pa-* 1.Ioan.2.
trem, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis, ut gratiam, & pacem à Pa- v.1.
tre nobis obtineat, & elargiatur; *qui* cùm in terrâ verſaretur, *erat* Salva- Ad Heb.7.
tor, utpote qui venerat vitâ ſuâ, & morte ſanctiſſimâ ſalutem hominum v.25.
operari; *& qui venturus eſt,* cum majeſtate magnâ & poteſtate, ut ſuos
ſecum aſſumat electos, & participes gloriæ ſuæ efficiat.

Juxta hos ſenſus Sanctus Joannes paulò poſt profert hæc verba de
Chriſto: *Ecce venit cum nubibus;* & deinde, *ego ſum α & ω, principium,* Apoc.1.
& finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt: ac v.7.8. 18.
tandem,

tandem, *ego ſum primus, & noviſſimus; & vivus, & fui mortuus; & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum.* Quæ quidem verba ſingula ſuis locis enucleariùs explicabimus; ſufficiat nunc illa retuliſſe, ut pateat eum, *qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*, eſſe Chriſtum.

Ex ✠. 4. *Et à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt.*

Dæmones quidem odio, & furore implacabili concitati, atroces perſecutiones in Eccleſias commovebunt; ſed non nocebunt, ſi fideles pietate ſuâ ſanctis Angelis placeant; ab iiſque ſubſidium, & conſolationem in tribulationibus recipiant.

Præterea, quia ſupremus Judex Chriſtus, non per ſeſe, ſed Angelorum ſibi obtemperantium miniſterio ſententiam, quam in adverſarios variis temporibus proferet, executioni mandabit, non ejus tantùm ſanctus
Apoc.8. Joannes Eccleſiis Aſiaticis cupit gratiam; ſed etiam ſeptem ſpirituum cœ-
v.2. leſtium, qui illius Majeſtati aſſiſtunt, paratiſſimi quidquid decreverit exe-
c.16.v.2. qui, benevolentiam efflagitat. Terribilium illi tubarum ſonitu decreta Divinæ juſtitiæ contra iniquos promulgabunt; & *phialas iræ Dei plenas*
Ad Rom. effundent in obduratos. At Evangelicus Propheta *dilectis Dei meliora, &*
1.v.7. *viciniora ſaluti exoptat*, nempe ut ipſi Angeli copioſum gratiæ munus, &
Ad Hebr. largam, perennemque Divinæ bonitatis benedictionem in illos diffun-
6.v.9. dant.

Exod.12. Tranſilivit Angelus olim domos Iſraëlitarum, & intactas reliquit, cùm interficeret Ægyptiorum primogenita; pacemque populo Dei mirabilem contulit, dum ædes Pharaonis implebat luctu propter pereuntes animas. Ad eum fermè modum optat Apoſtolus, ut fideles Chriſti ſectatores ope ſanctorum Angelorum ſint pacati; ſalutemque æternam conſequantur, dum juſto ejuſdem Domini judicio, & cœleſtium ſpirituum ardentiſſimo zelo, dabuntur infideles internecioni.

✠. 5. *Et à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis.*

Gratiam rursùs, & pacem chariſſimis Eccleſiis Joannes à Chriſto poſtulat, ut in ejus fide, ac pietate conſtanter perdurent, licet pagani, qui Deum, & Dominum noſtrum non norunt, peracerbas illis plagas com-
1.Petr.2. minentur. Certè credentibus Chriſtus *reliquit exemplum, ut ſequantur ve-*
v.21. *ſtigia ejus*, qui teſtimonium perhibuit veritati ſub Pontio Pilato; diriſque pro ſalute ſuorum tormentis excruciandum ſeſe vltrò tradidit. Propterea nuncupatur *Teſtis fidelis*, hoc eſt verax, fide, ac imitatione dignus, qui quod verborum veritate teſtatus eſt, confirmavit morum ſuorum eximiâ ſanctitate, ac miraculorum multitudine, magnitudine, & vtilitate. Nunquid non etiam illi fidem perpetuò adhibebimus; & intrepidè coram omnibus ore, & opere teſtabimur quòd ſit filius Dei?

Ex ✠. 5. *Primogenitus mortuorum.*

Quòd ſi pro confeſſione tantæ veritatis moriamur, exultemus, cùm & ipſemet Chriſtus propter eamdem, quam aſſeruerat, veritatem mortuus ſit:
2.ad Tim. ſi autem *commortui ſumus, & convivemus. Primogenitus eſt mortuorum*, quia
2.v.11. primus ex omnibus hominibus ſuſcitatus eſt à morte, non ampliùs moriturus;

Digitized by Google

tutus ; per illum omnes ſunt ab obitu revocandi : *Sicut enim in Adam omnes* ad Rom. 6.
moriuntur ; ita & in Chriſto omnes vivificabuntur. Vitam igitur nobis cum v.9.
multiplici fœnore immortalitatis, & gloriæ Chriſtus, ſi libenter illius causâ 1. ad Cor.
mortem oppetierimus , reddet. 15.v.22.

Ex ℣. 5. *Et Princeps regum terræ.*

Ille orbem univerſum imperio Majeſtatis ſuæ continet ; *ac regnum illius* Pſ.71.v.19.
ſtabit in æternum : Quiſque verò regum exiguam dumtaxat terræ partem , Dan. 2.
ad breve tempus adminiſtrandam , obtinet. Reges quidem *corpus , animam* v.44.
autem non poſſunt occidere : Sed Rex regum *poteſt & animam, & corpus perde-* Matth.10.
re in gehennam. Denique reges adulantibus ſibi ; vel etiam , ut par eſt , ſer- v.28.
vientibus , quid conferunt præter caducos honores , peritura bona , & inanes voluptates ? At Chriſtus obſequentibus ſibi gloriam æternam, ſummum bonum , ac felicitatem immenſam donat. Abſit itaque à Chriſtianis, ut reges vllos terræ plùs colant quàm Chriſtum *regum Principem.* Quare ſi quid aliquando principes terræ præcipiunt contra ipſum , mandatis ejus
potiùs obtemperare eſt , quàm illorum : *obedire enim oportet Deo magis quàm* Act.5.
hominibus ; ejuſque voluntas ſanctiſſima mortalium cupiditatibus eſt ante- v.29.
ponenda.

Ex ℣. 5. *Qui dilexit nos.*

Jubet ut viciſſim eum diligamus : *Sicut* , inquit, *dilexit me Pater, & ego* Joan.15.
dilexi vos. O quantus amor ! ſubjungit , *manete in dilectione meâ.* Quàm v.9.
id juſtum ! Addit , *majorem hâc dilectionem nemo habet,ut animam ſuam ponat* v.13.
quis pro amicis ſuis. Verùm ille , quod pluris faciendum eſt , *commendat* ad Rom.5.
charitatem ſuam , quoniam , cùm inimici ejus eſſemus , pro nobis mortuus eſt. v.8.
Quare igitur mortem pro illius gloriâ non perferemus , ut dilectionis erga ipſum noſtræ vices rependamus ?

Ex ℣. 5. *Et lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.*

Sanguinem fudit ſuum , quo nihil pretioſius , ut peccata noſtra elueret: ſanguine etiam noſtro fidem , quam ei juravimus , conſignemus. Ea erga
nos *apparuit* illius *benignitas*, ut *per lavacrum regenerationis , & renovationis* ad Tit.3.
Spiritus ſancti mundaverit nos ab omnibus ſordibus vitiorum ; corpuſque,& v.5.
ſanguinem ſuum poſteà nobis tradidit in Sacramento, ut confirmaret fœ-
dus,quod nobiſcum iniit.Tam ſanctè ſancitum fœdus numquam violemus; Matth.26.
nec vllo nos fœdemus ſcelere ; ſed *uſque ad ſanguinem reſiſtamus adversùs* v.18. ad Hebr.
peccatum repugnantes. 12.v.4.

℣. 6. *Et fecit nos regnum , & Sacerdotes Deo , & Patri ſuo.*

Eripuit nos de poteſtate tenebrarum , & tranſtulit in regnum ſuum , quando ad Col.1.
nos ſibi ſubjecit charitate ſuâ , & gratiâ. Contulit nobis adoptionem v.13.
filiorum Dei, & libertatem ; eaque tanta eſt,ut Deum ejus Patrem, Deum, ad Rom.8.
ac Patrem noſtrum , ipſo hortante , vocare non dubitemus. Nec tantùm v.15.
nos,ſubjiciens ſibi amore , liberos fecit ; ſed etiam *reges* , ſicuti vox Græca Ioan.10.
βασιλεῖς ſonat, inunxit,effuſâ in nos per ſpiritum ſuum ſanctum unctione v.17.
divinâ. Reges ſanè nos Deus , & Pater noſter cœleſtis reputat , etſi viliſſimi hominum , & contemptiſſimi habeamur ab Ethnicis , quòd ſimus

Chriſtiani. Quidni reges ſimus, animum, ut par eſt, regentes; voluntatem rectè gubernantes; cupiditatibus imperantes; cohibentes vitia; clementes, ac benefici erga omnes; denique ad regnum cœleſte vocati?

ad Heb.5. v.6. 1.Petr.2. v.5. Viterius, cùm Chriſtus rex ſit, & Sacerdos, *reges* quòque *nos fecit*, *&* *Sacerdotes Deo*, *&* *Patri ſuo*, ut *offeramus ei ſpirituales hoſtias*, *& acceptabiles per* ipſummet *Ieſum Chriſtum.* Corpus ille ſuum obtulit Patri, ut animum ejus iniquitatibus hominum exaſperatum placaret: *Corpora* quòque

ad Rom. 12.v.1. *noſtra offeramus* per illum, *hoſtiam ſanctam*, *Deo placentem*, ut ei ſatisfaciamus. Chriſtus ſacrâ nos religione unius Dei cultui devinxit: Idolorum, Dæmonumque ſuperſtitioni execrandæ neutiquam nos mancipemus.

Ex ℣. 6. *Ipſi gloria*, *& imperium in ſæcula ſæculorum.*

Nero, & Domitianus. Honores divinos ambierunt nonnulli Imperatores Infideles; ambientque illorum ſucceſſores plurimi, eâ clari ſuperbiâ, quâ Lucifer, cui ſerviunt, voluit eſſe ſimilis Altiſſimo. Mortem etiam inferent Chriſtianis, qui recuſabunt illos ut Deos colere, aut vocare. Verùm cùm ſummus, & unus Deus Pater æternus uni homini Jeſu Chriſto, utpote Filio ejus Unigenito, Divinitatem contulerit, illum unum ex omnibus hominibus Deum cum Patre, & Spiritu ſancto glorificemus; ſitque illi tanquam *Regi*

1.ad Tim. 1.v.17. *ſæculorum immortali*, *ſoli Deo*, *honor*, *& gloria.*

Quod ad *imperium*, à Joanne prolatum ſpectat, adnotabo Judæorum Hiſtoriographum aſſentatorem, auſum eſſe Veſpaſiano, qui geſtis

Joſephus apud Euſeb.hiſt. l.3. c.8. aliquot in Judæâ rebus bellicis imperium obtinuit, attribuere oracula ſacrarum litterarum perhibentia proceſſurum è regione illâ Virum, qui totius orbis potiretur imperio. Sed quàm turpiter, & quàm impiè id egerit iſte adulator, quis non videat, cùm in ſacrâ ſcripturâ ſoli Filio Dei, ex tribu Juda, & ex familiâ David oriundo, imperium, non modò Romanum, ſed etiam quarumvis nationum promiſſum ſit, quod nequaquam aſſecutus eſt Veſpaſianus? Attamen, quia id ſibi blandiebatur hic Impera-

Euſeb. hiſt.l.3. c.11.15. tor; ferebatque ægrè divina oracula in familiâ David compleri, eos, qui ex illâ ſtirpe regia prodierant, alioſve Judæos, graviter perſecutus eſt; eamque perſecutionem filius ejus, & in Imperio ſucceſſor duxit renovandam Domitianus.

Judæi econtrà rebellarunt in Romanos, ac rursùs rebellabunt, quòd

Euſeb. hiſt l.4. c.2,6. Liberatorem ſibi, totiuſque orbis Imperatorem, alium, præter Jeſum Chriſtum, expectent. Nobis verò divina lege eruditis, & ad Chriſtianam religionem magno Dei beneficio vocatis, perſuaſum ſit ſemper ipſum unum

Matth.28. v.18. Luc.1. v.31. ad Philip. 2.v.11. Dominum Jeſum Chriſtum eſſe ſalvatorem, & Regem omnium, cui *data eſt* à Patre *omnis poteſtas in cœlo*, *& in terra*; quique *regnaturus eſt in æternum.* Hâc in fide perſtemus, ſive Judæi, ſive gentes nos perſequantur; confiteamurque conſtanter coram omnibus, *quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris.* Ejus æquiſſimo, ac ſanctiſſimo imperio libentiſſimè nos ſubjiciamus; nec ullis, vel inanibus promiſſis, vel futilibus minis, ab ejus obſequio dimoveamur.

Digitized by Google

Ex ℣. 6. *Amen.*

Gratiam hanc, quæ paritura eſt æternum decus, Eccleſiis Chriſti dilectis, atque amantiſſimis, haud dubiè Joannes totis præcordiis efflagitabat; peroptabatque ipſimet Chriſto vero Deo & homini ſummum ab omnibus honorem, immenſam gloriam, & æternum imperium: undè ardens illud, quo flagrabat, deſiderium concludit, ac exprimit voce hâc Hebræâ, *Amen*; verè ita eſt: fiat, fiat.

EXPLANATIO III.

Septimi, & octavi verſus Capitis primi Apocalypſis de Chriſto Iudice.

Vers. 7. Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt; & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ. Etiam. Amen.

℣. 8. Ego ſum α, & ω, principium, & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, omnipotens.

Vers. 7. *Ecce venit.*

NORUNT fideles interrogatum à Pilato Chriſtum Dominum an
eſſet *rex Iudaorum*, reſpondiſſe *regnum* ſuum *non eſſe de hoc mun-* Ioan. 18.
do. Non inficior quin multi etiam noverint quòd inquiſitos ab v. 33. 36.
Imperatore Domitiano quoſdam propinquos Chriſti, *ut de* Ex Egeſippo Euſeb.
Chriſto, & regno ejus, quodnam eſſet, & quando, quove loco exiſteret, ratio- hiſt. l. 3.
nem redderent, reſpondiſſe, illud non mundanum, & terreſtre, ſed cæleſte, & c. 15.
Angelicum; & quod in ipsâ ſæculi conſummatione declarandum foret, quando Dominus cum gloriâ, & majeſtate è cælo deſcendens de vivis, & mortuis eſſet ſententiam dicturus, & cuique mercedem ſecundùm opera, & vitæ officia redditurus.

In eam profectò ſententiam locutus fuerat ipſemet Chriſtus Apoſtolis, Matth. 24.
dicens, *videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute multâ,* v. 30. 31.
cum poteſtate magnâ, majeſtate, & gloriâ; & mittet Angelos ſuos; & con- Marc. 13.
gregabunt electos ejus; & colligent eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos v. 26. 27.
in caminum ignis. Luc 21. v. 27.

Huic colloquio divini Magiſtri Dilectus diſcipulus cùm adeſſet, verba Matth. 13.
ejus in mente ſuâ tam altè defixit; tantoque adventus illius glorioſi deſi- v. 41.
derio flagrat, ut jam jam venientem illum videre ſibi videatur, præ amore, quo erga ipſum fertur: amor enim eſt oculus cordis; & quem unicè

diligit, aſſiduè intuetur; nec poteſt animus ab ejus contemplatione vacare, ſicuti nec voluntas ab illius dilectione ceſſare. Dicit igitur Joannes non ſolùm id quod Zacharias Propheta, *veniet Dominus meus, & omnes ſancti*
Zach.14. *cum eo*; Sed amoris erga illum ſui concitatus æſtu in hanc vocem prorum-
v.5. pit, *Ecce venit*. Ecce, non modò venientem illum ego mihi repræſento; ſed & vobis, Eccleſiæ chariſſimæ, exhibeo. Nè dubitetis quin certiſſimè venturus ſit, ac tam citò, ut fas ſit dicere, *Ecce venit*.

Ex ℣. 7. *Venit cum nubibus*.

Ioan.6. Vidit illum aliquando Joannes venientem ad Apoſtolos, ambulantem
v.19. ſuper aquas eâdem poteſtate divinâ, quâ tempeſtates compeſcebat. Sed nunc mente conſpicit venientem illum in nubibus; &, ut Pſaltes canit,
Pſal. 103. *ambulantem ſuper pennas ventorum*, utpote qui *ſit cæli, & terræ Dominus*.
v.3. Act.17. *Videntibus* etiam Apoſtolis *elevatus eſt* à terrâ in Cœlum; *& nubes ſuſcepit*
v.14. *eum*, juxta id, quod idem Pſaltes prædixerat, *Qui ponis nubem aſcenſum*
Act.1.v.9. *tuum*. Nubes quoque, velut currus, ipſi tanquam Regi regum conveniens,
Pſal. 103. deſcendentem de Cœlo eum excipiet: aſſeverarunt enim Cœleſtes ſpiritus
v.3. Act.1. diſcipulis *venturum* ipſum, *quemadmodum viderant eum euntem in cælum*.

v.11. Ex ℣. 7. *Et videbit eum omnis oculus*.

Nubes, quæ ſuſcepit Jeſum aſcendentem in Cœlum, abſcondit illum
Act 1.v 9. ab oculis diſcipulorum ejus: Nubes verò, quæ ipſum excipiet deſcendentem de Cœlo, exhibebit oculis omnium conſpiciendum. Radios aliquot
Matth. 17. Majeſtatis ſuæ, & gloriæ oſtenſurus in monte excelſo, tres tantùm ſibi
v.1.2.17. chariores Apoſtolos elegit; iique *nube lucidâ obumbrati* viderunt illum *fulgentem ut ſolem*. At in conſummatione ſæculi, dùm totam Majeſtatem ſuam, & gloriam manifeſtaturus eſt, omnibus in illum piè, & ſanctè credentibus videndum ſe præbebit. Nec Chriſtiani tantùm, ſed & cæteri homines, Chriſtum Judicem, à quo nullus non judicabitur, videbunt Divinitatem quidem ejus ſoli ſancti intuebuntur: formam autem illius humanam, non modò electi omnes, verùm etiam reprobi cuncti conſpicient. Illi, ut gloriam, quam promeruere, conſequantur; Hi, ut confuſionem peccatis ſuis dignam ſubeant.

Ex ℣. 7. *Et qui eum pupugerunt*.

Judæi, cùm viderent Chriſtum in cruce exaltatum, ſubſannabant, ſi-
Pſ.21. v.8. 9. cuti prædixerat Regius Propheta, *omnes*, inquit in perſonâ Chriſti, *videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labiis; & moverunt caput*. Sed, dùm videbunt illum in nubibus ſuper omnes homines elatum, & Majeſtate Divinâ præfulgentem, ſtupebunt; & ingenti terrore quaquaverſùm percellentur. Judex enim aderit ſurſùm, qui illos æternis ſuppliciis addicat. Deorſùm Infernus, qui cruciandos abſorbeat. Antrorſùm erunt ſancti Angeli, non jam cuſtodes, ſed animadverſores. Retrorſùm Dæmones, tunquàm implacabiles tortores. A dextris, ſancti, quorum vitam contempſerunt; & iram meruerunt. A ſiniſtris denique iniqui omnes, quibuscum ſocietate criminum conjuncti pœnas æternas luent. Agnoſcent tunc, veritatis perſpicuitate coacti, quis ſit is, quem ſceleratiſſimè crucifixerunt; & imminentem ſibi ſempiter

ſempiternam calamitatem lugentes dicent, heu! Quàm multos ſalvos facit
Jeſus ex ſummâ benignitate, quia crediderunt ei! ſecù, quàm juſtè nos con-
demnat, quòd dictis ejus, & factis divinis fidem adhibere noluimus! Rex
erat ille optimus, quem Divina patribus noſtris bonitas promiſerat: ſed mira
ejus humilitas, ac modeſtia, quæ nobis eſſe debuit venerationi, fuit deſpectui.
Quid igitur ſupereſt, niſi ut cujus manſuetudinem fuimus aſpernati, ſeveri-
tatem ſentiamus? Ecce filius Dei erat, factus homo noſtri causâ! Sed nos
Dæmonum furore acti egimus illum in crucem; heu! digni, qui protrudamur
in ignes, in ſupplicia æterna cum Dæmonibus! *Væ nobis, quia peccavimus* or. Ier.
tam immaniter in Salvatorem noſtrum! Quæ ampliùs nobis ſpes ſalutis, v.16.
quam tantâ oblatam benignitate, tàm flagitiosè reſpuimus? *heu! heu! heu!* Ier.32.
periimus in ſceleribus noſtris! v.17.

Ex ℣. 7. *Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.*

Hinc in modum plangent impii Judæi, quòd Chriſtum *authorem vitæ,* Act.3.
& Dominum gloriæ crucifixerint; ejuſque *ſanguis clamet, ut à facie Dei* v.15.
ejiciantur, velut execrandi deicidæ, à Deo vivo in æternum puniendi. Gen.4. v.10.14.

Plangent impiorum Judæorum poſteri, quòd transfuſum in ſe Patrum
facinus approbaverint; & Chriſti diſcipulos, quos cum illo regnantes, &
Judices pavebunt, vario mortis genere peremerint. Plangent ex cunctis
tribubus Iſraël ii omnes, qui *Crucis Chriſti* fuerint *inimici*; nec, niſi *terre-* ad Philip.
na ſapientes, Meſſiam Regem non alium, quàm terrenis opibus abundan- 3.v.18.19.
tem, expectaverint: Sic enim videbunt ſe à cœleſti felicitate, non ſecùs Iſai.33.
ac ab omni virtute, quæ ſecundùm Deum eſt, excidiſſe; & in omne genus v.14.
vitiorum prolapſos, *ſempiternis ardoribus* cruciandos eſſe. Quis *ibi erit fletus,* Math 13.
& ſtridor dentium! v.50.

Plangent denique ex quâvis regione omnes, qui Evangelio ſibi annun-
tiato non crediderint; vel vitam legi, ſeu naturali, ſeu Evangelicæ oppo-
ſitam duxerint: Chriſtus enim juſtus judex reddet unicuique ſecundùm
opera ejus; & *cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in* 2 ad Theſſ.
omnibus, qui crediderunt, dabit in flammâ ignis vindictam iis, qui non nove- 1. v.8. 10.
runt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Ex ℣. 7. *Etiam. Amen.*

Ita eſt, cùm id ipſamet Veritas revelaverit. Quia verò ſolebat Dominus
binâ prolatione hujus vocis, *Amen*, res magni momenti aſſeverare, Joan-
nes exemplo illius, & veneratione erga tantum magiſtrum permotus, id,
quod de ipſo tanquàm de omnium hominum judice dixit, bis, ac con-
ſtanter affirmat. Quid enim majoris ponderis, quàm illud, undè probo-
rum, qui Filio Dei adhæserint, æterna felicitas; perverſorum autem, qui
ab illo deſciverint, perpetua calamitas pendet?

Notare tamen velim vocem hanc Hebraicam, *Amen*, ſemel dumtaxat
in Apocalypſis autographo prolatam eſſe; eique Græcam paris ſignifica-
tionis junctam. Ναὶ, ἀμήν. Quæ autem ſit mens beati Joannis in illis va-
riorum idiomatum vocibus ab ipſo conjunctis, declarabo.

Juxta ſententiam Pauli, dùm Chriſtus, ſingulos homines judicaturus,

ad Rom 2. veniet, *Tribulatio*, & *anguſtia* futura eſt *in omnem animam hominis operan-*
v.9.10. *tis malum*, *Iudæi primùm*, & *Græci: gloria autem*, & *honor*, & *pax omni operanti bonum*, *Iudæo primùm*, & *Græco.* Quamobrem, ut id utrumque de Judæis, & Græcis conteſtetur Joannes, duabus vocibus, quarum una Judæorum eſt, altera Græcorum, idem ſignificantibus, utitur. Præterèa duas illas voces, ναὶ, ἀμὴν, quæ apud Latinos idem valent ac *etiam*, *atque etiam*, profert, ut fidem faciat ſe etiam, atque etiam, hoc eſt, plurimùm, ac vehementer deſiderare adventum Domini, qui Judæos, & Gentes, à quibus ejus diſcipuli perſecutionem patiuntur, judicet; credentes verò in illum ex utroque populo, ac ſanctè viventes, æternâ coronet gloriâ.

Iſta, quemadmodùm Dilectus diſcipulus peroptat, ac ſperat, efficiet Dominus: ait enim ipſemet Judæorum, & Gentium Deus, ac Iudex.

℣. 8. *Ego ſum* α, & ω, *principium*, & *finis*, *dicit Dominus Deus.*

Sicuti Filius Dei, cùm Deus eſſet, propenſione charitatis ſuæ factus eſt homo propter hominum ſalutem: ſic, ut homines ſalubriter erudiat, de Divinis rebus comparatione ab humanis petitâ libenter loquitur. Itaque non ſecùs ac litterarum Græcarum α eſt initium, ω verò terminus; ita Dominus aſſerit ſe eſſe principium omnium creaturarum, quas dicendo edidit; & finem, ad quem cunctas retulit: univerſas enim ex ſuâ bonitate, & propter ſemetipſum, ut in illis glorificetur, produxit. Cùm igitur omnes homines, ſive Judæi, ſive Gentiles, ab illo tanquàm Creatore prodierint, neceſſe eſt ut ad ipſum veluti ad finem ſuum vltimum redeant; eique utpote ſummo judici ſiſtantur.

Ex ℣. 8. *Qui eſt*, & *qui erat*, & *qui venturus eſt.*

Erat quidem ipſorum Creator, dùm eos in lucem emittebat; ab eo autem tempore *eſt* ipſorum Conſervator; ac tandem *erit* ad remunerandum bonos, & plectendum malos, Judex. Hæc ſenſibus ejuſdem ſententiæ,
Explan.2. anteà relatis à me, addenda putavi.
v.4. Ex ℣. 8. *Omnipotens.*

Potentiam quòque ſuam Dominus ſummam oſtendît, dùm cuncta eduxit ex nihilo; & deinceps prohibuit nè ſingulis momentis in nihilum reverterentur: ſed illam eamdem ſuam poteſtatem multò magìs commonſtrabit, dùm efficiet ut ſancti fruantur in Cœlis beatâ immortalitate; iniqui verò mediis in flammis inferorum numquam intereant, ſemper cruciandi.

Jer.10.v.6. *Magnus es Tu, Domine; & magnum nomen tuum in fortitudine! Quis*
7. ad Phil.2. *non timebit te; ô Rex gentium?* & quis *cum timore*, & *tremore ſalutem ſuam*
v.13. *non operabitur?*

EXPLA

Digitized by Google

EXPLANATIO IV.

Referens à nono ad duodecimum verſum Capitis primi, quo loco, tempore, & modo tradita ſit Apocalypſis ſancto Ioanni.

VERS. 9. Ego Joannes, frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patientiâ in Chriſto Jeſu, fui in inſulâ, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu.

℣. 10. Fui in ſpiritu in Dominicâ die, & audivi poſt me vocem magnam tanquam tubæ.

℣. 11. Dicentis, quod vides ſcribe in libro, & mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſiâ, Epheſo, & Smyrnæ, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.

℣. 12. Et converſus ſum ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum; & converſus vidi ſeptem condelabra aurea.

VERS. 9. *Ego Ioannes frater veſter, & particeps in tribulatione, & regno, & patientiâ, in Chriſto Ieſu.*

EVSEBIVS ex Epiſtolâ *ſervorum Ieſu Chriſti, Viennam, &* Euſeb. hiſt. l. 5. c. 1. 2.
Lugdunum incolentium, fratribus Aſiæ, & Phrygiæ conſcriptâ de Martyribus, qui Lugduni perpeſſi ſunt, hanc eorumdem modeſtiam Martyrum refert. *Iſti*, inquit, *ipſius Chriſti, qui, cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualem Deo, ſed ſe ipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, tàm verè æmuli, & imitatores erant, ut quamvìs in tali gloriâ, & ſplendore locarentur; & non ſemel, atque iterùm, ſed ſæpiùs, ut martyres decet, pro fidei confeſſione acerba tormenta perpeſſi, beſtiis objecti, ab eiſdem denuò ablati, ignito ferro exuſti, vibicibus lividi, vulneribus undique inflictis excruciati, non tamen ſe ipſi martyres eſſe prædicarent; neque cuiquam noſtrûm copiam facerent illos eo nomine appellandi: ſed ſi quiſquam noſtrûm eos vel per literas, vel per ſermonem, ut martyres, fortè ſalutaviſſet, graviter eum reprehenderent. Libenter enim martyris appellationem Chriſto fideli, & vero Martyri, Primogenito mortuorum, duci, & authori vitæ, quæ eſt ex Deo, conceſſerant.*

Illam

Illam profectò eximiam animi modeſtiam, & humilitatem non dubitaverim præfatos Martyres didiciſſe ex beato Joanne, qui, quamvìs paratus fuiſſet pro Chriſti nomine mortem atrociſſimam Romæ perpeti, ac iccirco à Chriſtianis tanquam Martyr haud dubiè laudaretur, utpote qui cali-
Matth.20. cem à Domino ſibi prædictum, quantùm in ſe erat, bibiſſet; tamen, uti
v.23. antè vidimus, unum Ieſum Chriſtum prædicabat tanquam *Teſtem*, ſeu Mar-
Apoc.1. tyrem *fidelem*, ac *Primogenitum mortuorum*, qui verè erat immensâ erga
v.5. homines charitate mortuus; & ſingulari ſuâ poteſtate à morte revocatus; cùm ipſe Ioannes tantùm voluiſſet pro Chriſto mori; nec mortem reipsâ ſubiiſſet; ſed ab imminente ſibi nece miro ſalvatoris beneficio fuerat liberatus.

Euſeb.hiſt. Præteteà, quemadmodùm Martyres Lugdunenſes, non modò *marty-*
l.5.c.2. *rum appellationem, quâ illos Chriſtiani donare voluiſſent, ab ſe repellere ſtudebant, ſed etiam tenues ſe ſolùm, & abjectos Chriſti nominis Confeſſores dicebant; & fratres obſecrabant cum lacrymis, ut preces pro illis ardenter, & obnixè Deo funderent, quò ipſo diſceſſu è vitâ opus, quod Deus tàm benignè in illis incœpiſſet, cumulatè expleretur:* Ita beatus Ioannes de ſe ipſo humiliter, immò tantò humiliùs, quantò ſanctior erat, ſentiens, etſi magnam ex ſuâ præparatione ad Martyrium gloriam apud fideles fuiſſet aſſecutus, non illis ſe ſuperiorem, ſeu meritis, aut virtute, ſed coæqualem gratiam ſortitum à Salvatore dicebat, cùm aſſereret ſe illorum *fratrem, & participem in tribulatione, & regno, & patientiâ in Chriſto Ieſu.*

Quaſi mentem ſuam aperiret his verbis; *Ego Ioannes, frater veſter*, re-
Match 23. generatione ſpirituali vobis in Chriſto conjunctus: *unus eſt*, nobis *Pater*
v.9. *in Cœlis*, quem invocamus in uno ſpiritu; & cujus futuri ſumus hære-
ad Rom.8. des per gratiam ejus Unigeniti. Non nego, res eſt enim nota, quin juſſu
v.16.17. Domitiani immiſſus ſim Romæ in dolium olei ferventis, quia Chriſtum
Pſ.44.v.8. Dominum præ cæteris regibus *oleo lætitiæ*, ut loquitur Pſalmiſta, hoc eſt, Divinitate *unctum* prædicabam; & poſtmodùm protruſus ſim in inſulam ſatis aſperam. Sed quæſo, quid ex eâ varietate adverſitatum mihi contigit, niſi jucunda quædam, & honorifica tribulationum veſtrarum ſocietas, cùm alii ex vobis carcere, alii exilio, tormentis alii exquiſitis vexentur? Illud verò, quod moleſtiæ plenum reputant infideles, ingens ego beneficium mihi à
ad Rom.8. Salvatore collatum reor: *Si* enim *compatimur; & conglorificabimur*; Si pro
v.17. Chriſto quidpiam *ſuſtinemus; & conregnabimus cum illo.*
2.ad Tim.
2.v.12.

Ex ℣. 9. *Fui in inſulâ, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu.*

Inſula illa, in quam, poſt ſuperatos divinâ virtute ardores olei ferventis, pulſus eſt Ioannes, vocatur Pathmos, una ex Sporadibus, in mari Aſiatico ſita. Cauſa hujus exilii ea videtur unica, quòd Apoſtolus verbum Dei prædicaſſet, & teſtimonium de Chriſto filio Dei præclarum perhibuiſſet; ſed liceat mihi addere, quòd nec mortuus fuerit mediis in æſtibus
Ioan.21. olei accenſi, nec poſteà occiſus, ſicuti omnes alii Apoſtoli interfecti ſunt,
v.22. aſcribendum eſt verbo, & teſtimonio Domini Ieſu, quo dixit ſe *velle*

Ioannem

Digitized by Google

Joannem manere ſic, etſi cæteri ejus condiſcipuli forent enecandi. Iccirco autem divina illum providentia in plagulam terræ, mari undique cinctam, amandavit, ut recordatus verbi Domini Ieſu, dùm ipſum de mari vocavit, fieret *hominum* illius inſulæ *piſcator*, eò immiſsâ evangelicâ ſagenâ. Matth.4. v.19. Itaque fuit in dictâ inſulâ, non ſolùm *propter verbum Dei*, quod prædicaverat; ſed etiam *propter verbum*, quod filius Dei dixit de illo, volens ut maneret, nec interficeretur; & *propter verbum* Evangelii illis inſulanis annuntiandum.

Verſ.10. *Fui in ſpiritu in Dominicâ die.*

Cùm verò in præfatâ inſulâ commoraretur Apoſtolus, & Dominicam diem celebraret, veriſimile eſt ex ejus in Chriſtum pietate, & charitate, in memoriam reduxiſſe, ſe pari die vidiſſe Ieroſolymis Dominum Ieſum à mortuis ſuſcitatum; ac vehementer optaſſe conſpicere illum in Cœlis *viventem Deo*, & fulgentem gloriâ. Ioan.20. v.19.26. ad Rom.6. v.10. O qui æſtus animi illius videndi optimum, & chariſſimum ſibi Magiſtrum! Qui anhelitus cordis ejus ad tantam felicitatem! Quis languor animæ ipſius ad tantum bonum! Qui gemitus, quæ lacrymæ, dùm dicebat ſibi, *ubi eſt Deus tuus? Deſiderium habebat* ingens *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: permanere autem in carne neceſſarium* illi erat propter eos, qui in Chriſtum credebant. Pſ.41. v.4. ad Phil.1. v.23. Voluntati Domini obſequens ſanctus Ioannes videtur mihi Aſiaticas Eccleſias, quarum cura ei commiſſa fuerat, *deſideraſſe videre ad confirmandum illas in fide.* Undè referente Euſebio, *ubi fuit ex inſulâ Pathmo Epheſum reverſus, etiam ad finitimas gentes proficiſcitur, hîc Epiſcopos conſtituturus, illîc integras Eccleſias ritè diſpenſaturus; alibi certos homines ſibi Spiritus ſancti inſtinctu demonſtratos in Clerum delecturus.* ad Rom.1. v.11. Euſeb.hiſt. l.3.c.17.

At dùm illo utroque deſiderio, & videndi Dominum, & viſitandi Eccleſias ſibi commiſſas, Joannes perurgeretur, amantiſſimus Magiſter animum illius ad ſe rapuit; ſemotumque ab externis, & ſenſibilibus, Divino ſuo Spiritui intimè conjunxit. Deinde ſeſe illi oſtendit, non quidem per propriam ſpeciem, ſed ſub mutuatâ formâ Pontificis, præfatas Eccleſias ſibi addictas viſitantis; revelatque ei qualiter conſiſtant, quiſve futurus ſit illarum ſtatus ad multa tempora; & quid opis queat illis, etſi abſens, ſubminiſtrare. Apoc.1. à v.13.c.2. & 3. ac totâ Apocalypſi.

Quomodo autem illa omnia ei à Domino revelata ſint, juvat per partes explanare.

Ex verſ.10. *Et audivi poſt me vocem magnam.*

Perlata eſt ad illum *vox* de Cœlo, ubi Verbum Incarnatum jam glorioſè degit; eaque *magna* erat, tanquam authoritate Domini, qui *eſt magnus*, edita; procedenſque ex *magnâ* illius erga Joannem, & univerſas Eccleſias charitate. Luc.1. v.32. Præterquàm quòd prolatura erat res *magni* momenti, quas excipere deberet diſcipulus *magnâ* cum veneratione, & pietate.

Vox illa erat, *poſt me*, inquit, utpote declaratura ei, tùm quid faceret poſteà; tùm illa quæ, poſtquàm è vivis diſceſſerit, eventura ſint toti Ec-

cleſiæ; & ad quæ cognoſcenda vis nulla naturalis ſuppetit, ſicuti nec ea, quæ à tergo ſunt, poſſumus videre, niſi quis illa per ſpeculum nobis oſtendat.

Ex verſ. 10. *Tanquam tubæ.*

Hæc autem vox aures concutiebat non minùs fortiter, quàm clangor *Tubæ*, quâ quondam Hebræi, jubente Deo, utebantur in præliis diebus feſtis, & anno Jubilæo. Vox enim illa cœleſtis excitatura erat fideles ad pugnam cum vitiis, & hoſtibus ſalutis; provocatura piorum mentes ad laudes divinas; promiſſura pœnitentibus remiſſionem peccatorum; ſanctis libertatem filiorum Dei perfectam; & perſeverantibus in fide, & charitate cœleſtem hereditatem, quemadmodùm ex iis, quæ deinceps proponentur in Apocalypſi, liquidò conſtabit.

Verſ. 11. *Dicentis, quod vides, ſcribe in libro.*

Porrò vox illa ſimilis tubæ hoc indixit Ioanni, ut quod illico viſurus erat, ac penè jam habebat ante oculos, literis exararet, quippe quæ eſſent poſterorum memoriæ commendanda, & Eccleſiis procul poſitis ſignificanda. Quapropter ſubjungit.

Ex verſ. 11. *Et mitte ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſiâ.*

Iubetur Ioannes ſeptem Eccleſiis Aſiæ Minoris, cui potiſſimùm præerat, ſcripta mittere, ut illæ curarent deſtinata ſibi ad cæteras toto orbe diffuſas Eccleſias perferri; ſicque omnes fideles, quocumque loco, & tempore verſarentur, rerum conſcriptarum utilitatem perciperent.

Ex verſ. 11. *Epheſo.*

Act. c. 19.

Philoſtr. in vita Apol. Thyan. l. 4 c. 1. l. 7. c. 10. l. 8. c. 10.

Eccleſiarum Aſiæ Minoris Epheſus refertur prima, quia illarum præcipua eſt; & ibi diù, multùmque Ioannes Evangelium prædicaverat; indèque Romam pro Confeſſione nominis Chriſti vinctus fuerat ductus. Statuerat etiam Dominus in primis idololatriam, quæ ex Templo Dianæ Epheſino, totius Aſiæ famoſiſſimo, pervagabatur in omnes gentes, evertere; magicaſque artes, quæ à Paulo, & ab ipſo Ioanne eâ in civitate magnâ ex parte deſtructæ, rursùs ab Apollonio Thyanæo, nefando Dæmonum ſervo, excitabantur, abolere.

Ex verſ. 11. *Et Smyrnæ.*

Strabo l. 14.

Ioan. 14. v. 6.

Smyrnam, quæ templum Homero conſecravit, & de cujus ortu gloriatur, adjungit Dominus Epheſo, non ſolùm ut ipſe, qui eſt *via, veritas, & vita*, ſe opponat Thyanæo, qui Epheſo Smyrnam profectus eſt ad nequitias ſuas magicas diſſeminandas; ſed etiam ut intelligamus Chriſtianæ Religionis veritatem, ac Sanctitatem fabulis, ac ſpurcitiis Poëtarum ſucceſſuram.

Philoſt. in vita Thyan. l. 4. c. 2. l. 8. c. 9.

Ex verſ. 11. *Et Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphiæ, & Laodiciæ.*

Pergamus Galenum, quem omnes honorant, quia medicam artem perfeciſſe credunt, edidit; templumque habebat Æſculapio dicatum, quò etiam ſe contulit Smyrnâ Thyanæus ille magus; magnoque ibi in honore habitus eſt. Sed futurum erat ut illa urbs ſaluti ſuæ conſulens unum

Deum

Deum coleret; ejuſque Cives pluris facerent Jeſum, qui morbis animorum medetur; ac peccatores ad ipſum contrito corde confugientes liberat ab æternâ morte; perducitque ad vitam ſempiternam, & beatam. Philoſt. in vitâ Thyan l. 4 c. 1. 3.

De Thyatirâ, Sardis, Philadelphiâ, & Laodiciâ, poſſem non abſimiles obſervationes proferre; ſed illas tanquam minùs neceſſarias ſilentio prætermitto. Satis ſit poſt Gregorium magnum adnotare, quòd *ſeptem Eccleſiis ſcribit Ioannes Apoſtolus, ut unam Catholicam ſeptiformis gratiæ plenam Spiritu deſignaret.* S. Greg. l. 17. c. 14. in 26. c. Iob.

Illæ verò ſeptem Eccleſiæ, eo à ſancto Joanne recenſitæ ſunt ordine, quo perlator Apocalypſis ex inſulâ Pathmoſâ proficiſcens, ad illas juxta earum ſitum perventurus erat, ſicuti conſtat ex ſcriptis, & Tabulis Geographicis, quemadmodùm ante me obſervavit ſuis in Apocalypſim eruditis notis, Gallicè editis, Dionyſius Amelottus Congregationis noſtræ preſbyter.

Verſ. 12. *Et converſus ſum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum.*

Statim atque ea, quæ prædicta ſunt, audivit Ioannes, obvertit animum, & vultum, ut videret perſonam ſibi loquentem. Divinam quidem operationem in ſeſe, dùm raptus fuit, perſenſerat: ſed quis eſſet, Dominus ne, an Angelus ab illo Miſſus, qui ea, quæ relata ſunt, tam grandi voce ipſi dixiſſet, cupiebat ſcire, ut congruam ei venerationem exhiberet; ac mandatum ejus, quâ par erat ſedulitate, exequeretur.

Ex verſ. 12. *Et converſus vidi ſeptem Candelabra aurea.*

Quid illa Candelabra ſignificarent, Chriſtus paulò poſt docuit Dilectum Diſcipulum, ut, quemadmodùm ex primorum principiorum notione animus ad conſequentium ſcientiam pervenire poteſt, ſic ex primâ illâ Candelabrorum aureorum notitiâ ſubſequentium in Apocalypſi cognitionem ſignorum aſſequeremur, toto animo ad Chriſtum veritatis authorem, & obſervandiſſimum Magiſtrum converſi.

EXPLANATIO V.

Prima Viſionis de Chriſto tanquam Summo Sacerdote, à decimotertio ad decimumſextum verſum Capitis primi Apocalypſis.

VERS. 13. Et in medio ſeptem Candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ.

Digitized by Google

℣. 14. Caput autem ejus, & capilli ejus candidi tanquam lana alba, & tanquam nix; & oculi ejus tanquam flamma ignis.

℣. 15. Et pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti; & vox illius tanquam vox aquarum multarum.

℣. 16. Et habebat in dexterâ ſuâ ſtellas ſeptem; & de ore ejus gladius ex utrâque parte acutus exibat; & facies ejus ſicut ſol lucet in virtute ſuâ.

Verſ. 13. ***Et in medio ſeptem Candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis.***

QUo tempore ſeptem Candelabra aurea cœlitùs oſtenſa ſunt Ioanni, apparuit ei Angelus formam humanam præferens ſimilem illi, quam Dilectus Diſcipulus conſpexerat in obſervandiſſimo Magiſtro, qui ſe filium hominis ſolebat dicere, cùm in terris inter homines verſaretur verus homo, natus per Spiritum Sanctum ex Virgine, quæ, ut mulier, nomine hominis, non ſecùs ac vir, de quo ſumpta eſt, nuncupatur.

Angelus is, Chriſtum exhibens, *in medio ſeptem Candelabrorum au-*
Apoc. 1. *reorum*, quæ, ſicuti declaratur ab ipſomet Angelo ſub finem hujuſce ca-
v. 20. pitis, ſeptem Eccleſias, quibus juſſus eſt Ioannes ſcribere, ſignificant,
Matth. 18. erat. Quippe promiſit Chriſtus, *ubi* forent *duo*, *vel tres in nomine ejus*
v. 20. *congregati, in medio illorum*, ut ipſos tueretur, futurum. Quare amantiſ-
ſimus Salvator in medio præfatarum Eccleſiarum, quas Candelabra illa
adumbrabant, præſentiâ ſui Spiritus conſiſtit, ut videat nè lumen gra-
Ad Heb. 1. tiæ, quod in ipſis eſt, extinguatur; ac curet illud fovere, jugiter in eas
v. 9. infundens ex oleo Divinitatis Sancto, quo illum, utpote *Chriſtum Do-*
Luc. 2. *mini, & Dominum*, delibutum ſcimus.
v. 11. 26.

Ex verſ. 13. *Veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zonâ aureâ.*

Porrò Chriſtus, cùm ſit unctus præcipuè velut Pontifex, Eccleſias
ſeptem Aſiaticas ſibi à Deo Patre traditas, & in ſe credentes, illuminat
Exod. 30. tanquam Summus Sacerdos; quemadmodùm Aaron, Sacerdos magnus,
v. 7. 8. ſeptem lucernas Candelabri aurei in Tabernaculo, cui præerat, collo-
Levit. 24. cati, accendebat. Propterea Chriſtus, antiqui Sacerdotii figuras veritate
v. 3. Myſteriorum ſuorum adimplens, viſus eſt Ioanni *Veſtitus podere*, id eſt,
tunicâ ad pedes protensâ, quali Pontifex Moſaicus utebatur in Taber-
naculo, & in Templo.

Verùm, nè quis hîc aberret, velim advertat ex Sacris literis duplicem
fuiſſe Pontificis tunicam talarem; lineam unam; & hyacynthinam alte-
Levit. 16. ram. Lineâ ſolâ indutus erat ſemel in anno, dùm intrabat in Sancta
v. 4. Sanctorum; tuncque etiam præcinctus erat tantùm zonâ lineâ. Sed

præter

Digitized by Google

præter hanc tunicam, & zonam lineam, Pontifex quotidiano fungens
miniſterio, in componendis, & accendendis lucernis Candelabri aurei, Exod. 28.
aliiſque muniis, quæ ei à lege præſcripta erant, obeundis, amictus erat v.37. 39.
tunicâ hiacynthinâ, in extremis partibus variegatâ, & ab humeris ad c.30. v.7 8.
pedes demiſsâ; cingebaturque baltheo, ex auro, purpurâ, coccoque bis c.28. v.32.
tincto, & byſſo retortâ. Attamen hanc zonam, licet eo quadruplici modo 33. 34 39.
diſtinctâm, quis non judicet ab auro, velut ab ejus materiâ præcipuâ con-
venienter appellandam auream? Eâ verò Pontificem ſub *mamiliis* cingi
ſolitum teſtatur Hieronymus his verbis, *Lineam tunicam inter umbilicum, &* Hier. Ep.
pectus hoc ſtringunt baltheo, qui ſubtegmine cocci, purpuræ, hyacinthi, & ad Fabio-
ſtamine byſſino diſtinctus eſt. lam de ve-
Rationem illius diverſitatis tunicarum, & zonarum Pontificiarum ſi ſtitu Sacer-
quis cupiat ſcire, attendat quid Philo ſacrarum rerum apud Hebræos in- dotum.
terpres non contemnendus refert. *Sacerdos*, inquit, *dùm eum, qui eſt, ſolus* Philo li-
eſt adoraturus, lineâ unicolore veſte indutus eſt, ut puritate, ac ſimplicitate bro de Te-
Deum puriſſimum, & ſimpliciſſimum colat; ſed dùm tranſit ad negotia publica, mulentiâ.
multicolorem veſtem aſſumit: cùm enim magna ſit in vitâ varietas, opus eſt
variâ ſapientiâ clavum tenentis gubernatoris.

Hæc ille: quibus adjicio quòd, quia juſtitiâ incorruptibilis eſt, eique
incumbit unicuique, quod ſuum eſt, tribuere, & diverſis diverſa con-
ferre, quidam ex ſacris Scriptoribus prædictam zonam Pontificis varie-
gatam, cujus præcipua materies erat aurum incorruptibile, nuncupavit
juſtitiæ zonam. Illâ autem ad mamillas cinctus erat Summus Sacerdos, ut Eccli. 45.
oſtenderet ſibi eſſe cordi juſtitiam; illamque ſe ita quibuſlibet adminiſtra- v 9.
turum, ut omnem affectum humanum comprimeret; nec ullius miſere- Exod. 23.
retur in Iudicio, quandoquidem ſic ſtatutum eſſet lege Divinâ. v.3.

Quocirca Chriſtus, qui *non venit ſolvere legem, ſed*, commutando
ejus figuras in veritatem, *adimplere*, poſtquàm aſcendens in Cœlum Matth. 5.
amictus, ut ita dicam, unicâ veſte albâ luminis gloriæ ſuæ, *introivit ſe-* v.17.
mel in Sancta illa ſuperna tanquam Pontifex, *non per ſanguinem hirco-* ad Heb. 9.
rum, aut vitulorum, ſicuti ſolebat ſingulis annis Pontifex Moſaicus in v.11. 12.
Sancta Sanctorum Tabernaculi, *ſed per proprium ſanguinem*, quem in
terrâ fuſum, & iterùm aſſumptum, illùc tranſtulit; apparuit Ioanni ve-
ſtitus tunicâ hiacynthinâ; & præcinctus ad mamillas zonâ illâ, quam
explicui, aureâ. Sic enim indutus, & *in medio ſeptem Candelabrorum au-*
reorum ſtans, ſignificavit ſe curam habere ſeptem Eccleſiarum, illis Can-
delabris deſignatarum; ſinguliſque conſentanea dona gratiæ tribuere; ac
quotquot ex illarum gremio delinquunt, juſtè corripere, nullâ perſona-
rum acceptione habitâ, quemadmodùm proximis capitibus Apocalypſis Apoc. c.2.
patebit. Sed antea juvat explicare reliquum habitum, & ornatum Chri- & 3.
ſti, tanquam Pontificis, à ſancto Ioanne viſi.

Verſ. 14. *Caput autem ejus, & capilli ejus candidi tanquam lana alba, & tanquam nix.*

Sacri nos libri edocent quòd Aaron *cidarim lineam imponebat capiti,* Levit. 16.

non tantùm quando ſolâ tunicâ lineâ indutus in Sancta Sanctorum in-
Exod. 28. trabat; ſed etiam dum Hiacynthinâ veſte amictus, officio fungebatur
v.32.35 & quotidiano. Quis autem in dubium revocet *Thyaram Byſſinam*, quam
39. tunc temporis geſtabat Pontifex, fuiſſe candidiſſimam, ut eò gratior
eſſet Divinæ Majeſtati, quò magìs illi labes, & maculæ diſplicent?
Maximus autem alicujus rei candor cui ſolet comparari? Nonne nivi?
Ac propterea caput Aaronis, Thyarâ illâ ornatum candidiſſimâ, conve-
nienter diceretur candidum ut nix.

Ulteriùs, cum Aaron eſſet octoginta trium annorum, quando ingreſſus
Exod. 7. eſt cum Moyſe ad Pharaonem, ut educeret Iſraëlitas ex Ægypto, Ponti-
v.7. ficatumque exercuerit propemodùm quadraginta annis, dubio procul
Num. 33. capilli ejus, velut Senis tam longævi, quique extra illam Thyaram
v.38. byſſinam ſuam videbantur, erant candidi velut lana penitùs alba. Ete-
nim Sanctus Hieronymus Thyaram illam Sacerdotalem deſcribens, inquit.
Hier. Ep. *Eſt rotundum pileolum, quaſi Sphæra media ſit diviſa, & pars una ponatur*
ad Fabio- *in capite; non habet acumen in ſummo; nec totum uſque ad comam caput tegit,*
lam de ve- *ſed tertiam partem à fronte inopertam relinquit; atque ita in occipitio vitâ*
ſtitu Sa- *conſtrictum eſt, ut non facile labatur ex capite.*
cerdot.

ad Hebr. Simili formâ, & habitu Chriſtus tanquam Pontifex apparuit Ioanni:
10. v. 5. Viſus eſt enim illi quaſi geſtans in capite Thyaram Byſſinam candore ſuo
nivi comparandam; & capillos habens venerandâ canitie albedinem la-
næ adæquantes. Id autem valdè congruè, cùm annus, quo talem ſeſe
oſtendit, eſſet Pontificatus ejus nonageſimus ſeptimus: Quippe factus
eſt Summus Sacerdos ſtatim atque naturam humanam induit; ab eoque
momento ad hoc uſque tempus apparitionis ſuæ Ioanni effluxerant non-
aginta ſeptem anni, ut videre eſt apud Euſebium in Chronicis. Numerat
enim ille Author annos Chriſti ab ejus nativitate, cum ait: *Ieſus Chriſtus*
Euſeb. in *Filius Dei in Bethleem Iudæ naſcitur, quo anno cœpit Chriſtianorum ſalus;*
Chron. *qui & primus annus Chriſtianæ ſalutis numeratur. Anno* autem *Chriſti nona-*
geſimo ſeptimo, inquit, *ſub Domitiano Apoſtolus Ioannes in Pathmos inſu-*
lam relegatus Apocalypſim vidit. Albedo igitur, quæ apparet cœlitùs
Ioanni, in capillis illius, qui Chriſtum exhibebat, antiquitatem Sacer-
dotii ejuſdem Chriſti, quod etiam æternum erit, deſignat; & candor
ad Heb 7. Thyaræ, quâ Sacrum ipſius caput ornatur, munditiem animi ejus exi-
v.24. miam demonſtrat. Quippe *talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex, Sanctus,*
ad Heb. 7. *innocens, impollutus*, immò ipſamet Sanctitas, ac mundities.
v.26.

Prætereà dùm canos illius capillos attendo, moveor ad venerationem
ſummæ ipſius Sapientiæ, quæ cunctorum ſenum, ſeu preſbyterorum, ac
Sacerdotum prudentiam longè ſuperat; quæque refert ſapientiam Patris
Dan.7.v.9. æterni, quem inſignis Propheta vidit ut *Antiquum dierum, cujus capilli*
erant quaſi lana munda.

Ex verſ. 14. *Et oculi ejus tanquam flamma ignis.*

Non dubium eſt quin Moſaicus Pontifex debuerit habere præ cæteris
zelum Dei, cujus cultui quàm maximè addictus erat; zelum Sanctuarii,
cui

cui deſerviebat; zelum ſalutis hominum, pro quibus offerebat ſacrificia; zelum denique adverſùs impios, qui ſe à vero Deo per idololatriam, moreſque nefandos avertebant. Quantò magis Chriſtus, Summus Sacerdos, ſummèque perfectus, illo quadruplici zelo flagrat? Ardorem illius zeli videre eſt in ejus oculis, per quos anima ſuos affectus indicat; proptereà enim apparent ſcintillantes, micanteſque *tanquam flamma ignis.*

Ardet quidem zelo Dei Chriſtus, cùm ea, *quæ placita ſunt Patri, faciat* Ioan. 8. v.
ſemper; ejuſque gloriam ſummo ſtudio proſequatur. Undè veriùs dixerit 29.
quàm olim Elias, *zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum*; ex eoque 3. Reg.
zelo *ſullevabat* quondam *oculos in Cœlum*, orans Patrem, & gloriam il- 19. v. 14.
lius ardentiſſimè deſiderans. Joan. 17.

Talem verò zelum Templi habuit, ut in eo fuerit completum hocce v. 1.
Regii Prophetæ oraculum, *zelus domus tuæ comedit me*; nec non illud Ma- Joan. 2. v.
lachiæ, *veniet ad Templum ſuum Dominator, quem vos quæritis. Ecce venit;* 17.
& quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & emundans Pſ. 68. v.
argentum; & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum, & quaſi argen- 10.
tum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitiâ. Id ſanè ardenter per- Malach. 3.
optat Chriſtus à ſacerdotibus Chriſtianis, qui Leviticis ſucceſſerunt; eoſ- v. 1. 2. 3.
que conſpiciens tanquam ſibi conjunctos Miniſtros, divini amoris igne, quem ejus oculi ſpirant, ſuccendit.

Zelum autem illius pro ſalute hominum quis concipiat, aut eloquatur? Sufficiat dicere cum Paulo quòd *conſummatus, factus eſt omnibus obtempe-* ad Heb 5.
rantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex. Ideirco habitu v. 9. 10.
Pontificio, & oculis flammantibus, ac capillis albedinem nivis, & lanæ referentibus, apparuit, ut oſtenderet ſe ad emendationem hominum delinquentium idem innuere, quod olim per Iſaiam aiebat, *auferte malum co-* Iſai 1. v.
gitationum veſtrarum ab oculis meis. Quieſcite agere perversè: diſcite benè fa- 16. 17. 18.
cere; & venite: ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.

Poſtremò, niſi peccatores reſipiſcant, & infideles *convertantur à ſimu-* 1 ad Theſſ.
lacris, ut ſerviant Deo vivo, & vero, ignis ante Chriſtum Summum Sacer- 1. v. 9.
dotem, & judicem *præcedet, & inflammabit* illos tanquam *inimicos ſuos*: Pſ 96. v 3.
Quod quidem ipſemet oculis ſuis ardentibus, ac zelo juſtitiæ divinæ adverſùs impios ſuccenſis, ſignificavit; ſicuti dicitur in ſcripturâ quòd
Vidit Dominus illos, qui erant cum Dathan, Abiron, & Core contra Aaronem; Eccl. c. 45.
& conſumpſit eos impetu iracundiæ, & flamma ignis. v. 23 24.

Verſ. 15. *Et pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti.* Num. 16.

Vel juxta autographum, *ſimiles æri Libani in fornace ardentes.* v. 35.

Nemo eſt, qui neſciat Moyſem, cùm accederet ad rubum, cujus in flammâ Dominus ei apparebat, audiiſſe ab illo, *Nè appropries huc: ſolve* Exod. 3. v.
calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt. Eam 5.
ob cauſam Pontifex, & Sacerdotes Moſaici Sanctuarium, in quo erat Candelabrum aureum, & Altare Thymiamatis, ingrediebantur nudis pedibus; eoſque, & manus præcipiebantur lavare, antequàm illuc intrarent

rent, nè fortè morerentur, ſi eſſent illori. Quamobrem Chriſtus, qui figurarum legalium veritatem in ſeipſo exhibet, apparens tanquam Summus Sacerdos, viſus eſt, non coopertis pedibus, ſed nudis; iiſque tam nitidis, & ſplendentibus, ut nitor illorum vividus, ac nativus non poſſit aptiùs comparari quàm æri candenti in fornace ardente: Rubor enim æris tunc ardore ſibi commixto ſplendentis congruit non parum cum hon inis ſani, ac vegeti pedum benè lotorum rubore, quem calor venis infuſus, carnibuſque, ac pellibus reſperſus excitat, fovetque. Quòd ſi hujuſmodi pedum comparatio cum ære candente apta eſt, ut mihi quidem videtur; quantò aptiùs refertur ea ſimilitudo æris ardentis ad pedes Chriſti mundiſſimos, ardentes igne Deo, qui illis eſt infuſus intimè, & convenientiſſimè ſuperfuſus?

Ex verſ. 15. *Et vox illius tanquam vox aquarum multarum.*

Qui primò horum verborum genuinus videtur intellectus, hic eſt, quòd vox illa non abſimilis fuerit ingenti ſonitui aquarum copioſiſſimè, & magno impetu decurrentium. Sed dùm Scripturas, & antiqui Pontificis, cùm orationes funderet, factum impetum animo revolvo, moveor, ut hæc quòque adjiciam, quæ præfatæ comparationis oſtendent rationes.

Num. 16. v. 1. 2. 3. 35. 41. 43. 46. 47. 48. Poſtridiè quàm *ducenti quinquaginta proceres Synagogæ*, qui cum Core, Dathan, & Abiron, Moyſis, & Aaronis authoritatem ægrè tulerant, *igne conſumpti ſunt à Domino, murmuravit omnis multitudo filiorum Iſraël contra Moyſem, & Aaron, dicens: Vos interfeciſtis populum Domini.* Tùnc verò *ingreſſus Moyſes tabernaculum fœderis, dixit ad Aaron, tolle thuribulum; & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, pergens citò ad populum, ut roges pro eis: jam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſævit. Quod cùm feciſſet Aaron, & cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam vaſtabat incendium, obtulit Thymiama; & ſtans inter mortuos, ac viventes, pro populo deprecatus eſt; & ceſſavit.* Certè vox illa, quam tunc Summus Pontifex, orationem ad Deum fundens, emiſit, aquarum multarum, quæ ignes, in quos injiciuntur, ſuffocant, vim maximam habuiſſe mihi videtur, cùm iræ divinæ incendium, quod ingentem Hebræi populi multitudinem devaſtabat, extinxerit.

Num. 20. v. 2. 3. 6. 11. Non multò poſt, cùm idem *populus indigeret aquâ, & in ſeditionem verteretur, ingreſſus Moyſes, & Aaron in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram; clamaveruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus, audi clamorem populi hujus; & aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut ſatiati, ceſſet murmuratio eorum: percuſſoque ſilice egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Vox ergo, & clamor Aaronis Pontificis, petentis, obtinentiſque à Domino copioſiſſimas, quæ tam numeroſo populo ſufficerent, aquas, vox fuit aquarum multarum effuſiva.

Sed &, quia quotidie Deum orabat Aaron in tabernaculo pro univerſo cœtu filiorum Iſraël, idque peragebat ex magno fervore Spiritus divini, quo concitabatur, non immeritò verba, ex ore illius ſic orantis copioſè prodeuntia, comparaverim aquis multis ex ſuâ ſcaturigine vi caloris in-

terni

terni ebullientibus; gratumque murmur edentibus : undè & in Canticis
anima ſancta Spiritu Divino incitata, ac ſeſe effundens ad utilitatem ani-
marum, dicitur *fons hortorum ; puteus aquarum viventium, quæ fluunt im-* Cant. 4. v.15.
petu de Libano.

Quæ cum ita ſint de voce antiqui Pontificis precantis, multò veriora
ſunt de voce Verbi Incarnati Jeſu Chriſti, Summi Sacerdotis novæ legis:
Semper enim eſt *vivens ad interpellandum pro nobis* ; ejuſque oratio, jugiter Ad Hebr.
ex ſacro illius pectore manans, mihi videtur tanquam aqua perenniter 7. v.25.
fluens è Cœlo in terram, ut ignem iræ divinæ, qui ſceleſtos omnes pro-
tinùs abſumeret, ſopiat.

Nonne etiam, cùm in terris verſaretur, dicebat? *Qui biberit ex aquâ,* Joan. 4.
quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum ; ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in v.13 14.
eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et rursùm, *Si quis ſitit veniat ad me,* Joan 7.
& bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent v.37.38.
aquæ vivæ : hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. 39.
Vox itaque Chriſti, Sacerdotis Magni, orantis in Cœlo Patrem, ut fi-
delibus Spiritum ſuum copioſè conferat, vox eſt emittens uberrimè aquas
cœleſtes, quas promiſit in ſe credentibus, ut æternarum rerum ſitim ſuam,
terrenis omninò deſpectis, reſtinguant.

℣. 16. *Et habebat in dexterâ ſuâ ſtellas ſeptem.*

Septem lucernæ, ſuper aureum Tabernaculi Candelabrum collocatæ,
non ei erant affixæ; ſed pari facilitate, quâ ipſius calamis ſuperimpone-
bantur, poterant ab illis extrahi. *Aaron* autem Summus Pontifex, *& filii* Exod. 27. v.21.
ejus Sacerdotes collocabant eas ſuprà Candelabrum illud, ut à veſperâ uſque 1. Reg. 3.
mane lucerent coram Domino. Illas verò, cùm *mane* extinguerent, *compone-* v 3.
bant, hoc eſt, *quidquid ea immunditiarum ex oleo, & ellychnio noctu con-* Exod. 30.
traxerant, dimovebant, repurgabantque. Hunc in modum mundities & nitor, v.7.
qualis ſanè vaſa omnia Sanctuarij decebat, ſervabatur iis in lucernis ſacris, Vatabl in
ex auro etiam puriſſimo fabrefactis. hunc locum.

At quis hinc non intellexerit, quòd Aaron illas lucernas haberet in
dexterâ ſuâ, ſive dùm eas Candelabro ſuperimponebat, ut tempore ſuo
lucerent; ſive dùm ipſas indè extrahebat, ut abſtergerentur?

Porrò notum eſt apud Hebræos ſeptem illis lucernis ſignificatas fuiſſe
ſeptem illas ſtellas, quas planetas dicimus : unde & ipſe Hieronymus in-
quit, *ſeptem lucernæ ſeptem errantia aſtra demonſtrant.* Ideoque juxta Philo. lib. quis rerū
uſum ſacræ Scripturæ, quæ perſæpe rem ſignificatam uſurpat pro ejus divin. hæres.
ſigno, dici poterat quòd ſeptem illæ lucernæ erant ſeptem ſtellæ. Præter-
quam quòd, ſicut ſtellæ noctu micant, ita lucernæ illæ Candelabri aurei & Hieron.
noctu tantùm fulgebant. Quamobrem fas erat aſſerere Aaronem *habere in* ep. ad Fa-
dexterâ ſuâ ſtellas ſeptem, dùm eâdem manu tenebat ſeptem lucernas Can- biolam de
delabri ſacri, quæ noctu dumtaxat, non ſecùs ac ſtellæ, lucebant; & Veſtitu. Sacerdot.
ſeptem planetas ſignificabant.

Eapropter Chriſtus, ſimul ac ſeſe oſtendit tanquam Summum Sacer-
dotem, in medio ſeptem candelabrorum aureorum conſiſtentem, appa-

ruit *habens in dexterâ ſuâ ſtellas ſeptem*, veluti ſeptem lucernis Candelabri
Moſaïci nocte lucentibus quodammodò ſignificatas; quæ tamen ex pe-
culiari mente Chriſti deſignant nunc ſeptem Eccleſiarum Aſiæ Præſules,
Apoc.1. uti paulò poſt ipſemet Chriſtus declarabit. Etenim ipſe, quatenùs eſt
v.20. ſummus Pontifex, illos Epiſcopos iis Eccleſiis, quibus præſunt, tan-
Matth.5. quam lucernas candelabris, ſuperimponit, ut doctrinæ, virtutiſque ſplen-
v.15.16. dore luceant domeſticis fidei; ac velut ſidera, quæ noctis caliginem de-
ad Phil.2. pellunt, tenebras infidelitaris, atque vitiorum ex hominum mentibus ex-
v.15. pellant. Talem etiam illorum Præſulum curam Chriſtus gerit, ut ſi quas
ex infirmitate humanâ ſordes peccati contraxerint, fatagat expurgari;
Apoc.c.2. ipſorumque animas priſtino decori reſtitui. Quòd ſi amiſſam recuperare
& 3. contemnant munditiem, officioque ſuo, quo tenentur ſibi commiſſas ani-
mas verâ luce perfundere, negligant defungi, minatur, ſicuti patebit
Apoc.2. inferiùs, ſe illos è loco, quem indignè occupant, deturbaturum; ac
v.5. conſequenter fore, ut lux, quæ in eis ſupereſt, extinguatur. Secùs, ſi
verbo, & exemplo fidelibus, ut par eſt, luceant, promittit ſe illis æter-
Dan.12. num gloriæ ſplendorem collaturum: *Qui* enim, inquit Scriptura,
v.3. *ad juſtitiam erudierint multos, quaſi ſtella in perpetuas æternitates ful-
gebunt.*

Ex ✝. 16. *Et de ore ejus gladius ex utrâque parte acutus exibat.*

Antiquum Pontificem non dubitaverim contemplari præferentem ore
gladium bicipitem, quatenùs erat ſupremus cauſarum quarumcunque
Deuter.17. difficillimarum judex; compellerenturque ii, inter quos lites fuerant mo-
v.8.9.11. tæ, *ſententiam ejus ſequi, nec declinare ad dexteram, neque ad ſiniſtram*:
12. alioquin rebelles ſubjacebant morti. Numquid non igitur litigantibus co-
ram Summo Sacerdote videbatur *de ore ejus gladius utrâque parte acutus
exire*, quoties ſententiam pronuntiabat, quam non poſſent ſub pœnâ mor-
tis ad dexteram, vel ſiniſtram partem declinare?

Gladius iterùm utrâque parte acutus prodibat quodammodo ex ore
1.Reg 3. Pontificis, dùm ipſe portans Ephod in bello, ſicuti Abiathar coram
v.7. Davide, hortabatur populum ad pugnam, etſi numeroſiores, fortioreſque
Deut.20. viderentur hoſtes. *Appropinquante* enim *prælio ſtans ante aciem* Sacerdos,
v.2.3.4. hæc ex præcepto Domini *loquebatur ad populum. Audi, Iſraël, vos hodie
contra inimicos veſtros pugnam committitis; non pertimeſcat cor veſtrum; nec
formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt; & pro vobis
contra adverſarios dimicabit.* Sanè beatus Paulus aſſerit *Sermonem Dei eſſe*
ad Heb.4. *vivum, & penetrabiliorem omni gladio.* Nec abs re dixerim Sermonem illum,
v.12. quem jubente Domino proferebat Pontifex, fuiſſe gladium ex ejus ore
prodeuntem, quo populus Iſraël armabatur; hoſteſque quaquaverſùm
obvios obtruncabat.

Jam verò, ut illas ex antiquo Pontifice depromptas figuras ad Chri-
ſtum, veritatem ipſammet, transferam, nonne ſi quis ejuſdem Chriſti
Summi Sacerdotis, ac judicis parere decretis noluerit, plectendus eſt
ad Rom. temporali, & æternâ morte; ac idcirco *non ſine causâ* Chriſtus *gladium*
13.v.4. *portat*

Digitized by Google

portat ore ſuo bicipitem,utpote qui binam illam mortem pervicacibus ſen-
tentiâ , quam in illos pronuntiabit , ſit illaturus.

Intereà fideles ſibi addictos provocat ad pugnam ſpiritalem cum hoſti-
bus Divinæ Majeſtatis , & ſaluti illorum repugnantibus. Undè ſeſe exhi-
bet proferentem ore gladium , quaſi dicat in Cœlis , quod quondam in
terris : *Non veni pacem mittere , ſed gladium ; veni enim ſeparare hominem* Matth. 10.
adversùs patrem ſuum , & filiam adversùs matrem ſuam, & nurum adversùs v. 35. 36.
ſocrum ſuam ; & inimici hominis , domeſtici ejus. Nolite timere eos , qui occi- Matth. 10.
dunt corpus , animam autem non poſſunt occidere : ſed potiùs timete eum , qui v. 28.
poteſt & animam , & corpus perdere in gehennam. Certè ex Iſaiâ, & Apoſtolo Iſai. 11.
Dominus Ieſus percutiet terram virgâ oris ſui , & ſpiritu oris ſui , ac labiorum v. 4.
interficiet impium. Chriſtiani quòque *verbo virtutis* Chriſti corroborati , & 2. ad Theſ.
gladium ſpiritus , quod eſt verbum Dei , aſſumentes , vincent malignum. 2. v. 8.

Ex ℣. 16. *Et facies ejus ſicut ſol lucet in virtute ſuâ.* ad Heb. 1. v. 3.

Advertendum eſt , Pontificem antiquæ legis præferre ſolitum in fronte ad Eph. 6.
laminam ex auro puriſſimo , cui inſculpta erant hæc verba , *Sanctum Do-* v. 17.
mino ; eamque,quoties ſanctuarium ingrediebatur , geſtabat, ut ei , & po- 1. Joan. 2.
pulo placatus eſſet Dominus. v. 14.

Hoc ſanè ritu , & his ſacris verbis monebatur Pontifex , ut quidquid Exod. 38. v. 36. 38.
cogitaret , quidquid diceret , quidquid perageret , ſanctum eſſet; referret-
que ad honorem Divinæ Majeſtatis,cujus ipſe erat præcipuus miniſter.Do-
cebatur etiam oportere ſe eſſe tantâ virtute conſpicuum , ut ſanctitas
illius cunctis pateret ; emineretque ſupra cæterorum hominum ſibi ſubdi-
torum dotes ; quemadmodum ea,quæ geſtantur in fronte,videntur ab om-
nibus ; ſuperioraque ſunt iis,quæ in inferioribus partibus corporis jacent.

Porrò non dubium eſt quin lamina illa pontificalis multùm flaveſceret,
rutilaretque ex ſummâ puritate auri , ex quo confecta erat ; ideòque Pon-
tifex, illam geſtans , comparari eâ parte poterat Soli , qui dùm purior
eſt , ac vividior , non aliter apparet quàm flavus , aureique coloris, ſicuti
omnibus perſpicuum eſt. Hinc author ſacer , Simonem Sacerdotem ma-
gnum , & ornatu ſancto præfulgentem contemplans, confert ipſum cum
illo primario ſidere : *Quaſi Sol refulgens,* inquit,*ſic ille effulſit in templo Dei.* Eccl 50.

Igitur Chriſtus , cùm apparuit tanquàm Pontifex , *facie ſui*, ſeu fron- v. 7.
te , quæ pars eſt faciei eminentior , viſus eſt *rutilans ut Sol* , dùm pu-
riùs , fortiùſque nitet , ut ſignificaret ſe eſſe verè Sanctum Domino , ra-
diiſque ſuæ Sanctitatis in cœlo , & in terrâ coruſcare ; ac tantâ San-
ctitate eminere , ut ipſi Cœleſtes Spiritus illam ſuſpiciant ; nec quidquam
inter homines ſit Sanctum , quod ab ipſo non promanet. Quocirca di-
citur ab inſigni Prophetâ *Sanctus Sanctorum* ; à Gabriele *Sanctus Dei Fi-* Dan. 9.
lius ; ab ipſis Dæmonibus , *Sanctus Dei* ; & à beatis Seraphinis *Sanctus,* v. 24.
Sanctus , Sanctus præ admiratione perpetuò prædicatur. Luc. 1. v. 35.

Gratias Deo , qui , cùm *lex homines conſtitueret Sacerdotes infirmita-* Luc. 4.
tem habentes , dedit nobis unum , ac Summum Sacerdotem *Filium* ſuum v. 34.
in æternum perfectum , exemplar , & cauſam totius Sanctitatis. Iſai. 6. v. 3.

EXPLANATIO VI.

In Capitis primi Apocalypſis quatuor ultimos verſus, quibus Chriſtus Joannem, ejus aſpectu cœleſti territum, proſtratumque confirmat, erigit, & docet.

VERS. 17. Et cùm vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus; & poſuit dexteram ſuam ſuper me, dicens, noli timere: Ego ſum primus, & noviſſimus.

℣. 18. Et vivus, & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum, & habeo claves mortis, & inferni.

℣. 19. Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ oportet fieri poſt hæc.

℣. 20. Sacramentum ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dexterâ meâ, & ſeptem Candelabra aurea: Septem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum; & Candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.

Verſ. 17. *Et cùm vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tanquàm mortuus.*

Ezech. c. 1. c. 2. v. 1. c. 3. v. 23. 24. CUM Ezechiel gloriam Domini, & quadrigam cœleſtem Cherubinorum, quam Deo dante, ſi ex ejus gratiâ vita ſuppetit, peculiari commentario perſpicuè, ni fallor, explicaturus ſum, vidiſſet, territus corruit in faciem ſuam; ac propemodum abſceſſit ab eo Spiritus. Daniel quòque, ubi Gabrielem Archangelum, ſub ſpecie ducis Cœleſtis, ad prælium pro Dei populo mirabiliter accinctum, animadvertit, tanto timore perculſus
Dan. 10. v. 8. eſt, ut jacuerit exanimis: *Vidi*, inquit, *viſionem grandem hanc; & non remanſit in me fortitudo; ſpecies mea immutata eſt in me; & emarcui, nec habui quidquam virium.*

Ita dùm Chriſtus Joanni ſeſe exhibuit ſub formâ cœleſti inſuetâ, & multùm diſſimili ei, quâ in terris apparuit *in ſimilitudinem hominum factus,*

ctus, & habitu inventus ut homo; Dilectus Diſcipulus, qui ſuprà pectus ad Phil. 2.
amantiſſimi Salvatoris recubuerat, tanto terrore correptus eſt, *ut ceciderit ad pedes ejus tanquàm mortuus*: Illa enim eſt, in ſanctis etiam Prophetis, & Apoſtolis, quandiù in terrâ verſantur, puſillitas, & imbecillitas humani ingenii, ut impar ſit rebus cœleſtibus, ac Divinis contuendis, niſi benignitate Domini, & gratiâ corroboretur: undè ſubjungit Joannes. v.7.

Ex ℣. 17. *Et poſuit dexteram ſuam ſuper me, dicens, noli timere.*

Sic Ezechiel, metu conſternatus, divinam manum ſenſit ſibi opitulantem; & vires tùm animi, tùm corporis præbentem. *Facta eſt*, ait, *ſuper me manus Domini; & ingreſſus eſt in me Spiritus; & ſtatuit me ſuper pedes meos.* Daniel etiam inquit, *jacebam conſternatus ſuper faciem meam; & ecce manus tetigit me, & erexit me ſuper genua mea, & ſuper articulos manuum mearum; & ait ad me, noli metuere.* Ezech. 3. v. 22. 24. Dan 10. v. 9. 10. 11.

Quemadmodùm verò Dominus Ezechielem, & Danielem erectos, confirmatoſque docuit multa; ac potiſſimùm Danielem, quis eſſet is cœleſtis Spiritus, quem viderat; pari modo Chriſtus Joannem erudit de ſe ipſo, quem ſub inſolitâ ſpecie conſpexerat. Quamobrem ait. Ezech. c. 2. & 3. Dan. c. 10.

Ex ℣. 17. *Ego ſum primus, & noviſſimus.*

Legimus apud Iſaiam, *Quis hæc operatus eſt, & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus; Primus, & noviſſimus ego ſum.* Ac rurſùs, *hæc dicit Dominus, rex Iſraël, & redemptor ejus, Dominus exercituum; Ego primus, & ego noviſſimus, & abſque me non eſt Deus. Atque iterùm; Ego ipſe, Ego primus, & ego noviſſimus: manus quòque mea fundavit terram, & dextera mea menſa eſt cœlos.* Iſai. 41. v. 4. Iſai. 44. v. 6 Iſai. 48. v. 12. 13.

Apocalypſis autem hocce capite primo, verſu octavo, hæc habentur, *Ego ſum α, & ω, principium, & finis, dicit Dominus Deus.* Et hoc verſu decimo ſeptimo, quem pertracto, *Ego ſum primus, & noviſſimus*: Quæ duæ ſententiæ ſimul conjunguntur in unam Apocalypſis capite vigeſimo ſecundo, verſu decimo tertio, his verbis, *Ego ſum α, & ω; primus, & noviſſimus; principium, & finis*: Undè patet illa tria idem prorsùs ſignificare; ac conſequenter, cùm Dominus dicit nunc dumtaxat, *Ego ſum primus, & noviſſimus*, idem innuit ac cùm dixit, *Ego ſum α, & ω, principium, & finis.* Apoc. 1. v. 8. Apoc. 1. v. 17. Apoc. 22. v. 13.

Igitur Chriſtus filius Dei, ac verus Deus, *primus eſt*, quia *primogenitus* eſt ante omnem creaturam, & *ipſe eſt ante omnes*; & uti talis, eſt principium omnium, quia omnia *condidit, viſibilia, & inviſibilia*. Eſt verò *noviſſimus*, quia quemadmodùm neceſſe fuit ipſum eſſe ante omnia, ut crearet omnia; ita oportet ut ſit poſt omnia, quò cuncta conſervet: Quippe Creaturæ nullam ex ſe ipſis vim habent, quâ ſubſiſtant; & ſi centum myriades annorum duraverint, relictæ ſibi ipſis ſequenti momento in nihilum ruent: quamobrem neceſſitas poſtulat ut Deus illarum Creator qui ſervaturus eſt ipſas, ſit à ſe ipſo poſt illas centum myriades annorum; ac deinceps ſit ſemper ex æternitate ſuâ, & immutabilitate poſt quaſcumque Ad Philip. 1 v. 15. 16. 17.

Digitized by Google

creaturas, ut illas, alioquin perituras, ſubſecuturis ſæculis perenniter tueatur. Sic divinum illud oraculum, *Ego ſum primus, & noviſſimus*, hoc primario ſenſu intelligendum eſt, Ego ſum ab æterno, & in æternum: ſecundario autem ſenſu, Ego ſum principium, & finis, nempe omnium creator, conſervator, ac perfector.

Iſai. 48. in comment. S. Hieron. Hinc apud Iſaiam, ubi habemus ex Hebræo, *Ego primus, & ego noviſſimus*, referunt Septuaginta, interprete ipſo Hieronymo, *Ego primus, & ego in ſempiternum:* additur verò ibidem, quòd terram, & cœlum creaverit. Quin etiam alium Iſaiæ locum, quem ipſe Hieronymus traduxit

Iſai. 41. his verbis, *Ego Dominus, primus, & noviſſimus ego ſum*, refert ex Septuaginta, *Ego ſum Deus primus; & in hac, quæ ventura ſunt, ego ſum.*

Attamen Chriſtus, filius Dei, iis ſenſibus, quos explicui, *primus,*

Iſai. 44. v. 6. *& noviſſimus*, non ſolùm eſt Deus, juxta illam Iſaiæ ſententiam, *Ego primus, & ego noviſſimus, & abſque me non eſt Deus*; ſed etiam homo factus eſt propter hominum ſalutem. Quâ de cauſa ſubjungit Joannes.

℣. 18. *Et vivus, & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum, & habeo claves mortis, & inferni.*

Quaſi diceret: Vivus ſum, tametſi, ut Summus Sacerdos, qualem me mox tibi cœlitùs exhibui, conſtitutus à Patre in æternum perfectus, obtulerim me ad mortem tanquam hoſtiam pro peccatis hominum gratiſſimam Patri. Vitam autem, quam ex eo, qui mihi eſt erga Patrem, & genus humanum, amore profudi, reſumpſi benignitate Patris, ac meo jure, tantâ cumulatam gloriâ, ut immortalitate beatiſſimâ perfruar; habeamque poteſtatem educendi è tumulis, ac quibuſcumque aliis locis, ubilibet jacuerint, omnes mortuos, ut redivivi ſiſtantur mihi tanquam ſummo judici, pœnas pro pravis, aut præmia pro ſanctis operibus excepturi.

Hæc Chriſtus, cùm in terris loqueretur, pluribus dixerat in civitate

Joan. 5. à v. 21. ad 30. terrenâ Ieruſalem; eaque retulit ſanctus Joannes in Evangelio. Eadem aliis, & paucioribus verbis Divinus Magiſter inculcat è Cœleſti Ieruſalem; & declarat Dilecto Diſcipulo.

Quæ cùm ita ſint, inquit, *Noli timere*, & jacere quaſi exanimis ex aſpectu meo cœleſti: *Ego ſum primus, & noviſſimus*; ab æterno in æternum, quod tibi honorificum eſt, proficuum, & volupe: etenim ab æterno te dilexi, & in æternum te diligam. Ut *primus* etiam unum te ex primis diſcipulis meis ſelegi; ac præcipuâ charitate inter collegas tuos complexus ſum. Ut *Noviſſimus autem* te noviſſimum illorum, ac ſuperſtitem in terris volui, ut Eccleſiam, quam acquiſivi ſanguine meo, præſentiâ tuâ, & meo nomine foveas, eò majorem in Cœlis gloriam conſecuturus, quò diutiùs mei causâ in terra commoraris. *Vivus ſum*; noli

Joan. 20. v. 20. 21. timere quòd appaream tibi reſplendens è cœlo, quandoquidem dudùm *gavisus es viſo* me redivivo; & *pacem*, ac ſecuritatem, ut eâ in perpetuum fruaris, tibi tùm contulerim. *Fui* ſanè *mortuus*; ſed tunc temporis non jacuiſti exanimis; nec horrueras me dira quæque, ac probroſa patientem; immò ſteteras intrepidus juxta crucem; meque ei affixum inſpexeras, & dilexeras.

dilexeras. Quantò magìs oportet te interritum, & ſtantem, ubi videas me, non ampliùs exaltatum in Crucem cum dedecore, vel jacentem tanquam mortuum, ſed elevatum cum gloriâ in Cœlum, ubi ſto ad dexteram Patris; *& ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum? Si diligis me*, ut novi, velim *gaudeas* quòd jam ſim apud Patrem, ab illo numquam diſceſſurus; nec is mihi eſt animus, ut vita æterna, quâ perfruor, terreat te, atque exanimet; quin potiùs peropto, ut te exhilaret, ac refoveat; quippe ſis in ejus conſortium admittendus. Nam *& habeo claves mortis, & inferni*, ut è faucibus mortis te eripiam; & redivivus meâ benignitate, & gratiâ vitam æternam conſequaris. Joan. 14. v. 28.

Verùm piiſſimus Salvator, non tantùm ut timorem ex ſui aſpectu cœleſti incuſſum Joanni excuteret, dixit ſe primum, & noviſſimum; à morte ſuſcitatum, ſemper victurum; & mortuos ad vitam revocaturum: ſed etiam ea verba protulit, ut indicaret Dilecto Diſcipulo quâ poteſtate, dignitate, majeſtate jamjam traditurus eſſet ipſi peculiaria mandata; quâve ſcientiâ illuſtratus revelaret ei arcana plurima, etiam temporibus uſque ad conſummationem ſæculi elapſuris futura. Quapropter ex præfatis verbis, *Ego ſum primus, & noviſſimus; & vivus, & fui mortuus; & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum, & habeo claves mortis, & inferni*, concludit.

℣. 19. *Scribe ergo quæ vidiſti, & quæ ſunt, & quæ oportet fieri poſt hæc.*

Tanta mihi eſt Majeſtas, ut Deus ſim ab æterno in æternum; *primus & noviſſimus:* tanta dignitas, ut quamvìs causâ ſalutis hominum necem mihi indebitam ſubierim, tamen Sanctitate mortis meæ promeruerim reſurrectionem meam, & vitam æternam; eamque mihimetipſi contulerim; *fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum:* Denique tantâ polleo poteſtate, ut Judex ſim cunctorum hominum; ac propterea illos omnes è ſepulchris ſim evocaturus coram me, & à me judicandos; *Et habeo claves mortis, & inferni.* Fac igitur quod tibi, ut Deus, ut Salvator, ut Judex præcipio. Mandata Dei ſunt, quæ obſervare debeat Creatura Deo ſuo ſubjecta. Præcepta Salvatoris ſunt, quæ nemo ſalvandus reſpuat. Decreta Judicis ſunt, executioni haùd dubiè danda. *Scribe ergo quæ* jubeo.

Declaratâ ex præfatis verbis poteſtate, dignitate, & Majeſtate, quâ Dominus ſcribenda præcipit Joanni, ſequitur ut ſubjiciam ob oculos legentium quâ ſcientiâ perfuſus Cœleſtis Magiſter Diſcipulo in terrâ verſanti traditurus ſit rerum ad extrema uſque tempora futurarum cognitionem.

Quoties Dominus per Iſaiam ſeſe nuncupat *Primum, & Noviſſimum*, toties declarat ſe ſolum, & non Deos gentium, noſſe, & ſuis priorum ſæculorum Prophetis revelaſſe futura, quæ poſtmodùm evenerunt; ac iterùm ſcire, & patefacere quæ ſubſequentibus ſæculis ſunt eventura. Sic cùm prædicit futurum Regem Perſarum Cyrum, qui ſubigat Babylonios, & libertatem concedat Iſraëlitis redeundi è captivitate Babylonicâ in terram ſuam, ait capite quadrageſimo primo, *Ego Dominus primus,* Iſai. 41. v. 4. 22. 23.

Digitized by Google

mus , & noviſſimus : ac poſteà , *accedant , & nuntient nobis quæcumque*
ventura ſunt ; priora , quæ fuerunt , nuntiate , & ponemus cor noſtrum ; &
ſciemus noviſſima eorum ; & quæ ventura ſunt indicate nobis. Annuntiate
quæ ventura ſunt in futurum ; & ſciemus quia Dii eſtis vos. Similiter capite
Iſai. 44. quadrageſimo quarto , *Ego primus , & ego noviſſimus. Quis ſimilis mei ?*
v. 6. 7. *Vocet , & annuntiet ; & ordinem exponat mihi , ex quo conſtitui populum an-*
tiquum ; ventura , & quæ futura ſunt , annuntient eis. Denique capite qua-
Iſai. 48. drageſimo octavo , *Ego primus , & ego noviſſimus. Congregamini omnes*
v. 12. 14 15. *vos , & audite. Quis de eis annuntiavit hæc ? Dominus dilexit eum : faciet*
16. *voluntatem ſuam in Babylone. Ego , ego locutus ſum , & vocavi eum. Acce-*
dite ad me , & audite hoc , non à principio in abſcondito locutus ſum ; ex tem-
pore , antequàm fieret , ibì eram.

Ex illis Iſaiæ patentibus locis facile eſt rationem reddere verborum
Chriſti è Cœlo prolatorum Joanni , ut ei futurarum , & recondita-
rum rerum cognitionem traderet. *Ego ſum primus, & noviſſimus,* ab æterno, &
in æternum Deus : Ideòque antiqua , quæ primis ſæculis fuerunt , novi ;
& ea , quæ noviſſimis temporibus eventura ſunt , ſcio. Quippe , cùm
mea Æternitas omnia tempora complectatur, cuncta, quæ quibuſvis tem-
poribus contigere , vel accident , intellectui meo divino præſentia ſunt,
ac perſpicua. Cùm autem amore te proſequar æterno , velim tibi nota
facere arcana Cœleſtia , nec non plurima , quæ ab æterno decrevi futu-
ris temporibus eventura. *Scribe,* ergo ſtupenda , quæ vidiſti in memetipſo
è cœlis apparente tibi ; & quæ ſint eorum ſignificationes , ac quæ opor-
tet ex decretis æternæ ſapientiæ meæ , & poteſtatis fieri ſubſecuturis ſæ-
culis.

Chriſtus quidem , ut Deus , eſt vita æterna ; verùm , ut homo, vitam
ad Col. 2. humanam , & temporaneam in terris duxit , quamvìs *omnis plenitudo Di-*
v. 9. & 3. *vinitatis inhabitaret* etiam in ipſius corpore Sacratiſſimo ; atque *omnes The-*
ſauri ſapientiæ , & Scientiæ eſſent abſconditi in ejus animâ Sanctiſſimâ ; ta-
men Humanitas illius Divinitatem ſibi inditam non exeruit , niſi paulatim
ad Col. 2. per quoſdam actus mirandos , Deo dignos ; nec *divitias intellectus* ſui &
v. 2. theſauros cognitionis ſuæ immenſos protulit niſi per partes in gratiam di-
ſcipulorum , prout Pater , cui ſuberat , vel præcipiebat , vel concedebat.
Matth. 13. Hinc ipſemet *ait illis , vobis datum eſt noſſe myſteria regni Cœlorum* ; tuibis
v. 11. *autem non eſt datum. Qui miſit me Pater ipſe mihi mandatum dedit quid di-*
Joan. 12. *cam , & quid loquar. Omnia quæcumque audivi à Patre meo* , nempe vobis
v. 49. dicenda , *Nota feci vobis. Adhuc multa habeo vobis dicere , ſed non poteſtis*
Joan. 15. *portare modò.*
v. 15.
Joan 16. Illa certè Chriſti oracula fidem faciunt ipſum, tametſi plenum gratiæ,
v. 12. & veritatis , non edocuiſſe diſcipulos niſi ea , quæ vellet Pater Optaſſet
quidem ex propenſione benignitatis ſuæ amantiſſimus Salvator divitias
ſapientiæ ſuæ protinùs, & copioſiſſimè in omnes homines diffundere ; ſed
ſeveritate Patris æquiſſimà retinebatur , quòd abjiciendas eſſet aliquandiù
propter peccata hominum, quæ exſolvenda ſuſceperat ; ipſique mortales
indigni

indigni eſſent tàm promptam, & tàm uberem ſcientiam Dei percipere. Verùm ubi Chriſtus vitamDivino-Humanam eximiâ charitate profudit ad gloriam immenſam Patris; eique plenariè ſatisfecit morte ſuâ ſanctiſſimâ pro peccatis hominum, promeruit ſibi ipſi gloriam; hominibus autem gratiam, quâ perfunderet ſelectos diſcipulos uberiùs ſapientiæ ſuæ luce; eamque illorum miniſterio in omnes gentes brevi tempore refunderet. Id præſtitit tùm per ſeſe poſt reſurrectionem ſuam, *per dies quadraginta apparens* diſcipulis, *& loquens eis de regno Dei*, atque *aperiens illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas*; tùm per Spiritum Sanctum, quem glorificatus Aſcenſione ſuâ in Cœlum effudit abundè in illos, quò docerentur omnem veritatem, muneri ſuo Apoſtolico perfectè obeundo convenientem, & nationibus ſcientiâ Dei imbuendis neceſſariam. Act.1.v.3. Luc.24. v.45.

Sed præter illam gratiæ, & ſcientiæ divinæ effuſionem,quam Chriſtus, vitam ſuam profundens, promeruit; aſſecutus eſt pretio mortis ſuæ infinito, ut innumera alia arcana cœleſtia, electis ſuis in terrâ degentibus proficua, ſibique gloriam, & adverſariis confuſionem allatura, revelaret. Docuit Apoſtolos quæ congruerent converſioni gentium peragendæ:Docturus eſt Dilectiſſimum Diſcipulum,ſolumex Apoſtolis ſuperſtitem,quæ decrevit juxta ſapientiæ, & æquitatis ſuæ leges variis temporibus fieri, ut Eccleſiam ſuam in perpetuum tueatur; & adverſantes ei poteſtates hujus ſæculi dejiciat.

Eapropter videbimus Apocalypſis capite quinto ſolum Chriſtum, *Quoniam occiſus eſt*, dignum aperire librum, quo continentur arcana rerum futurarum beato Joanni revelandarum; & tùm *adorabitur* à Cœlitibus tanquam *vivens in ſæcula ſæculorum*. Nunc autem his verbis, quæ interpretor, ipſemet Chriſtus dicit, *vivus*, nempe ſum; *& fui mortuus; & ecce ſum vivens in ſæcula ſæculorum: ſcribe ergo, quæ vidiſti, & quæ oportet fieri poſt hæc:* Morte enim, quam vltrò paſſus eſt Chriſtus, quaſi eſſet ſeductor, tametſi eſſet ipſamet veritas, promeruit ut panderet fidiſſimis multa arcana cœleſtia, & complura, quæ in terris futura ſunt ad gloriam illius, & Eccleſiæ decus perenne. Victurus eſt etiam perpetuò ad dexteram Patris, *ut ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum.* Apoc 5. v.5.12.14. Pſ.109.v.1.

Ex ℣.19.*Scribe,quæ vidiſti* cælitùs in me ſigna,quæ ſtuporem tibi injecerunt; *& quæ ſunt*,ideſt,quid ſignificent; nam paulò poſt Chriſtus declarans Joanni ſignificationem ſeptem ſtellarum,& ſeptem candelabrorum,quæ ei apparuerant,ait,*Septem ſtellæ, Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum;& Candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.* Alio item ſenſu explananda mihi videntur hæc verba, *Et quæ ſunt*, nimirùm non tantùm ſcribe quæ vidiſti in me apparente tibi è Cœlo,& quid ſignificent; ſed etiam ea, quæ ſunt in ſeptem Eccleſiis Aſiaticis, illarumque præſulibus correctione, vel laude digna: ea enim tibi mox patefaciam.

Ex ℣. 19. *Et quæ oportet fieri poſt hæc.*

Poſteaquàm Chriſtus Apocalypſis capite ſecundo, & tertio ſeptem Epiſcopis Aſianis ſcribenda dictaverit Joanni, dicet illi ſtatim initio Ca-

pitis quarti, *Aſcende huc; & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc.* Præparat igitur nunc illum ad ſcribendum ea, quæ poſt conſcriptas Aſiæ Præſulibus epiſtolas oportet fieri, tùm ab ipſo Chriſto, & Angelis, ac ſanctis in Cœlo ſibi aſtantibus, ut impietatem Ethnicam prorsùs ex orbe univerſo eliminet, & regnum in omnes gentes adipiſcatur; tùm ab impiis Dæmonum cultoribus adversùs Religionem Chriſtianam; tùm ab ipſis fidelibus Chriſto addictis, ut patientiam ſuam, & poteſtatem oſtendant.

℣. 20. *Sacramentum ſeptem ſtellarum, quas vidiſti in dexterâ meâ; & ſeptem candelabra aurea.*

Pro Sacramento, Græcè μυστήριον; nempe arcana, myſtica, & ſacra ſignificatio ſeptem ſtellarum, & ſeptem Candelabrorum, hæc eſt.

Ex ℣. 20. *Septem ſtellæ*, non quidem reipſâ, ſed ſignificatione ſuâ ex mente Chriſti, *Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum.*

Quemadmodùm enim ſtellæ creatæ ſunt, ut diſcuſsâ noctis caligine terram ſuâ luce perfundant; ſic Epiſcopi conſtituti ſunt, ut tenebris errorum, vitiorumque depulſis, mundum impleant doctrinæ ſuæ, ac virtutis
Matth. 5. ſplendore. Sicuti etiam ſtellæ in Cœlo ſitæ ſunt, ut cœleſtes influxus in
v. 14. terram emittant: ita Præſulum mentes oportet in cœleſtibus verſari, ut
ad Philip. hominibus terræ defixis amorem cœleſtium inſpirent. Prætereà, non ſecùs
3. v. 20. ac ſtellæ, quò altiores ſunt, eò minores videntur, quamvis revera ſint
maximæ; ſic conſentaneum eſt, ut quò altiùs Epiſcopi dignitate ſupra
Matth. 20 cæteros homines evecti ſunt, eò minores cunctis ſeſe humiliter exhibeant.
v. 26. Hæc de Epiſcopis dixi, comparatione illorum factâ cum ſtellis.

Cur verò eoſdem Præſules Chriſtus nuncupaverit Angelos, declarabo.
Compertum eſt ex lectione Prophetarum, *Angelos Deo aſſiſtere; ipſique*
Dan. 7. *miniſtrare.* Similem in modum Epiſcopi aſtant Majeſtati Diuinæ; eique
v. 10. ſerviunt, tàm ſuo, quàm eorum, quibus præſunt, nomine. Angeli *omnes*
ad Heb. 1. *ſunt adminiſtratorij Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem*
v. 14. *capiunt ſalutis.* Sic Epiſcopi *Miniſtri Chriſti* ſunt; ab eo, ut fidelibus æter-
1. ad Cor. 4. v. 1. nam ſalutem procurent, deputati. Caſtos, & temperantes Epiſcopos
2 ad Tim. oportet eſſe tanquam Angelos, ita ut de illis meritò dicatur, quòd *Non*
2 v. 10. *ſint in carne, ſed in ſpiritu*; &, dùm videntur cum hominibus manducare,
ad Rom. *cibo invisibili* verbi divini utantur. Sicut Angeli timorem, quem aſpectus
8. v. 9. Tob. 12. ſui fulgore ſanctioribus etiam viris aliquando incutiunt, benignitate ſuâ
v. 19. diſcutiunt; ita Præſules quos ſplendore dignitatis ſuæ terrent, comitate
ſuâ deliniant.

Verùm non ſatis eſt Angelis in univerſum ſpectatis comparaſſe Epiſcopos; lubet illos cum variis Spirituum Cœleſtium ordinibus conferre.

Ardeant, ut Seraphim, igne charitatis divinæ Epiſcopi. Luceant, veluti
Cherubim, lumine ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Sedentes in Thronis, ipſi
ad Eph 3. tanquam Throni Cœleſtes Divinam in ſe ipſis ita recipiant Majeſtatem,
v. 19. ut *impleantur in omnem plenitudinem Dei.* Vocentur Domini; ſed per illos,
Judic. v 9 ad Rom 9. quaſi per Angelicas Dominationes, *Dominetur Dominus, qui eſt ſuper om-*
v. 5. *nia Deus benedictus.* Sic poteſtatem in ſubditos exerceant, ut Cœleſtium
Poteſtatum

Digitized by Google

Poteſtatum exemplo, *Non poßint aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate*; ſintque *ad ædificationem, & non ad deſtructionem*. Virtutibus omnibus, ad inſtar Virtutum Angelicarum, ſint ornari; & tanquam Principatus Cœleſtes, primùm ea, quæ aliis facienda propoſuerint, agant. Similes erunt Archangelis, ſi majora, nempe ſpiritualia, & ſacra quæque per ſe ipſos obierint; minora verò, nimirùm temporalia, per alios inferioris gradus probatos viros exequantur. Ultimi tandem ordinis Angelorum cenſebuntur imitatores, cùm ea, quæ ſuperborum oculis viliſſima videntur in Domo Dei, piâ, & humili ſedulitate, ac prudentiâ providerint. 2.ad cor. 13.v.8. c.10.v.8.

Iis, quæ relata ſunt, fideles intelligent cur Epiſcopos, tùm ſtellis, tùm Angelis Dominus comparaverit. Accipiant jam quibus de cauſis Eccleſias Candelabris, & quidem aureis, deſignaverit.

Ex ℣. 20. *Et Candelabra ſeptem, ſeptem Eccleſiæ ſunt.*

Non ſecùs ac Candelabris ſuperimponuntur lucernæ, quæ domibus illuceant: ſic Eccleſiis ſupereminent Epiſcopi, ut doctrinæ, & vitæ ſuæ ſplendorem eximium in omnes domeſticos fidei diffundant. Quemadmodùm etiam Candelabra lucernis recipiendis aptantur quàm maximè: ita Congregationes fidelium, Eccleſias conſtituentium, coaptent ſe ad amuſſim gratiâ divinâ, & cooperatione ſuâ, ut micantes Epiſcoporum virtutes, ſcientiamque fulgentem excipiant. Quocirca ſicuti Candelabrum Tabernaculi Moſaici erat ex juſſu Domini ſeptiforme, ſeptem lucernas continens: ſic unaquæque Eccleſia ſeptem dona Spiritus ſancti in ſeſe ſemper habeat; hiſque etiam ſeptem virtutibus, fide, ſpe, charitate, prudentiâ, juſtitiâ, fortitudine, ac temperantiâ perpetuò reſplendeat. Matth.5. v.15.

Septem verò Candelabra, ſeptem Eccleſias Aſiaticas ſignificantia, erant *aurea*: Etenim aurum incorruptibile, omnium metallorum pretioſiſſimum eſt: At fideles, ex quibus coaleſcunt Eccleſiæ, *Regenerati ſunt in ſpem vivam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hereditatem incorruptibilem, conſervatam in cœlis*; & *oportet ut probatio fidei* illorum, *multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem in revelatione Ieſu Chriſti.* Apoc.1. v.20. 1.Petr.1. v.3 4.6.7.

EXPLANATIO VII.

Referens ad Oneſimum Epiſcopum Epheſinum ſeptem primos verſus Capitis ſecundi Apocalypſis.

Vers. I. Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe : Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dexterâ ſuâ, qui ambulat in medio ſeptem Candelabrorum aureorum.

ỷ. 2. Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inveniſti eos mendaces.

ỷ. 3. Et patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti.

ỷ. 4. Sed habeo adversùm te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti.

ỷ. 5. Memor eſto itaque undè excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac : Sin autem, venio tibi, & movebo Candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.

ỷ. 6. Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaïtarum, quæ & ego odi.

ỷ. 7. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.

verſ. 1. *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe.*

PERSPICUUM eſt in Sacrâ Scripturâ Summum Ponti-
1. Reg. 4. ficem, qui vocabatur Heli, circa *nonageſimum octavum*
v.15. *ætatis ſuæ annum*, graviter fuiſſe à Deo reprehenſum, quòd,
1. Reg. 3. cùm *noviſſet filios ſuos indignè agere contra Dominum*, &
v.13. *contra officium Sacerdotum ad populum*, *non corripuerit eos*,
c.2.v.12. quemadmodùm oportuit. At Jeſus Chriſtus, Filius Dei, in æternum perfectus, qui Sacerdotium Summum aſſecutus eſt à Patre, ut non modò perficeret

perficeret legem, verùm etiam suppleret defectus Sacerdotii antiqui, & eorum, qui illud perperam exercuere, non poteſt non corripere Sacerdotes ſibi ſubditos, qui minùs dignè munia ſua obeunt; ac in Sacris Miniſteriis ſuis nonnihil delinquunt. Quapropter, cùm tempus, quo Chriſtus Apocalypſim confert, ſit ab illius Incarnatione, ſive ab ordinatione, & conſecratione ejus in Summum Pontificem, *nonageſimus octavus annus*, hoc ipſo anno erga Eccleſiæ ſuæ miniſtros, quorum inſtitutor, & Pater eſt, agit ſanctiùs, ac juſtiùs, quàm ſe geſſerit Heli pari anno vitæ ſuæ erga filios ſuos Sacerdotes, graviſſimè in Deum, & in plebem peccantes.

Euſeb in Chron. numerans annos Chriſti, ab ejus tantùm nativitate, collocat Apocalypſis traditionem an. 97.

Chariſſimo autem Diſcipulo, ac fidiſſimo ſibi in omnibus Miniſtro libenter utitur Dominus, ut illam correptionem ſuam Epiſcopis delinquentibus ſignificet; quemadmodùm Deus *Samuele miniſtrante ſibi, & fideli Propheta*, uſus eſt ad ſententiam, quam adversùs Heli, & filios ejus iniquos protulerat, denunciandam. Samuel quidem vivæ vocis oraculo declaravit ipſi Heli, cui aderat, divina decreta: Cùm verò ab illis Epiſcopis, qui corripiendi ſunt, Joannes abſit; nec liceat ei illos adire, ſcribenda jubet Dominus, quæ in ipſos dicturus eſt tanquàm Summus Pontifex, & Iudex.

1. Reg. 3. v. 1. 10.
1. Reg. 3. v. 18.

Epheſinum Epiſcopum in primis corripit, quòd Epheſus eſſet omnium Civitatum Aſiæ præcipua; in eâque paulò antè commoraretur Joannes. Is autem Præſul erat *Oneſimus*, qui ex Martyrologio Romano *converſus ad fidem à Paulo Apoſtolo, Epheſiorum Epiſcopus ab eodem poſt ſanctum Timotheum ordinatus eſt*; quique ſuperſtes fuit poſt obitum ſancti Joannis, ut patet ex Epiſtolâ beati Ignatii Martyris ad Epheſios infrà à me multis in locis referendâ: in eâ enim, ſicuti etiam Euſebius annotavit, *mentionem facit Ignatius Oneſimi, qui Eccleſiæ Epheſinæ Paſtor erat.*

Martyr. Rom. 16. Febr.
Euſeb hiſt l. 3. c. 30.

Ex ℣. 1. *Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dexterâ ſuâ.*

Dùm populum ſuum Deus corripiebat per Prophetas, ſuggerebat illis, non ſolùm quid ſentiret, ſed etiam quid ejus authoritate dicerent: undè conſueverunt hanc præfationem, *hæc dicit Dominus*, omnibus ſermonibus ſuis præmittere, quò populus illos, *non ut verba hominum, ſed tanquam verba Dei, ſicuti verè erant*, exciperet; majoremque ex illis fructum perciperet. Ita nunc Chriſtus, homo Deus, cùm Epiſcopos admonitos velit operâ Dilecti Diſcipuli, non tantùm ei indicaturus eſt quid delinquant; quidve ipſis, ut reſipiſcant, præcipiat; ſed & ipſamet verba, quæ illius nomine debeat ſcribere, dictitabit.

1. ad Theſſ. 2. v. 13.

Quamobrem jubet ut ſcribat Epheſino Epiſcopo, *hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dexterâ ſuâ.* Perpendat præfatus Antiſtes eum, qui ipſi loquitur, eſſe Chriſtum, Summum Pontificem, à quo Epiſcopi, Stellis anteà ſignificati, non minùs pendent quàm res ab eo, cujus ſunt in manu.

Nullus quoque eſt Præſul, qui Chriſto, velut organum cauſæ primariæ conjunctum, ſactis in miniſteriis non debeat coagere, ſicuti manus cum

animâ, cujus eſt unum ex præcipuis ejus organis, id, ad quod ab illâ movetur, agit. Deinde peroptat Dominus, ut ſciant Antiſtites ſe tam charos eſſe ei ac illa, quæ ad ornamentum, vel etiam ad oſtentationem in dexterâ geſtantur, amari ſolent ab iis, qui illa geſtant: amor autem, quo Chriſtus erga Præſules ſibi in officio ſacerrimo conjunctos, propenſus eſt, movet eum ut vehementer cupiat illos ſplendore virtutum, ac doctrinæ lucere tanquam ſidera.

Nec mirentur, ſi illos præ ſe ferens in manu, corripiat ipſos, ut nubeculas vitiorum, aliaſve maculas iis ſuperfuſas abſtergat, cùm Moſai-
Exod. 30. v. 7. cus Pontifex ſeptem lucernas, quæ veluti ſtellæ noctu lucebant in Tabernaculo, curabat emungi, ut fuligine illarum deterſâ clariùs fulgerent.

Ex ℣. 1. *Qui ambulat in medio ſeptem Candelabrorum aureorum.*

Pontifex ille veteris legis curam quòque adhibebat, ut Candelabrum aureum, cui ex ſeptem lucernæ ſuperimponebantur, ſemper niteret ad decorem Domus Dei: ſic Summus Sacerdos Chriſtus providet, ut non tantùm Epiſcopi, lucernis ſacris, ac ſtellis comparati, ſed etiam Eccleſiæ, Candelabris ſignificatæ, virtutibus perpetuò niteant ad gloriam Di-
1. Petr. 1. v. 16. vinæ Majeſtatis; quippe deſiderat ut omnes in eum credentes *Sancti* ſint, *ſicut* & ille *Sanctus* eſt.

Exod. 25. à v. 31. Quia verò Candelabrum Tabernaculi aureum ita fabrefactum erat, ut ex uno ejus ſtipite prodirent ſex rami, tres videlicet ex utroque latere; Pontifex, circa ſtipitem medium ſtans, facilè perſpiciebat, quo in ſtatu eſſet totum Candelabrum; præſtabatque illico quidquid neceſſe erat ad decorem illius, & ſplendorem; nimirùm à ſtipite ad ſingulos ramos ſeſe circumferens, quidquid eis inerat pulveris, olei, ac fuliginis, abſtergebat. Pari modo Chriſtus ſeptem Eccleſias Aſiaticas, ſeptem Candelabris aureis adumbratas, mente perambulat, ac viſitat, ut, ſi quam contraxerint, labem deleat; congruumque eis decus conferat.

Cùm autem in curſu viſitationis ſuæ ſpiritalis animadverterit Epheſinam Eccleſiam, ejuſque Epiſcopum non in eo eſſe ſtatu, quo vellet, præcipit ſcribendum præfato Antiſtiti, quid in ipſo, ejuſque Clero, & populo reprehendendum judicet; ac quâ ratione illud emendent.

℣. 2. *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam.*

Matth. 25. v. 24. Servus ille piger, Evangelicâ parabolâ diffamatus, ut ſuam, ſi poſſet, excuſaret ſegnitiem, auſus eſt nimiæ ſeveritatis Dominum arguere: Sed Dominus, nè ab Epheſino Epiſcopo auſterus exiſtimetur, increpationem ſuam laudibus ejus benignè emollit; animumque delinit, priuſquàm acrimoniâ quâdam ſalubri pectus ejus afficiat. Quapropter ait, *Scio opera tua*, pietatis in Deum, & charitatis erga proximum, quæ dudùm,
Martyrol. Rom. 16. Febr. de Oneſimo. ac perſæpè exercuiſti. Novi *labores*, quos *in Evangelii prædicatione, quæ tibi commiſſa eſt*, ſuſcepiſti, ſive ut Chriſtianos confirmares in fide; ſive ut ad eam perduceres non credentes. Comperta mihi eſt *patientia tua*, in ſufferendis malis, quæ tibi, & Eccleſiæ tuæ illata ſunt ex perſecutione Infidelium; multùmque tibi tribuo quòd mei causâ aliquid perpeſſus ſis.

Ex

Digitized by Google

Ex verſ.2. *Et quia non potes ſuſtinere malos.*

Sic autem Dominus laudat patientiam Oneſimi, ut commendet maximè zelum illius in abigendis, ſicut mihi videtur, Carpocratianis, Cerinthianis, aliiſque nequiſſimis Hæreticis, qui tunc temporis graſſabantur; & tanquàm lupi rapaces conati fuerant gregem ejus invadere. Ipſe enim, ut pote Paſtor Bonus, non paſſus eſt feras illas immanes in ovile ſuum irruere; nec vel unam ovium ſuarum mactare: ſed magno animo belluas illas repulit; oves autem ſuas diligenter cuſtodivit, quemadmodùm paulò poſt confirmabo ex Epiſtolâ Sancti Ignatii Martyris ad Epheſios.

Ex verſ.2. *Et tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inveniſti eos mendaces.*

S.Iren. l.1. de Hæreſ. c.24. de Carpocratianis, ſeu Gnoſticis.

Referente Sancto Irenæo, *Carpocratiani, & Cerinthiani ad velamen malitiæ ſuæ divino nomine* Chriſtiano, quod ſibi arrogant, *abutuntur*; atque etiam *ad tantum elationis provecti ſunt, ut quidam ſimiles ſe eſſe dicant Ieſu: quidam autem adhuc ſecundùm aliquid illo fortiores: tametſi in tantum inſaniâ effranati ſint, ut omnia quæcumque ſunt irreligioſa, & impia, poteſtatem habere operandi ſe dicant.*

Id infertur ex loco citato S.Irenæi.

Ex S.Iren. ibidem.

Eapropter Hæreticos illos, qui non modò Chriſtianos ſe aſſerunt, ſed etiam jactitant *Apoſtolos* eſſe, ſive *miſſos, non ſecùs ac Ieſum, à Deo Patre Ingenito*; ſive delegatos ab ipſomet Chriſto, præfatus Oneſimus *tentavit*; hoc eſt, examinavit; miſſionemque illorum, doctrinam, & mores diſcuſſit. Inde autem comperit *eos mendaces* eſſe, quippe qui doceant veritati contraria, tùm de Deo, quem negant eſſe mundi Creatorem; tùm de Chriſto, quem mentiuntur è Joſeph natum; ac conſequenter probè novit Oneſimus illos Hæreticos, nec à Deo Patre Ingenito, nec à Chriſto Domino Miſſos eſſe, ſed à Diabolo, cujus etiam Spiritu nequam, & immundo perciti, *artes Magicas exercent*; *ac vitam luxurioſam* ducunt. Quamobrem illos tanquàm veritatis, & ſanctitatis corruptores abegit Oneſimus.

Huic explanationi verborum Apocalypſis apptimè conſonat, quod ſanctus Ignatius, paucis annis ab Apocalypſi traditâ, ſcripſit Epheſiis, dùm eſſet Smyrnæ, quò illum vinctum, & Romam ducendum, inviſerat Oneſimus Epheſiorum Epiſcopus. Hæc enim Veraciſſimus Martyr de Epheſiorum fide, ac zelo, quas quidem virtutes verbo, & exemplo ſui Epiſcopi, quem plurimùm commendat, provocati exercebant, refert.

S.Ignat. ep. ad Epheſ.

Numeroſam, inquit, *veſtram multitudinem in Oneſimo, viro numquam ſatis ob charitatem prædicando, veſtro autem Epiſcopo, excepi, quem opto juxta Chriſtum Ieſum vos amare, omneſque vos illius ſimiles eſſe. Benedictus Deus, qui donavit vobis talem habere in Chriſto Epiſcopum.* Et aliquanto poſt ait, *Oneſimus ſupra modum laudat veſtrum decentem, compoſitumque ordinem; quòdque omnes ſecundùm veritatem vivitis; & quòd inter vos nullus ſit hæreſi locus.* Deinde inquit, *nonnulli improbiſſimi ſolent malo dolo nomen quidem,* nempe Chriſtianum, *circumferre; ſed patrant quædam indigna Deo; & ſentiunt quæ pugnant cum Dei doctrinâ, quos oportet vos, ut feras evitare.* Ac

poſteà

poſteà, *novi nonnullos per vos tranſeuntes habere perverſam doctrinam peregri-
ni, & maligni Spiritus, quibus negaſtis tranſitum ad ſpargenda zizania; ob-
turatis auribus, nè reciperetis errorem, quem docent; perſuaſum habentes Spi-
ritum illum populi ſeductorem, non Chriſti, ſed ſua ipſius loqui; mendax
enim eſt.*

℣. 3. *Et patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non
defeciſti.*

Verùm, etſi zelo Domini commotus Oneſimus impios illos, & ne-
quiſſimos hæreticos non ferret apud ſe, ſuamque Eccleſiam conſiſtere; ta-
men patientiſſimus erat erga gentes, quæ commorabantur Epheſi; nec
dùm in Chriſtum crediderant. Ex iis enim, quæ Paulus ſcripſerat Timo-
2. ad Tim. theo, didicerat Oneſimus Timothei ſucceſſor, *oportere ſervum Domini*
2. v. 24. 25. *manſuetum eſſe ad omnes; patientem; cum modeſtiâ corripientem eos, qui reſi-*
26. *ſtunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem.
& reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.*
At quamvìs Oneſimus benignum ſe præberet Ethnicis, nihilominùs ab
illis opprobria, maledicta, graviaque alia incommoda patiebatur; nec
tamen animo deficiebat; ſed æquanimiter tolerabat; ac imitator Pauli, à
1. ad Cor. quo ordinatus fuerat, cùm *malediceretur, benedicebat; perſecutionem pa-*
4. v. 12. 13. *tiens, ſuſtinebat; blaſphematus obſecrabat; & in omnibus exhibebat ſemet-*
2. ad Cor. *ipſum ut Dei miniſtrum in multâ patientiâ.*
6. v. 3.

Hanc, quam interpretatus ſum, Oneſimi Epheſiorum Epiſcopi pa-
tientiam, luculenter declarat etiam in Epheſiis à ſuo Antiſtite præclarè in-
S. Ignatius ſtitutis Sanctus Ignatius. *Gaudeo*, inquit, *de vobis, quòd pro aliis homini-*
ep. ad *bus indeſinenter oratis: eſt enim ipſis ſpes pœnitentiæ, quòd Deum nanciſcentur.*
Epheſios. *Convertite itaque ipſos, ut veſtræ diſciplinæ ſe tradant. Sitis vos adverſus iras
eorum, humiles; & eorum maledictis opponite intenſas, continuaſque preces.
Efferos mores illorum manſuetudine vincite, iracundiam lenitate. Efficiamus
eos fratres benignitate, & humanitate. Imitemur Dominum, qui convitiis læ-
ſus non regeſſit convitia; cùm pateretur, non comminabatur; ſed pro inimicis
orabat. Si quis plùs læſus, plura tulerit, hic beatus eſt. Si quis defraudatur, ſi
quis ſternitur propter nomen Domini, hic verè eſt Chriſti.*

℣. 4. *Sed habeo adversùm te, quòd charitatem tuam primam reliquiſti.*

Stupendum ſanè, quòd Oneſimus à Chriſto primùm, & deinde ab
Ignatio de fide, zelo, & patientiâ tantopere laudatus, vituperetur ab
eodem Chriſto juſto judice, quòd *Charitatem ſuam primam reliquerit!* Stu-
porem augebit, atque etiam faſtidium fortaſsè nonnullis pariet, quòd
illa Apocalypſis verba velim ad ipſum Oneſimum transferre, cùm Sanctus
Ignatius, per quem haud dubiè Chriſtus loquebatur, eum appellaverit,
Virum numquam ſatis ob charitatem prædicandum.

Iudicia Dei, fateor, *abyſſus multa:* nec abs re dixerit Paulus, *Nihil*
pſ. 35. v. 7. *mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum: qui autem judicat me, Do-*
1. ad cor. *minus eſt, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia*
4. v. 4. 5 *cordium.*

Ignatius

Digitized by Google

Ignatius itaque externa, quæ ſibi videbantur in Oneſimo præclara, laudat: Chriſtus verò internos Oneſimi defectus arguit. Ignatius eximiam Oneſimi, illum catenis conſtrictum Epheſo Smyrnam convenientis, charitatem, quam expertus fuerat, evehit: at Chriſtus Oneſimum reprehendit, quòd priſtina quædam charitatis officia, quæ dudùm conſueverat in Eccleſiâ Epheſinâ peragere, aliquando intermiſerit abſque ratione ſufficienti. Denique Ignatius Oneſimum monitis Beati Joannis jam emendatum commendat: Chriſtus autem Oneſimum adhuc delinquentem corripit; eumque adhortatur ut reſipiſcens prima charitatis, à quibus abſtiterat, opera rursùs efficiat.

Tribus, ut arbitror, illis modis ſolvi poteſt difficultas propoſita, quæ negotium faceſſebat. Nunc explico, quantâ poſſum perſpicuitate, quæ ſit illa prima charitas, quam reliquiſſe vituperatur Oneſimus. Vox Græca ἀγάπη, à Beato Joanne relata, ejuſque ſolemnis ſignificatio, apud primævos ſcriptores Eccleſiaſticos trita, genuinum, ut reor, præfatæ ſententiæ Apocalypſis ſenſum exhibet.

Quippe Tertullianus in Apologetico teſtatur convivia, quæ fiebant à Chriſtianis inter ſe piè, temperanter, pudicè, modeſtè, & ex charitate, præſertim ad ſolatium pauperum, qui in eis admittebantur, ſolita vocari agapes. *Cœna*, inquit, *noſtra de nomine rationem ſui oſtendit: vocatur enim* Tertull.
ἀγάπη, id quod dilectio penes Græcos eſt. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, Apolog.
lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum: ſiquidem inopes quoque refrigerio c.39.
iſto juvamus, quà penes Deum major eſt contemplatio mediocrium.

Juſtinus autem Martyr ſub finem Apologiæ ſuæ ad Antoninum Imperatorem, declarat Chriſtianorum, tàm Vrbanorum, quàm Ruſticanorum cœtus fieri die Solis, ſeu die Dominicâ; Tuncque poſt ſumptam Euchariſtiam, *ditiores*, inquit, *ſi libet, pro ſuâ voluntate conferunt: Collecta de-* Juſtin.
ponuntur apud præpoſitum: Is ſubvenit pupillis, & viduis, & propter morbum, Martyr
aliamve neceſſitatem egentibus; vinctis quoque, ac peregrinis; & in ſummâ Apolog.
curator fit omnium inopum. Iſta Juſtinus. ad Anton.

Tertullianus etiam affirmat pecunias illas in cœtibus Chriſtianorum collatas diſtribui in gratiam pauperum ex vi charitatis, quæ Chriſtianis eſt propria. *Hæc*, inquit, *quaſi depoſita pietatis ſunt; & diſpenſantur egenis* Tertull.
alendis, humandiſque: Item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſu- Apolog.
lis, vel in cuſtodiis, duntaxat ex cauſâ Dei ſectæ, alumni confeſſionis ſuæ c.39.
ſunt. Sed ejuſmodi vel maximè dilectionis operatio notam nobis inurit penes quoſdam; vide, inquiunt, ut invicem ſe diligant, & pro alterutro mori ſunt parati.

Præterea Sanctus Ignatius Epheſiis ſcribens ait: *Date operam, ut cre-* Ignat. Ep.
brius congregemini ad Euchariſtiam, & gloriam Dei. Quando enim ſæpius in ad Epheſ.
idem loci convenitis, labefactantur vires Satanæ; & ignita illius ad peccatum jacula irrita reſiliunt; veſtra enim concordia, & conſenſus fidei, exitium illius, & ſatellitum ejus ſupplicium eſt. Non itaque vos lædet aliqua diabolica cogitatio, ſi perfectam habueritis in Chriſtum & fidem, & charitatem.

Hervéus in Apocalypſim.

F Idem

Idem Sanctus Martyr ſub finem ejuſdem Epiſtolæ, *Omnes nominatim congregamini, obedientes Epiſcopo, & Preſbyterorum cœtui, mente indiviſâ; frangentes panem unum, quod pharmacum immortalitatis eſt, vitamque in Deo concilians per Ieſum Chriſtum.* Scripſit quòque tàm inſignis Martyr, cùm eſſet Philippis, Heroni Eccleſiæ Antiochenæ Diacono, qui ſucceſſurus ei S. Ignat. ep. ad Heronem. erat in Epiſcopatu, *Synaxes nè negligas; omnes nominatim inquire*: & paulò poſt, *Pauperes noli negligere, ſicubi copia tibi adſit.*

Illis Tertulliani, Juſtini, & Ignatii teſtimoniis perpenſis, mihi videtur Oneſimus Epheſiorum Epiſcopus *primam ſuam charitatem*, ſive agapem, *reliquiſſe*, quòd tempore perſecutionis, quæ imperante Domitiano graſſabatur Epheſi, undè Joannes vinctus abductus fuerat Romam, & Româ relegatus in Pathmoſam inſulam, plebem ſuam ad Euchariſtiam non congregaret tàm crebrò, quàm priùs ſoleret; cùm tamen illâ tempeſtate ſæviente fideles, ſi poſſent, debuiſſent convenire frequentiùs, ut ſumpto Chriſti Corpore, & ſanguine magìs adversùs Diabolum, ejuſque Miniſtros roborarentur; paratioreſque eſſent, ſi neceſſitas poſtularet, ad fundendum ſanguinem pro Chriſto.

Fortaſſe etiam, quando Synaxes eâ in perſecutione celebrabat Oneſimus, non illam, quam anteà, curam adhibebat, ut nullus fidelium conventibus ſacris deeſſet; nec tàm ſedulò, quàm priùs, per Diaconos inquirebat nominatìm de ſingulis Chriſtianis, nùm qui tenerentur adeſſe Divinis Myſteriis, præſentes eſſent; ac tandem, ſi aliquando noverat quoſdam abſque causâ rationabili abeſſe, non illos ita monebat, increpabat, urgebat, ſicuti deberet. Iis igitur in rebus Oneſimus, quemadmodùm Sanctis nonnumquam accidit, quia homines ſunt, humanâ quâdam complacentiâ motus, fortaſſis nimiùm indulgebat quibuſdam Epheſiis, qui vel puſillanimes, vel prudentes apud ſemetipſos, plùs æquo timebant, ne, ſi tàm frequenter, ac ante perſecutionem, convenirent ad Sacram Synaxim, magis occuparentur à perſecutoribus; gravioreſque pœnas ſubirent; & Eccleſia majus detrimentum acciperet.

Cùm autem tunc temporis Epheſii minùs crebrò, & pauciores ad Divina Myſteria convenirent, minùs quòque, quàm anteà, pecuniarum conferebatur ad ſolatium inopum; tametſi perſecutionis illius ſævitie plures, quàm priùs, ad egeſtatem redigerentur Chriſtiani.

Poſtremò rariora erant eo tempore divitum cum pauperibus ex dilectione ſancta convivia, fortaſſis quòd multi putarent perſecutionis acerbæ tempus, non eſſe gaudii, ſed mœroris; in eoque potiùs abſtinendum, quàm convivandum.

Ignat. ep. ad Smyrn. Quapropter illa pietatis, & charitatis opera, quæ ſicuti declarat Sanctus Ignatius ad Smyrnenſes ſcribens, ſolebant fieri authoritate Epiſcopi, qui & illis præſidebat, non erant intermiſſa, vel aliquantiſper neglecta apud Epheſios, niſi quodam aſſenſu Antiſtitis Epheſini.

Igitur, ut ea, quæ dixi, reſumam, Oneſimus corripitur, quòd *charitatem ſuam primam*, hoc eſt, quam anteà conſueverat exercere, reliquerit

rit

Digitized by Google

rit tempore perſecutionis, quatenùs omiſit Epheſios tàm crebrò, & tàm numeroſos, ac priùs, congregare ad opera charitatis, tùm erga Deum in communione ſacræ Euchariſtiæ, tùm erga proximum in ſubventione inopum, & conviviis divitum cum pauperibus.

℣. 5. Memor eſto itaque undè excideris.

Quaſi diceret Dominus; in memoriam revoca, Præſul Epheſine, qualis eras, qualiſve eſſet populus tuus, dùm Synaxes, agapeſve frequentiùs, quàm nunc, curabas fieri: Quot, quantiſque gaudiis ſpiritualibus tunc exultares: Quot gratiis cœleſtibus ex jugi perceptione, ac etiam crebrâ collatione Euchariſtiæ afflueres: Quàm Sanctus Clerus tuus, & quàm pius populus eſſet: Quot egenis, & quàm copiosè ex pecuniis, quæ apud te deponebantur, ſubvenires: Quàm grata mihi erat humilitas, ac modeſtia divitum accumbentium cum pauperibus: Quantâ ferebant inopes jucunditate egeſtatem ſuam, quam ſentiebant à divitibus tantopere honoratam: Quantùm indè decoris accedebat Religioni Chriſtianæ: Quanta tandem tibi, qui illis operibus pietatis, & charitatis præeras, gloria, non tantùm apud homines, ſed etiam apud Deum contingebat. Hæc mente revolve; & vide quàm ex alto gradu virtutis excideris.

Ex ℣. 5. *Et pœnitentiam age*, *μετανόησον*.

Animum muta, & mores. Stude placere Deo magis quàm hominibus, ut dignus ſis ſervus Dei; miniſteriumque illi frequentiſſimum cum univerſâ plebe tuâ exhibe. Lacrymas uberes, ut dimittatur peccatum tuum, ad Galat. 1.v.10.
funde coram eo, cujus ſanguinem aliquoties deſtitiſti fundere ad altare in remiſſionem peccatorum tuorum, & Diœceſis tuæ. Eò crebriùs ora, quò minùs, quàm par erat, Clerum, populumque tuum ad orationem ſolemnem convocaſti. Levioribus de cauſis aliquando abſtinuiſti à cibo, potuque cœleſti: nunc ad emendationem illius culpæ, à cibis terrenis plùs ſolito abſtine. Pauperes aliquali tuâ negligentiâ rariùs, quàm oportuit, à divitibus refecti ſunt: Tu, ſi Patrem pauperum vis offenſum placare, dies aliquot priva te ipſum aliquantiſper alimentis, quæ tibi forent neceſſaria; *& potum tuum cum fletibus miſce*. Denique peccaſti, non tàm fre- Pſ. 101. v.10.
quentes, nec tàm largas, quàm anteà, pecuniarum oblationes in ſolatium egenorum, quorum es curator, procurans; *Peccata tua eleemoſynis*, Dan.4. v.24.
ſaltem ut priùs, copioſis *redime*.

Ex ℣. 5. *Et prima opera fac.*

Hortatur Dominus Oneſimum ad Sacras Synaxes, & ad agapes tàm crebrò, quàm ante perſecutionem, celebrandas; ad idque, præter rationes allatas, poſſum ex Ignatio, Irenæo, & Thodoreto addere, quòd nonnulli hæretici ex Menandro, & Baſilide orti, aſſerentes *Chriſtum pu-* Iren. adv. Hæreſ. l.1.c.21. 22.
tativè tantùm, & non re ipſâ, viſum eſſe hominem, Euchariſtias, & oblationes non admittunt, propterea quòd non confiteantur eſſe carnem Salvatoris, quæ pro peccatis noſtris paſſa eſt, quam Pater ſuâ benignitate ſuſcitavit. Iidem hæ- Ignat.ep. ad Smyrn.
retici *præcepta contemnunt; viduam, & orphanum deſpiciunt; oppreſſum de-*

Theodor. Dialogo 3. contra Eutych. *ſpuunt; vinctum rident; Crucis illos pudet; paſſionem ſubſannant; Reſurrectionem pro fabulâ traducunt.*

Ignat. ep. ad Smyrn. Quapropter ut illis hæreticis quàm maximè ſeſe opponeret Oneſimus; eoſque non doctrinâ tantùm, ſed etiam operibus ſuis refelleret, præcipit Dominus ei, ut tempore perſecutionis æquè frequentes, ac antè, habeat cœtus ad Euchariſtiam, quam verè eſſe carnem Chriſti novit; & ad agapes, in quibus quidquid fit uni ex fratribus, Salvator ſibi factum reputat. Matth. 25. v. 40.

Ex ỿ. 5. *Sin autem, venio tibi, & movebo Candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.*

Luc. 3. v. 8. Quòd ſi hæc, quæ agenda tibi propono, non egeris; nec *fructus feceris dignos pœnitentiæ*; ſicuti nunc advertis me benignum officii tui monitorem, ita protinùs ſenties culpæ tuæ ultorem ſeverum. Mea quidem erga te charitas impellit, ut velim adeas me frequenter in Euchariſtiæ Sacramento: Sed ſi recuſas venire ad me, &, ut antè ſolebas, adducere tecum numeroſum Clerum, ac populum, *veniam* ego ad te citò; & dignitatem, quam tibi contuli, auferam: indignus enim eris, qui eam ulteriùs poſſi-
1. ad Cor. 4. v. 1. 2. deas, ſi non utaris illâ ad beneplacitum Domini tui. An ignoras te *Miniſtrum Chriſti* eſſe, & *diſpenſatorem myſteriorum Dei*; meque exigere ut ſis
Ep. Jac. 2. v. 5. 6. in utroque *fidelis?* Nonne *Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod repromiſit diligentibus ſe? Tu autem exhonoraſti pauperes*, minùs curans, quàm priùs, ut à divitibus haberentur in honore.
Jac. 2. v. 13 Scias itaque, quòd ſicuti *judicium ſine miſericordiâ* futurum eſt *illi, qui non fecerit miſericordiam:* ita non miſerebor tui, niſi pauperum miſerearis. In causâ es cur illi amoveantur à frequenti conſortio divitum; & ego te ab officio tuo, quantumvìs perilluſtri, amovebo. Candelabrum aureum Eccleſiam tuam nuncupavi; ſed *Candelabrum* iſtud comminor me dejecturum *è loco* ſuo, quatenùs illam Eccleſiam affirmo me erepturum è tuis manibus, niſi priſtinam ei curam impendas.

ỿ. 6. *Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaïtarum, quæ & ego odi.*

Verùm etſi ſeverè te corripiam, comminerque tibi depoſitionem, & exitium, niſi reſipiſcas in iis, in quibus officio tuo dees; attende quantùm te diligam, quantique te faciam; cùm priuſquàm te arguerem, virtutes tuas plurimis laudibus extulerim; ac poſteà quàm te vituperavi, iterùm te non mediocriter glorificem. Ejus enim es caſtimoniæ, & ſanctitatis, ut actus Nicolaïtarum impuriſſimos, quos abominor, execreris.

Ignat. ep. ad Philad. Euseb. Hiſt. l. 3. c. 23. Ruffin. l. 3. c. 29. Ignat. ep. ad Philad. Authorum Eccleſiaſticorum teſtimonio illi hæretici *illegitimos concubitus bonum quoddam dicunt; & finem beatitudinis conſtituunt voluptatem: Nicolaum, unum ex illis, qui cum Stephano ab Apoſtolis conſtituti ſunt Diaconi, authorem ſuæ hæreſis ſe habere jactant; ſed falſum nomen ſibi ſumunt: quandoquidem Nicolaus nullam prorsùs agnoverit mulierem præter eam, quam in matrimonium acceperat. Quid ſi ſemel, ut zelotypiæ, de quâ increpabatur, ſuſpicionem à ſe amoveret, dixit ſe permittere uxorem, quæ pulcherrima erat, habere eum, qui vellet, dictum id conſtat, quò oſtenderet quantùm eſſet continens*

ejus

ejus rei, quam nimiè putabatur expetere. Nicolaïtæ tamen, qui adulterant etiam Sacras Scripturas, earumque abutuntur ſimplicitate, *ex occaſione illius dicti ſimpliciter, & innocenter prolati, promiſcuos abſque ullâ reverentiâ concubitus expetunt; & ſub* uſurpato *Nicolai nomine ſectam ſibi propriæ libidinis aſſumpſerunt.*

Tales hæreticos Dominus, qui eſt verax, & *honorabilis connubij*, ſanctæque puritatis author, tanquàm mendaces, & nequiſſimos odio habet: oderat etiam Oneſimus. ad Hebr. 13. v. 4.

ỷ. 7. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.*

Hactenùs viſus eſt Chriſtus ad ſolum Epheſiorum Epiſcopum verba referre: mens tamen amantiſſimi Salvatoris fuit, ut Eccleſia hujuſce Præſulis, cæterique Epiſcopi, ac univerſæ Eccleſiæ, quæ toto terrarum orbe diffuſæ ſunt, utilitatem ex verbis ipſius non modicam conſequerentur. Quemadmodùm enim, dùm in terris agens, & diſcipulos ſuos alloquens, aiebat, *quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate:* ita quando Antiſtitem Epheſinum adhortatus eſt, ut iis, quæ officii ſui erant, adimplendis, primâ ſuâ charitate invigilaret, optavit parem ab omnibus Epiſcopis dilectionem, & vigilantiam; necnon ut fideles ad opera pietatis, & charitatis, frequentatione Euchariſtiæ, & agapum, perpetuò fervérent, cùm inde maximum fructum ſint percepturi. Nam ſubjungit Salvator, Marc 13. v. 37.

Ex verſ. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.*

Lignum vitæ, quod Deus olim homini innocenti *produxit in medio paradiſi* terreſtris, vim illam habebat ſibi inditam ab Omnipotente, ut qui *comederet* ex ejus fructu, *viveret in æternum.* At Crucis lignum, quod mortem horrendam inferebat flagitioſis, eſt lignum vitæ per Chriſtum in eo pendentem; quippe qui ſit ipſamet ſanctitas, & vita; atque ex illo ligno vitam ſibi glorioſam, nobis autem beatam protulerit. Jam verò ſacratiſſimum ejus corpus ſubvectum eſt in paradiſum Cœleſtem; indèque illud mirabiliter reproducens verbis ſuis ad altare prolatis, præbet edendum fidelibus in Euchariſtiæ Sacramento, cum pollicitatione vitæ æternæ. *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, habet vitam æternam*; ac rursùs, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Undè Sanctus Ignatius hortatur Epheſios, ut *frangant panem unum, quod eſt pharmacum immortalitatis, vitamque in Deo concilians per Ieſum Chriſtum.* Gen. 2. v. 9. c. 3. v. 22. Joan 6. v. 55. 59. Ignat. ep. ad Epheſ.

Porrò ut vitam illam divinam, & Chriſto in æternum conjunctam, aſſequantur fideles, *vincant* ſocordiam, quæ aliquando irrepit ad exercitia pietatis. Superent vitia carnis adverſantia puriſſimo, ac ſanctiſſimo Chriſti corpori. Proculcent mundum, quem devicit. Diabolum dejiciant, de quo egit triumphum. Contemnant impiorum ſubſannationes, & contumelias, quas patienter tulit: *Omnes enim, qui piè volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur.* Sed *beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum.* 2. ad Tim. 3. v. 12. Matth. 5. v. 10.

Beatitudinem ſpondet eamdem iis, qui eleemoſynas libenter erogave-

rint,ac pauperes ad menſam ſuam crebrò admiſerint propter ipſum ; quan-
Matth.25. doquidem illis dicturus ſit, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum*
v.34.35. *vobis regnum: Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: Sitivi, & dediſtis mihi potum.*

Itaque iis, qui eximiâ erga Salvatorem, & in pauperes Chriſti te ſuas cupiditates, & ſæculi blanditias, ac minas *vicerint*, *dabo*, inquit Domi-
Luc.22. nus, *edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei*, quatenùs efficiam, ut
v.30. *edant, & bibant ſuper menſam meam in regno meo*, ac Patris, illapſâ nimi-
Apoc.7. v.16. rùm in illos Divinitate, quò *nunquam eſuriant, vel ſitiant*; ſed exultent
c.21. v.4. in Domino ſemper, immortalitate beatâ donati.

Eam ſanè gloriam, & vitam æternam recepit Oneſimus, correptione Domini emendatus, ac deinceps *ob charitatem* à Sancto Ignatio tantopere
Ignat. ep. *prædicandus*, ut, referente Martyrologio Romano, *Vinctus Romam perdu-*
ad Epheſ. *ctus ſit, ac pro fide Chriſti lapidatus.*
Martyrol. Utinam, & omnes, qui charitatem ſuam primam quovis modo reli-
Rom.16. querunt, ita pœnitentiam agant, & reſipiſcant, ut majorem indè dile-
Febr. ctionem, gratiam, & gloriam à Domino conſequantur!

EXPLANATIO VIII.

Verborum Chriſti ad Smyrnenſem Epiſcopum, ab octavo ad undecimum verſum Capitis ſecundi Apocalypſis, de Sancto Polycarpo.

VERS.8. Et Angelo Eccleſiæ Smyrnæ ſcribe: Hæc dicit primus, & noviſſimus, qui fuit mortuus, & vivit.

℣. 9. Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed dives es; & blaſphemaris ab his, qui ſe dicunt Judæos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt Synagoga Satanæ.

℣. 10. Nihil horum timeas, quæ paſſurus es. Ecce miſſurus eſt Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem. Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

℣. 11. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis. Qui vicerit, non lædetur à morte ſecundâ.

Verſ.

Verſ. 8. *Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe.*

EPISCOPUS ille Smyrnæorum, cui juſſus eſt Joannes ſcribere, fuit Sanctus *Polycarpus*, qui, teſte Sancto Irenæo, *converſationem habuit cum ipſo Ioanne*; *ejuſque*, ut loquitur Sanctus Hieronymus, *fuit auditor.* Is enim, ſicuti refert Euſebius, *magnâ fuit cum Apoſtolis familiaritate, & notitiâ conjunctus*; *& Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopatum ſuffragiis eorum, qui Dominum vidiſſent, obtinuit.* Euſeb. Hiſt l 5. c.19. Hieron. in Catal. Euſeb. Hiſt.l.3. c.30.

Quanti verò fuerit meriti, quantæve ſanctitatis, judicabit quiſquis Sancti Ignatii Martyris ad Smyrnenſes Epiſtolam, ejuſdemque ad ipſum Polycarpum alteram legerit. In primâ enim inquit, *Saluto Deo dignum Epiſcopum veſtrum:* in alterâ autem compellans ipſummet Polycarpum, ait, *probans, & ſuſcipiens animum tuum in Deo firmatum velut ſuper immobilem petram, ſummis eveho laudibus, dignus habitus inculpatâ tuâ perſonâ, quâ utinam fruar in Deo.* Et paulò poſt, *utinam pro tuâ hanc meam animam commutem, & hæc mea vincula, quæ amaſti, beatiſſime ſecundùm Deum Polycarpe.* Ignat.ep. ad Smyrn. ſub finem. Ep.ad Polyc. ſub init. Ante med. ep. Sub finem.

Veriſſimè illa Ignatius in laudem Polycarpi, cùm ipſemet Deus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus eumdem Polycarpum ſcriptis Dilecti Diſcipuli ſummè laudaverit; nec quicquam in illo redarguerit, quamvis nonnulla in Epiſcopis Epheſi, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Laodiciæ, cenſurâ ſuâ notaverit. Quamobrem ait Smyrnenſi,

Ex ℣.8. *Hæc dicit primus, & noviſſimus, qui fuit mortuus, & vivit.*

Oſtendimus capite præcedenti, Chriſtum dici *primum, & noviſſimum* ob æternitatem ei tanquam unigenito Dei Filio competentem: Laudibus verò, quas Polycarpo daturus eſt, Chriſtus præmittit commendationem hujuſce ſuæ æternitatis, quò ſignificet ſe velle, ut tantus vir, poſtquàm longævæ ætatis annos piè, ſanctèque in ejus obſequio exegerit, ad ejuſdem æternitatis conſortium feliciter perveniat; ibique perenniter vivat, etſi hîc propter ejus nominis confeſſionem ſit moriturus; quemadmodùm ipſemet Chriſtus propter gloriam Patris ſui, & ſalutis hominum causâ *mortuus* revixit; & in æternum *vivit* bonitate Patris erga ipſum immensâ. Etenim *ſicut pater novit* illum; ſic ille Paſtorum Princeps Paſtorem ſibi fidiſſimum *cognoſcit*; *& vitam æternam ei* tribuit. Explan. 6. v.17. Joan.10. v.14.15. 18.

℣. 9. *Scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, ſed dives es.* Græcè τὰ ἔργα, καὶ τὴν θλῖψιν, opera tua, & triſtitiam, ſeu afflictionem.

Novi opera tua, quæ non poſſum reticere, quia *in Deo ſunt facta: nec* enim *quicquam præter Dei facis voluntatem*; ſed *paratus es* ſemper *ad benefacta Deo congruentia*, inquit Ignatius ipſi Polycarpo ſcribens. Peculiaria etiam quædam ejuſdem Epiſcopi Smyrnenſis recenſet dona gratiæ idem inſignis Martyr eâdem Epiſtolâ, cùm ait: *Unitatis curam habe, quâ nil melius:* Joan.3. v.21. Ignat.ep. ad Polyc.

Digitized by Google

melius : omnes porta , quemadmodùm te Dominus : omnes tolera per charitatem , ſicut & facis : precibus vaca ſine intermiſſione ; vigila inſomnem ſpiritum habens ; ſingulis juxta divinam concordiam loquere.

Ex Irenæo Euſeb. Hiſt.l.5. c.19. Sed & Irenæus apud Euſebium ait, *ſe poſſe recenſere locum, in quo aſſideret beatus Polycarpus, cùm diſſereret ; illius eò adventum , & introitum ; formam, & modum vitæ ; diſceptationes , ac ſermones , quos apud multitudinem habebat ; & ut neceſſitudinem cum Ioanne , & reliquis , qui ipſum Dominum vidiſſent , ſe habuiſſe narraret ; & quo pacto memoraret eorum ſermones.*

Hæc fuere Polycarpi opera : unum addam præclarum eximiâ ſententiâ
Ignat ep. ad Poly- carp. Ignatii eidem Smyrnæorum Præſuli ſcribentis prolatum. *Chriſtianus homo ſui poteſtatem non habet ; ſed Deo vacat. Hoc eſt opus Dei , & veſtrum.*

Quòd ad *tribulationem* , ſeu *triſtitiam* , *& afflictionem* , ob quam lauda-
Act. 14. v.21. tur à Beato Joanne Smyrnæus ille Antiſtes,aiebat Paulus,*per multas tribulationes oportere* fideles *intrare in regnum Dei* ; ſibique eſſe *triſtitiam magnam,*
Ad Rom. 9.v.2. *& continuum dolorem cordi,* quòd aberrarent Iudæi à Chriſto. Ita *Beatus, &*
Euſeb. Hiſt.l.5. c.19. *Apoſtolicus Preſbyter Polycarpus,*quemadmodùm appellatur à Sancto Irenæo, haud dubiè plurimas tribulationes patiebatur propter Evangelium ; nam de illo Euſebius , *cùm Aſia maximis perſecutionum procellis turbaretur, Poly-*
Euſeb. Hiſt.l.4. c.14. *carpus Martyrio ſupremum vitæ diem egit* ; angebaturque vehementer ex Judæorum obduratione , gentium cæcitate , & hæreticorum perverſitate.
Ex Iren. Euſeb. Hiſt.l.5. c.19. Undè Sanctus Irenæus Florinum hæreticum oppugnans teſtatur , *beatum Polycarpum* , ſi ejuſmodi *dogmata fortè audiviſſet , continuò exclamaturum, & aures obturaturum , ac de more ſuo dicturum fuiſſe , ô bone Deus , in quæ me tempora reſervaſti , ut iſta patiar ! atque ex eo loco , quo vel ſedens , vel ſtans ea audiviſſet , extemplò planè aufugiturum.*

Ex ep. Smyrn. Eccl. de Polycarp. Euſeb. Hiſt.l 4. c.14. Cùm verò Proconſul Beatum Polycarpum perſuaſum vellet , *ut diceret, tolle impios :* Polycarpus gravi , & *conſtanti vultu in univerſam multitudinem, quæ erat in ſtadio , intuens , & manum versùs eos intendens, cum gemitu , oculis in cœlum ſublatis , dixit , Tolle impios* ; nimirum ingemiſcebat Sanctus vir de impietate gentium Dæmonibus mancipatarum ; rogabatque Deum ut illam tolleret , ac ei ſubſtitueret pietatem Chriſtianorum , quos Ethnici velut impios calumniabantur. Ita Sanctus Præſul , gentium cæcitatem dolebat ; erroreſque hæreticorum ægrè ferebat.

Ad Rom. 12.v.15. 2.ad Cor. 11. v.29. Ignat.ep. ad Polyc. Non dubitaverim adhuc quin Apoſtolicus Epiſcopus juxta exhortationem & exemplum Apoſtoli , fleret cum flentibus ; & corpore , vel animo infirmis , ex intimis viſceribus charitatis compateretur. Quapropter ſcribit ei Ignatius , *Omnium infirmitates perfer , ſicut & omnium Dominus ; ipſe enim infirmitates noſtras portavit.*

Subjungit Sanctus Joannes : *Scio paupertatem tuam* ; nempe Apoſtolicus Preſbyter Polycarpus veſtigiis , ac decretis Principum Apoſtolorum
1. Petr. 5. v.2. Petri , & Pauli inſiſtens , *paſcebat qui in illo erat, gregem Dei, providens non coactè , ſed ſpontaneè ſecundum Deum* ; *neque turpis lucri gratiâ , ſed volunta-*
1.ad Tim. 6.v.6.7. *riè* ; nec alium *quæſtum exiſtimabat*, quàm *pietatem cum ſufficientiâ , habenſque alimenta , & quibus tegeretur , his contentus erat.*

Sic

Sic autem *pauper ſpiritu*, *dives* erat *ſecundùm Deum*; *dives in fide*, *ac* Matth.5.
bonis operibus; & donis cœleſtibus quàm plurimis locupletatus. Quam- v.3.
obrem dicitur ab ipsâ Eccleſiâ Smyrnenſi apud Euſebium, *Vir noſtris tem-* Luc.12.
poribus omnium facilè præſtantiſſimus, *Doctor Apoſtolicus*, *& Propheta pius:* v.21. Jac.2.v.5.
nam quodcumque verbum ex ejus ore exibat, *idem vel jam expletum erat*; *vel* 1.ad Tim.
poſtea pro certo explendum. Incorruptam quòque, *& integram uſque à teneris* 6.v.18.
unguiculis vivendi rationem egit. Euſeb.

Ex ℣. 9. *Et blaſphemaris ab his*, *qui ſe dicunt Iudæos eſſe*, *& non ſunt*, Hiſt.l.4.
ſed ſunt Synagoga Satanæ. c.14.

Verùm, etſi Polycarpus gloriam apud Deum, & apud homines ma-
gnam virtutibus ſuis eximiis promereretur; tamen multis convitiis, & ma-
ledictis laceſſebatur ab iis, qui ſe *Iudæos* eſſe jactitant; nec verè *ſunt*.
Etenim Iuda, à quo cognomen ſuum acceperunt, ſecundùm mentem piæ Gen.29.
illius mulieris, quæ prima illud nomen impoſuit, confeſſionem, ſeu lau- v.35.
dem Domini ſignificat. Illi verò virtutum Polycarpi detractores Judæi, Ad Tit.1.
confitentur quidem *ſe noſſe Deum*; *factis autem negant*; reſpuuntque *ſolum* v.16.
Dominatorem, *& Dominum Ieſum Chriſtum*, qui promiſſus eſt illis ex Tri- Epi.Judæ.
bu Juda oriturus, ac verè ex eâ ortus eſt. Quapropter illi, qui quondam v.4. Gen.49.
fuere populus peculiaris Dei, cujus cultui erant addicti, jam *ſunt Synago-* v.10.
ga Satanæ, *cujus deſideria perfecerunt*, *occidentes Ieſum*, *ac perſequentes* Ad Heb.
Chriſtianos; &, quantùm poſſunt, *prohibentes*, *nè gentibus loquantur*, *ut* 7.v.14.
ſalvæ fiant. Exod.19.

Hanc interpretationem verborum Chriſti Epiſcopo Smyrnenſium Po- v.5. Joan.8.
lycarpo de maledictis, quibus eum impetebant Judæi, confirmare juvat v.44.
ex hiſtoriâ Martyrii ejuſdem Præſulis. Cùm *juſſu Proconſulis præco ter in me-* 1.ad Theſ.
dio ſtadio prædicaſſet, *Polycarpus profeſſus eſt ſe Chriſtianum eſſe*, *univerſa tùm* 2.v.15.16.
gentium, *tùm Iudæorum multitudo altâ voce clamare*, *Iſte eſt Aſiæ Doctor*; *iſte* Euſeb.
Chriſtianorum Pater; *iſte noſtrorum Deorum everſor: vivus in rogum conjiciatur.* Hiſt.l.4.
Tùm frequens hominum turba ligna, *ſarmentaque actutùm coacervabat: maximè* c.14.
Iudæi ad hoc facinus operam propenſo animo conferebant. Poſtquàm verò San-
ctus Martyr obiit, *quidam Iudæis ſubmonentibus*, *obnixèque inſtantibus*, *ag-*
greſſi ſunt Præſidem exorare, *nè corpus ejus cuiquam daret*, *nè Chriſtiani*, *in-*
quiunt, *Crucifixo illo derelicto*, *hunc venerari incipiant. Iudæi autem nos*, *qui-*
bus in animo erat illum ex igne eximere, *accuratè obſervabant*; *Centurio au-*
tem, *cùm videret Iudæos inſtare contentiùs*, *corpus Martyris igni comburi*
jubet.

Illa tàm impiè, quàm barbarè contra Beatum Polycarpum patrarunt
Judæi, in Deum, & Sanctos ejus, rebelles, ac blaſphemi, & diabolico
furore perciti. At quàm conſtans, & intrepidus ad ea maledicta, & tor-
menta fuerit Sanctiſſimus Martyr, poſtquàm benignitate Domini mo-
nitus fuit, & gratiâ ejus corroboratus, patebit ex conſequentibus.

℣. 10. *Nihil horum timeas*, *quæ paſſurus es.*

Iuxta Salomonis effatum, *calumnia conturbat ſapientem*; *& perdit robur* Eccl.7.
illius. Sed benignus Salvator hortatur Polycarpum, ut *cor* ejus, fide, & v.8.

charitate obfirmatum, calumnias inter, atque maledicta, quibus laceſſitur à Judæis, *non turbetur, neque formidet.* Icciro Sanctus Ignatius Polycarpo ſcribens, inquit: *Conſtans, & ſtrenuus eſto: ſta firmus velut incus, quæ verberatur: magni athletæ eſt vapulare, & vincere: Dei autem nomine maximè ſuſtinere oportet omnia, ut ipſe in ejus transferaris regnum.* Epiſtola etiam Eccleſiæ Smyrnenſis apud Euſebium refert, quòd *Polycarpo in ſtadium ingredienti vox è cœlo demiſſa dixit, Fortis eſto, Polycarpe; & excelſo animo rem gere.*

Joan. 14. v. 17. Ignat. ep. ad Polyc. Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 14.

Tantùm verò ex his, & illis verbis Domini Polycarpus, licèt ſenio confectus, roboris, & conſtantiæ ſumpſit, ut admirationi fuerit etiam Proconſuli illum interroganti. Dùm enim *Proconſul ei dixit, beſtias habeo in promptu: iſtis te objiciam laniandum, niſi te maturè pœnituerit; Accerſe, inquit: nam nobis rata, ac decreta ſtat ſententia: & multùm ab eo abſumus, ut aliquando animo mutato nos meliorum pœniteat, quò deteriora ſequamur. Ad quem rurſus Proconſul: Te, inquit, ardentibus flammarum incendiis domitum, & manſuetum reddam, ſi beſtiarum laniatus contemnas, & non reſipiſcas ocyùs. Tum Polycarpus: Ignem, inquit, mihi minitaris, qui ad tempus exardeſcit, ſed paulò poſt extinguitur. Verùm ignem illum futuri judicii; ad perpetuum impiorum ſupplicium reſervatum omninò ignoras. Sed quid cunctaris? Profer beſtias, aut aliud quod lubet. Iſta, & alia complura locutus, tanto vultus decore, & gratiâ imbutus eſt, tantâque animi fidentiâ, & alacritate expletus, uti his, quæ ei eſſent tàm minaciter objectata, non modò non conturbatus ſuccumberet; ſed contrà certè, illum ipſum Proconſulem admirabili ſuâ conſtantiâ, & gravitate prorsùs obſtupefaceret. Cùm autem illum clavis vellent affigere, ut in rogo firmè teneretur, dixit: Sinite me; nam qui mihi patientiam ad ignis flammas ſuſtinendas pro ſuâ clementiâ largitur, largietur etiam, ut ſine commiſſuris clavorum conſtans abſque ullâ corporis commotione rogo adhæreſcam. Idcircò illum non clavis, ſed vinculis ſolùm colligarunt.*

Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 14.

Adeò Polycarpus præmonitus, & præmunitus ab ipſomet Chriſto, *nihil horum timuit, quæ paſſurus erat!*

Ex ℣. 10. *Ecce miſſurus eſt Diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini.*

Non modò Polycarpus, juxta revelationem Beato Joanni traditam, Martyrium pro Chriſto conſtanter ſubiturus erat; ſed etiam nonnulli Chriſtiani peracerbos cruciatus æquanimiter Salvatoris causâ fuerant laturi. Primùm quidem inſtigante Diabolo traduntur *in carcerem, ut tententur,* nùm metu tormentorum percuſſi Chriſto renuntient. Verùm *faciet Dominus cum tentatione proventum, ut poſſint ſuſtinere*; ac re ipsâ ſuſtinuerunt.

1. ad Cor. 10. v. 13.

Advertendum eſt autem, Martyres illos prænunciari incarcerandos, Polycarpum verò non dici in carcere concludendum, quòd quidpiam ei ſingulare deberet contingere: nam ex Epiſtolâ Eccleſiæ Smyrnenſis, Polycarpus rure, ubi tùm erat, à ſatellitibus Smyrnam ductus eſt; eique occurrens

Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 14.

currens Præfectus eum in currum ſuum aſſumpſit ; ac poſt aliquot verba inter ſe habita perductus ad ſtadium , ſtatim Martyr Chriſti effectus eſt.

Porrò illi , quos *Diabolus* miniſtrorum ſuorum ope *miſſurus eſt in carcerem* , inquit Beatus Joannes Smyrnæo Præſuli , erunt *ex vobis* , hoc eſt, ex Eccleſiâ Smyrnenſi , cui tu præes , & ex quibuſdam aliis Eccleſiis vicinis , quæ vobis fide , & charitate ſunt conjunctæ.

Undè Smyrnenſis Eccleſiæ refert Epiſtola, quoſdam Martyres *ex Smyrnenſibus* , paulò antè quàm Sanctus Polycarpus pateretur , *partim flagris ad intimas uſque venas , & arterias dilaceratos ; partim buccinorum teſtis è mari deportatis , & lapillis quibuſdam praacutis ſubſtratis afflictos ; & per quodque ſuppliciorum , ac tormentorum genus raptatos ; & beſtiis denique immanibus ad dilaniandum traditos , hac omnia tam toleranter ſuſtinuiſſe, ut qui cernerent , incredibili propè aamiratione obſtupeſcerent.* Euſeb. Hiſt.l.4. c.14.

Eadem Epiſtola teſtatur , *cum Polycarpo duodecim alios ex Philadelphiâ profectos idem genus mortis lubentes pertuliſſe* : Ex quibus recenſet *Pionium apologias pro fide coram populo , & magiſtratibus recitaſſe ; jucundas , & gratas conſolationes in carcere fratribus, qui ad eum ingrediebantur, adhibuiſſe; gravia tormenta ſuſtinuiſſe ; acerbos clavorum confixus pertuliſſe ; & miram in rogo animi magnitudinem oſtendiſſe.*

Ex verſ. 10. *Et habebitis tribulationem diebus decem.*

Profectò quòd decem illi dies intelligendi ſint ad literam de totidem diebus , arbitror perſuaſum fore omnibus , qui attentè conſideraverint Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſtolam. In eâ enim *Eccleſiis ubique gentium* conſcriptâ , inquiunt : *Scripſimus vobis , qua videbantur pertinere , quùm ad alios Martyres , tùm ad Beatum Polycarpum , qui quidem perſecutionis flammam contra Eccleſiam incenſam , ſanguine ſuo copiosè per Martyrium effuſo penitùs reſtinxit.* Referunt autem *Polycarpum primùm ut iſta de Martyribus audiverat , vultum, omnemque mentis ſtatum conſtantem , & immobilem conſervaſſe ; & quamvìs in animo haberet illic in Civitate manere, tamen familiaribus obſecrantibus ut ſe indè ſubduceret , demùm morem geſſiſſe: ad villam non longè ab urbe diſtantem progreſſum eſſe ; ibique cum paucis amicorum commoratum ; & dies , nocteſque nihil aliud molitum , quàm preces obnixè, & inſtantes ad Dominum fundere , ut pax tranquilla concederetur Eccleſiis : ac triduo antequàm prehendebatur , cùm in precibus attentè poſitus , ſomno oppreſſus eſſet , noctu in viſione ſecundùm quietem vidiſſe dicitur cervical flammâ accenſum repentè conſumi. Quâ quidem re è ſomno excitatum , ſtatim viſum ſuum iis , qui unà aderant , expoſuiſſe , & apertè prædixiſſe , ſe flammarum incendiis vitam pro Chriſto profundere oportere. Tandem igitur , cùm illi , qui eum omni curâ , & diligentiâ conquirebant , inſtarent , iterùm incredibili amore erga fratres compulſum , in aliam villam ſe tranſtuliſſe ferunt : quò quidem non longo tempore poſt , qui illum inſequebantur , rectà perveniſſe ; ac ſub crepuſculum adventantes, datâ ei unâ horâ, quam poſtulavit, ut liberè orationi vacaret , illum versùs urbem deduxerunt;* Euſeb. Hiſt.l.4. c.14. atque eodem die , ſicuti facilè conjicere eſt ex reliquâ Epiſtolâ, Martyrio

conſummatus eſt, quippe qui perductus ſtatim ad ſtadium igne crematus fuit.

His perpenſis, videtur mihi quàm maximè probabile, *Tribulationem*, ſeu perſecutionem Eccleſiæ Smyrnenſi illatam non duraſſe pluſquàm *diebus decem*, juxta ipſamet Chriſti Domini verba. Etenim Martytes Smyrnæi, qui Polycarpum præceſſere, paſſi ſunt paucis diebus, cùm è carcere educti, inſpectante populo in Amphitheatro tortiſint; ac demùm à beſtiis devorati. Tunc verò petitus ab universâ multitudine Polycarpus fugit in villam Civitati proximam; ac proptereà demus unicum diem ad ejus fugam. Deinde diligenter conquiſitus à ſatellitibus, non manſit niſi paucos dies in villâ diu, noctuque orans, priuſquam ibi ſomnium futuræ ſuæ mortis præſagum triduò ante Martyrium ſuum haberet; ac denique *perſecutionis flammam contra Eccleſiam incenſam ſanguine ſuo per martyrium effuſo reſtinxit*, ſive, ut Ruffinus traducit, *velut quodam ſignaculo Martyrij ſui finem perſecutionibus poſuit*. Cùm enim infideles anteà acclamaſſent, *tolle impios, Polycarpus requiratur, quem* tanquam *Doctorem Aſiæ, Chriſtianorum Patrem, & Deorum ſubverſorem* poſtularunt arbitrati, ſunt, illo tanquam capite, & duce ſublato, ruituros Chriſtianos, etiamſi vim illis nullam ulteriùs inferrent.

Ruffin. Hiſt. l. 4. c. 15.

Itaque ſi quis, ut par eſt, ex illâ relatione hiſtoricâ, perſecutionis illius, quam Smyrnæi perpeſſi ſunt, dies enumeret, facilè adducetur ut credat non exceſſiſſe *dies decem*, juxta Beati Joannis expreſſa verba, quæ nemo dubitaverit eſſe prophetica: Prophetiam enim, quantùm fieri poteſt, & veritas hiſtoriæ conſentit, interpretari oportet ad literam, ut ejus verba ſonant, & ſignificant.

Eapropter autem Dominus admirabilis, & glorificandus in Sanctis ſuis, non permiſit illam adverſùs Smyrnæos fideles perſecutionem durare niſi decem diebus, ut patefaceret quanti eſſet apud eum meriti Polycarpus, qui diu, noctuque obnixè precatus pro pace Eccleſiæ, exauditus eſt. Voluit etiam Salvator, ut Martyres illius Eccleſiæ, quam ſingulari proſequebatur dilectione, propter ejus eximiam ſanctitatem, *conſummati in brevi explerent tempora multa*; illiſque diebus, quorum numerus denarius perfectionem indicat, perficerentur; ac beatam æternitatem ſibi compararent. Undè Sanctus Joannes ipſum Smyrnenſem Antiſtitem præcipuè, & in eo conſequenter aliorum ejus Eccleſiæ Martyrum unumquemque exhortans, addit.

Sap. 4. v. 13.

Ex ℣. 10. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Si Præſul Smyrnæus fidem, pietatem, charitatem, & obedientiam, quam promiſit Domino, licèt adverſarii ad eam ejurandam ipſum perurgeant, conſtanter ſervaverit; Salvator ei in præmium virtutis illius, ac laborum ante actorum coronidem, pollicetur vitam æternâ fœlicitate cumulatam.

Huic mandato Domini obſecutus eſt ſtrenuè Polycarpus; & eam, quam promiſit Dominus Polycarpo, coronam donavit favore tàm inſigni, quàm mirabili,

Digitized by Google

mirabili, ſicuti ex ejus hiſtoriâ Martyrii videre eſt. *Cùm* enim *Præſes inſtaret, diceretque, Iurato, conviciis Chriſtum afflicito, & te dimittam; reſpondit Polycarpus, octoginta ſex annos illi jam inſervivi; & nullo me hactenùs affecit incommodo. Quomodo igitur Regem meum, qui me ad hoc uſque tempus ſervavit incolumem, contumelioſis verbis poſſum afficere? Colligatus autem rogo, ſic locutus eſt. Pater dilecti, & benedicti filij tui Ieſu Chriſti, Deus totius Creaturæ, gratias tibi ago quòd in calice Paſſionis Chriſti tui tormentorum particeps ſiam in reſurrectionem vitæ æternæ. Ubi verò rogus incenſus ardentem flammam effuderat, miraculum ingens viſum eſt: ignis enim fornicis ſpeciem gerens, tanquàm velum navigij ventorum flatibus turgeſcens, corpus Martyris undique obvallat. Ille in medio conſtitit, non tanquàm caro exuſta, ſed tanquàm aurum, & argentum in camino ignis ardore probatum. Quin etiam tantùm, & tam fragrantem odorem indè hauriebamus, ut idem velut ex thure odorifero, aut alio quovis precioſo aromate afflatus videretur. Ad extremum igitur cùm nefarii, & impii homines ejus corpus ab igne minimè poſſe conſumi viderent, carnifici mandata dederunt ut illum ſtricto enſe confoderet. Quâ re confectâ, tanta cruoris copia effluxit, ut ignem prorsùs extingueret.* Hæc Eccleſia Smyrnenſis apud Euſebium.

Euſeb. Hiſt. l. 4. c. 14.

Quis verò indè non videat perſpicuam verborum, quæ interpretor, veritatem, cùm ex unâ parte conſpiciat Polycarpi toto vitæ ſuæ decurſu, & *uſque ad mortem fidele* obſequium erga Dominum; ex alterâ autem magnificentiam Domini Polycarpum donantis *coronâ* immortalitatis, & gloriæ? Curvatura enim illa flammæ, ſub quâ martyris corpus tanquàm aurum, & argentum pellucebat, nonne nitentem, quâ decorabatur à Domino illuſtris Præſul, exhibebat miro modo coronam? Nunquid non odor ille fragrantis aromatis, quem tùm Sanctiſſimus Martyr ſpargebat, *Chriſti bonus odor* fuit; *& odor vitæ ad vitam?* Nunquid denique, quòd mediis in flammis non poſſet emori, ſignum fuit evidens beatæ immortalitatis ſibi à Chriſto communicandæ? Certè, ſi mucrone transfoſſus eſt, non tàm cum ſanguine vitam fudit, quàm proprio cruore rogum ſuum, ardoremque perſecutionis extinxit. Sic divinâ virtute, & ad exemplum Chriſti, cujus fuit inſignis Martyr, *mortem*, quam infideles illaturi erant Chriſtianis, *moriendo deſtruxit*; vitamque fidelium ſervavit illæſam, dùm transfixus ipſe gladio temporalem cum æternâ vitam commutavit.

2. ad Cor. 2. v. 15. 16.

Eccl. in Præf. Miſſæ Paſch.

℣. 11. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis. Qui vicerit, non lædetur à morte ſecundâ.*

Quiſquis Chriſtianorum edoctus à Deo novit divina Myſteria, intelligat quid Spiritus Dei ad fideles etiam omnes refert, dùm hortatur ad conſtantiam in fide Smyrnenſem Epiſcopum; eique vitæ coronam promittit: Similem enim gloriam, & felicitatem omnibus in ſe credentibus, qui perſeveraverint uſque in finem, conferet; ita ut, etiamſi necem corporis ſubeant, animæ tamen mortem, quam averſi à Deo reprobi patiuntur in inferis, nunquam ſentiant; ſed vitam corporis, & animæ perpetuis gloriæ dotibus ornatam ſint poſſeſſuri.

O beata, & totis præcordiis efflagitanda vita! Quomodò mortales, qui tot irrequietis curis temporaneum fugiunt obitum, mortem non curant effugere ſempiternam? Et cùm tantâ ſollicitudine vitam calamitatibus continuò ſibi ſuccedentibus obnoxiam foveant; cur virtutes omnes non exerunt, ut vitam æternâ beatitudine perfruentem aſſequantur?

EXPLANATIO IX.

Ea, quæ ſcribuntur Epiſcopo Pergami, à duodecimo ad decimum ſeptimum verſum Capitis ſecundi Apocalypſis, interpretans de confeſſione illius Præſulis; de Martyrio Antipæ; & de criminibus Gnoſticorum, propter quæ falsò accuſati Attalus Pergamenius, aliique Sancti Martyres, Lugduni miro modo paſſi ſunt.

VERS. 12. Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit, qui habet romphæam utrâque parte acutam.

℣. 13. Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ; & nomen meum tenes, & non negaſti fidem meam; & in diebus illis Antipas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, ubi Satanas habitat.

℣. 14. Sed habeo adversùs te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, edere, & fornicari.

℣. 15. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaïtarum.

℣. 16. Similiter pœnitentiam age; ſi quò minùs, veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.

℣. 17. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis. Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.

Verſ.

verſ. 12. *Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit, qui habet romphæam utrâque parte acutam.*

Cum nullo antiquitatis monimento poſſimus percipere quis fuerit ille Pergamenſis Epiſcopus, adnotabo dumtaxat quòd viſus ſit primùm Dilecto Diſcipulo Dominus gladium bicipitem ore præferens, utpote qui poteſtatem habeat tanquam Pontifex, & Judex, ſententiam ferendi in malos; eoſque in æternum ſeparandi à bonis, quibuſcum nunc contubernio quodam ſunt commixti. Rursùs Joanni Chriſtus ſeſe exhibet ſub illâ formâ, quæ terrorem incutiat, non tantùm graviter peccantibus, ſed etiam à Juſti tramite aliquantiſper deviantibus; eoque metu tàm tremendæ poteſtatis, Antiſtitem Pergamenium ab officio ſuo nonnihil deflectentem corripit.

℣. 13. *Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ.*

Bonum eſſe inter malos, non mediocri laudi vertitur. At Pergamenſis Præſul multa bona, & egregia opera peregerat eâ in civitate, ubi tanta erat perverſorum hominum multitudo, ut in eâ videretur malitiæ princeps Diabolus ſedem ſuam fixiſſe. Ad quos autem peculiares effectus ibi conſiſteret, intelligemus, ſi advertamus ex ſcripturis ſedem Regi, Judici, & Doctori convenire. Pergamum igitur cenſeo appellari *ſedem Satanæ*, quòd Spiritus ille ſuperbus, nequam, & immundus, infidelibus numeroſiſſimis, qui eâ in urbe ſunt, dominetur; quòd per miniſtros tyrannidis ſuæ adversùs Sanctos illic in Chriſtum credentes iniquiſſima ferat decreta; ac demùm quòd nefandos actus, omnemque libidinem, hæreticorum ſtatim nominandorum adminiculo, doceat.

Ex ℣. 13. *Et tenes nomen meum.*

Pergamenſis autem Antiſtes, edoctus Spiritu Dei, doctrinam Incarnatæ Sapientiæ caſtiſſimam præferebat impudicæ ſeductoris Dæmonis ſectæ. Iuſtitiam tàm ſanctè colebat, ut pro eâ vellet *agonizari*; nec timeret iniqua Diaboli adversùs fideles edicta. Execrabatur ipſum Satanam: *nomen* verò Chriſti ſummo habebat in honore.

Ex ℣. 13. *Et non negaſti fidem meam.*

Tentata etiam fuerat ab adverſariis ejus *fides:* ſed non fracta. Interrogatus à judice Ethnico, qualis eſſet, Chriſtianum ſe eſſe libenter reſponderat. Sollicitatus ut Chriſtum negaret, *non negaverat:* quin potiùs paratum ſeſe exhibuit ad quoſlibet cruciatus, ut fidem ſuam omnibus teſtificaretur.

Ex ℣. 13. *Et in diebus illis Antipas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt apud vos, ubi Satanas habitat.*

Hæc illius Præſulis conſtantia eò illuſtrior eſt, & tantò magìs Domino probatur, quò gravioris perſecutionis tempore claruit, nempe *illis diebus*, quibus *Antipas* Divinitatis Chriſti *teſtis fidelis*, ex Martyrologio Romano, *in bovem æneum candentem conjectus, Pergami martyrium conſummavit.* Martyr. Rom. undec. Aprilis.

℣. 14.

✝. 14. *Sed habeo adverſùs te pauca, quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, edere, & fornicari.*

✝. 15. *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaïtarum*, ex Græco additur, *quod odi.*

Verùm, etſi Pergamenſis Præſul ex illâ nominis Chriſti confeſſione coram infideli judice magnam ab ipſomet Chriſto laudem promeritus ſit; nec mediocrem apud pios quoſque honorem conſecutus: Tamen non poteſt amantiſſimus Salvator non illum corripere, quòd eâ in urbe, in quâ vices ipſius agebat, infenſiſſimos ei, & animarum ſaluti maximè repugnantes hæreticos pateretur conſiſtere.

Nicolaïtæ quidem vocantur de nomine, quod uſurpant, Nicolaï,
Act.6.v.3. unius ex ſeptem primis Diaconis, *viris boni teſtimonii, plenis Spiritu San-*
5. *cto, & Sapientiâ:* Sed illi Hæretici repleti ſunt inſipientiâ, & ſpiritu immundo. Tantùm abeſt, ut fidem, & caſtitatem illius Nicolaï, cujus
Num.22. appellatione glorientur, præ ſe ferant; quin potiùs *Balaamo* impuriſſimo
v.2.4. mago ſimiles ſunt. Quemadmodùm enim Balaam Balaco, Moabita-
C.24. rum, Madianitarumque Regi, conſilium execrandum dedit, ut mitte-
v.14. ret gentis ſuæ magnum numerum ſpecioſarum mulierum, quæ pellicerent
C.25. Filios Iſraël ad fornicationem, & ad comedendum victimas immolatas
v.1.2.3. idolo Moab; ita nequiſſimi illi Hæretici ſuadent univerſæ uſum libidi-
C.31. nis, eſumque idolothytorum, prout libuerit.
v.16.
S. Iren. Tam fœdos, & impios Nicolaïtarum actus *odit* Chriſtus, qui caſti-
advers. moniam, & eam, quæ in Deum eſt, ſinceram pietatem diligit.
hæreſ. l.1.
c.23.24. Epiſcopus autem Pergami, ſicut ex verbis Apocalypſis, quæ expla-
27. nanda ſuſcepi, colligo nefarios illos, abominandoſque Hæreticos non oppugnavit, quantùm oportuit, gladio Verbi Divini; necdùm, ut par erat, expugnabat. Non vallavit eo, quo neceſſe erat, oves ſuas ſepto timoris Dei contra belluarum iſtarum incurſus; nec Principis Paſtorum opem eâ, quâ congruum fuit, inſtantiâ requiſivit. Fortaſſis non objurgavit tam ſeverè, quàm neceſſitas poſtulabat, eos, qui tantiſper tales ſeductores audirent; nec denique illos, qui ad iſtorum impiorum Sectam perverſitate ſuâ defecerant, conabatur eâ vi, quâ debuit, ad illam, quæ eſt in Religione Chriſtianâ, ſanctitatem reducere.

Pœnas quidem pro ſuis flagitiis graviſſimas ex Juſtitiâ Divinâ merentur nefandi illi Hæretici: tamen ea erat Salvatoris immenſa benignitas, ut vellet, ipſi ſuos errores, ac pravos mores emendarent pœnitentiâ, quæ iram ejus mitigaret, & miſericordiam provocaret: Nam & Princeps
2.Petr.3. Apoſtolorum fideles alloquens, de nonnullis Hæreticis ait, *Dominus*
v.3.9. *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.*

✝. 16. *Similiter pœnitentiam age.*

1.Ad Cor. Nimirùm optat Chriſtus, ut Epiſcopus ille Pergamenſis *luctum habeat*
5.v.2. *quo tollantur de medio* civitatis illius, qui tàm impia, & tàm fœda

Nicolaïtarum opera faciunt. Efflagitat quòque ut is Præſul reum ſeſe reputet, & corrigat; necnon Domino, quem offendit, pro ſuis, & aliorum delictis humiliter ſupplicet. Nonne enim, dùm populus Iſraël ſedit ludere, & manducare de victimis, quas idolo immolaverat; velletque *Dominus ipſum in irâ furoris ſui propter peccatum illud maximum delere*, Moyſes oravit, & jejunavit, ac *placatus eſt Dominus nè faceret malum, quod locutus fuerat adversùs populum ſuum?* Ita ſi Pergamenſis Epiſcopus tùm pro ſe, qui nonnulla admiſit peccata, tùm pro ſuis, qui ad vitia Nicolaïtarum inclinantur, congruam agat pœnitentiam, placabitur Dominus. Exod. 36. v. 6. 10. 11. 12. 13. 14. 21.

Ex ✠. 16. *Si quò minùs, veniam tibi citò.*

Quòd ſi de ſuâ culpâ, & de aliorum ſcelere non doluerit, ut debet, Pergamenſis Antiſtes; nec ſinceram, quâ reſipiſcat, pœnitentiam egerit; comminatur Dominus venturum ſe ad illum, non *in ſpiritu manſuetudinis*, quo nunc eum alloquitur, ut ipſum emolliat ad lacrymas, *ſed in virgâ*, quâ graviter ipſum, quòd ad benignitatem ejus obduruerit, percutiat. 1. ad Cor. 4. v. 21.

Ex ✠. 16. *Et pugnabo cum illis gladio oris mei.*

Non ſolùm autem illum, niſi pœnitentiam ſalubrem peragat, ſed etiam eos, qui Nicolaïtarum erroribus, ac vitiis ſunt implicati, Dominus puniet, niſi emendationem illorum, quâ poteſt, ac debet, Pergamenſium Epiſcopus piâ charitate procuraverit. Haùd dubiè Balaamum, & illos Iſraëlitas, qui cum mulieribus Madianitarum ſcortati ſunt, atque idolothyta comedere, Moyſes, & Phinees juſſu Domini, ut quieſceret ira ejus, peremerunt. Quantò magis ipſe Dominus, *gladio* illo bicipiti, qui ex ejus ore ſacratiſſimo prodit, hoc eſt, *ſpiritu labiorum ſuorum* vero, & ſancto, cui nulla vafrities, vel nequitia poteſt obſiſtere, Nicolaïtas, idolorum participes impuriſſimos, & eos, qui ex Pergamenſibus in illorum impietatem, & laſciviem deteſtandam proruunt, enecabit, niſi piè ſæviens in ſe ipſum Pergamenſis Præſul, & illorum correctionem juſtâ ſollicitudine procurans, iram exaſperati Domini compeſcat? Numer. c. 25. & 31. Iſai. 11. v. 14.

Adjiciam quod timorem judiciorum divinorum ſanctum debeat cunctis incutere: veros quòque Chriſtianos, & Sanctos, quorum nomen iſti hæretici uſurpant, gladio oris ſui aggredietur, & perſequetur Dominus. Sicuti enim *gladium* Babyloniorum, quem Prophetæ *gladium Domini* nuncupabant, *exacuit, & evaginavit* in Iſraëlitas etiam juſtos, qui commixti erant aliis ex eodem populo, quorum flagitiis graviter offendebatur: ſic Romanos Ethnicos excitabit; eorumque Imperatoribus dabit gladium, quem in caſtos, & pios quoſlibet Chriſtianos exerant, quia put bunt illos iiſdem ſceleribus contaminatos ac Nicolaïtas, & Gnoſticos, qui Chriſtianum nomen uſurpant. Ezech. 21. v. 3. 4. 5. 9.

Vult quidem Satanas ſub ſpecie Sancti illius nominis Chriſtiani incautos ad illorum hæreticorum vitia pertrahere, & gentes avertere à Religione Chriſtianâ ſub eâ exiſtimatione, quod omnes, qui illam ſectantur, eorumdem criminum ac illi Apoſtatæ ſint rei. Verùm Chriſtus apud ſeſe ſtatuit Sanctos ſuos genuinos à Pſeudo-Chriſtianis illis gladio S. Iren. adv. hær. l. 1. c. 23.

perſecutionis ſecernere: Qualis enim quiſque fuerit, tormenta probabunt; & patientia Martyrum Salvatori fidiſſimorum invicta ſanctitatem Religionis ab illo inſtitutæ comprobabit, firmabit, dilatabit.

Id ſanè, quod comminatus eſt Dominus Epiſcopo Pergami, contigit Pergamenſibus, aliorumque locorum Chriſtianis, quos Ethnici tanquàm Nicolaitarum, Gnoſticorumque flagitiis contaminatos, tametſi revera caſtos, & ſanctos, atrociter ſunt perſecuti.

Luculentum habemus eâ de re teſtimonium ex Epiſtolâ de Martyribus
Euſeb. hiſt. l. 5. c. 1. ſub Antonino Vero Lugduni paſſis, apud Euſebium. Quidam *Ethnici, noſtrorum ſervi, unà capiuntur, qui tormenta, quæ Sanctos tolerare cernebant, reformidantes, contra nos, militibus Satanæ impulſu illos ad hoc incitantibus, Thyeſtæas cœnas, & inceſtus Oedipodis, falsò commenti ſunt, & alia, quæ nobis nec eloqui, nec cogitare quidem fas eſſe judicatur.*

Quæ ſanè, cùm eſſent famà, & ſermone hominum paſſim diſſipata, omnes velut immanes belluæ contra nos furere cœperunt; ita ut id, quod à Domino prædicebatur, eſſet impletum, tempus venturum, in quo omnis, qui vos occiderit, videbitur obſequium præſtare Deo. Undè de cætero ſancti Martyres majora quædam cruciamenta, quàm quæ poſſint oratione explicari, ſufferre cogebantur. Suprà modum igitur lethale multitudinis univerſæ, præſidis, & ſatellitum odium in Diaconum, nomine ſanctum, Viennæ prognatum, in Maturum, in Attalum genere Pergamenum, & in Blandinam efferbuit, inquiunt *ſervi Ieſu Chriſti Viennam, & Lugdunum incolentes.*

Ruffin. hiſt. l. 5. c. 1. Ecce Attalus *Pergamenus Civis*, uti vocatur à Ruffino, inter alios Martyres cruciatur ob calumniam impudicitiarum, & voracitatis impiæ, quibus gemini, ac verè Sancti Chriſtiani diffamabantur, non ſecùs ac Nicolaïtæ, & Gnoſtici, qui ſe etiam Chriſtianos dicebant, quamvìs eſſent impuriſſimi, & flagitioſiſſimi hæretici.

℣. 17. *Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.*

Audivimus Dominum daturum gladium infidelibus adversùs fideles, ad probationem virtutis eorum falsò accuſatæ de ſceleribus Nicolaïtarum, & Gnoſticorum. Audiamus jam quod donativum militibus ſuis pro Chriſtianæ Religionis veritate, caſtitate, & ſanctitate pugnantibus, ac vincentibus tribuet.

Ex verſ. 17. *Vincenti dabo manna abſconditum.*

Num. 25. Dominus iis Iſraëlitis, qui illum dilexere; & cum Madianitidis mulieribus, nec ſcortati ſunt, nec idolothyta comederunt, effudit manna,
Sap. 16. v. 20. *paratum panem de Cœlo ab Angelis, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem.* Quia verò *Phinees zelo* Dei *commotus*, expugnavit,
Num. 25. v. 11. vicitque, ac delevit abominandos illos ſcortatores, & impios guloſos,
Num. c. 31. *dedit ei Dominus pacem fœderis, & pactum ſacerdotii ſempiternum*, in quo
Num. 25. v. 12. 13. caſtam, & ſanctam propter Deum vitam duceret; pièque, ac ſobriè de victimis divinæ Majeſtati immolatis ederet. Ita Chriſtus cuivis Chriſtia-
Ioan. 6. v. 32. no, qui libidinem caſtitate, & gulam temperantiâ vicerit, daturus eſt *Manna, panem de Cœlo verum*, nempe corpus ſuum Divinitati conjunctum,

Digitized by Google

ctum, ſub ſpeciebus Panis in Sacramento *abſconditum*; mentemque ejus delicíis ſpiritualibus, quæ carnales voluptates ſuperant, reficiet. Quòd ſi fideles deviĉtâ libidine, & gulâ, tormenta etiam pro virtutibus Chriſtianis tuendis ſuſtinuerint, efficiet Salvator *ſpiritus ſui ſuper mel*, & manna dulcis, in cor ejus infuſione, ut *guſtet quàm ſuavis ſit Dominus*, cui adhærebit. Ecclic. 24. v. 27. Pſ. 33. v. 9.

Ex verſ. 17. *Et dabo illi calculum candidum.*

Quamvis Infideles Chriſtiano illi caſto, temperanti, & pio, tanquam judices iniqui quandoque dent calculos nigros, eumque, quaſi ſit flagitioſiſſimus, & ſceleſtiſſimus, condemnent; Chriſtus, ſummus, ac juſtus Judex *calculum candidum dabit illi*; ipſumque ſuis actibus ſanctis, & ſententiâ Domini ſui juſtificatum, abſolvet ab illis criminibus, quæ in eum fuerint maligno, ac furenti animo excogitata.

Ex verſ. 17. *Et in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.*

Dùm autem judicio impiorum iniquo mortem ſubiturus erit genuinus ille Chriſtianus, ac verè Sanctus, geſtabit titulum, qui ſignificet cauſam condemnationis ſuæ; ſcribeturque ſuper eum, quòd Chriſtianus ſit, ac propterea necandus; quaſi nomen illud, quod ſanctitatis eſt indicium, ſit impietatis, & ſceleris certiſſimum argumentum.

At illo eodem tempore, quo Chriſtiani nominis Confeſſor inſignis ad ſubeundum vulgi infamiam ſic notabitur, ac dira quæque patietur, Chriſtus *coram Angelis ſuis glorificabit* eum; & ſicut *abundaverint* in illo *paſſiones Chriſti*, ſic & ejus *per Chriſtum abundabit conſolatio*. Luc. 12. v. 8. 2. ad Cor. 1. v. 5. Quippe tunc novo, & miro modo inſcribet Salvator in corde ejus digito Dei *nomen* ſuum, quod eſt Chriſtus, ab unctione Divinitatis in humanitatem ſuam effuſæ *novum*; tantâque teſtificatione amicitiæ ſuæ ipſum interiùs nuncupabit *Chriſtianum*, fide, & charitate ſibi conjunctum, ut *cor & caro* ejus, etiamſi mortem atrociſſimam ferant, *in Deum vivum exultent*. Pſ. 83. v. 3. Martyrem etiam illum tantâ benignitate internâ Salvator appellabit fratrem ſuum, utpote conſortio paſſionis illius ad hereditatem Patris Cœleſtis vocatum, ut *omne gaudium exiſtimet* eapropter *in varias tentationes incidiſſe*; ſentiatque *non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad* æternam *gloriam*, quam proximè conſecuturus eſt. Iac. 1. v. 2. Ad Rom. 8. v. 18. Denique animam fidelem, quæ caſtè, & ſanctè vixerit, *ſponſabit* ſibi *in miſericordiâ, & miſerationibus*; atque, quò graviora propter illum tormenta toleraverit, eò magis ſciet, *quia ipſe eſt Dominus ejus*, & ſponſus, uti ſummè amabilis, ſic ſummè amans: Oſee 2. v. 19. 20. Eos autem favores, & gratias ſingulares divini Sponſi, Patris cœleſtis, & Chriſti Salvatoris *nemo ſcit*, niſi qui perceperit; & totus ardenti charitate in Deum effuſus, ſuavitatem amoris divini admirabilem in ſeſe perſenſerit.

Hæc, quæ de *Manna abſcondito, calculo candido, & nomine novo*, Chriſtus piis, ac caſtis Martyribus libidinem, atque tormenta propter illum ſuperantibus promiſit, & expoſui, arbitror nullum futurum, qui non approbet, ſi conſideraverit quæ Viennenſis, Lugdunenſiſque Eccleſia tulit

tulit de ſuis Martyribus, ac de Attalo Cive Pergamenſi, ex calumniâ gulæ, & impudicitiæ Gnoſticæ graviter paſſis; ac inter atrociſſima tormenta benignitate Domini mirum in modum recreatis.

Euſeb. hiſt. l. 5. c. 1. *Blandina*, inquiunt, *tanto animi robore, & virtute imbuebatur, ut tortores, qui illam viciſſim omni ſuppliciorum genere à primo mane ad veſperam uſque afflixiſſent, magnopere mirarentur quo pacto perſeverans ſpiritum duceret. Verùm Beata Martyr in ipſa fidei confeſſione vires colligebat; atque prolatio iſtorum verborum, Chriſtiana ſum, & nihil apud nos admittitur ſceleris, erat dolorum, qui eam urgebant, ſumma levatio; fomentum cruciatus; & cujuſque moleſtiæ depulſio. Diaconus ille, Sanctus nomine, tantâ animi celſitate, & conſtantiâ carnificibus reſtitit, ut nè nomen quidem, vel ſuum, vel gentis, vel Civitatis undè ſuit, neque utrùm ſervus, an liber, illis vellet dicere; ſed ad omnia rogata ita illis reſponderet, Chriſtianus ſum; iſtudque pro nomine, pro civitate, pro genere, & denique pro re quâque iterùm, ac ſæpiùs eloqueretur; & quanquam corporis membra exurebantur, firmus tamen, conſtans, & immutabilis in fidei confeſſione perſtitit. Chriſtus autem in eo oſtendit nullum eſſe metum, ubi Dei Patris charitas; nec ullam moleſtiam, ubi fides Chriſti viget.*

Addit Viennenſis, & Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſtola, quòd *Martyres ſublevabat lætitia ex Martyrio percepta, ſpes promiſſorum, charitas in Chriſtum, ſacer Patris Spiritus. In illorum vultu decor quidam gratiâ, & venuſtate multâ aſperſus: ſic ut vincula etiam, quibus, velut ſponſa aurearum fimbriarum varietate decorata, mirè erant illuſtrati, egregium quemdam ornatum illis adjeciſſe viderentur. Tam ſuavem item, & fragrantem ex ipſo Chriſto egredientem efflarunt odorem, ut nonnullis artificioſo quodam unguento delibuti putarentur.*

Attalus quòque, poſtquàm undique per amphitheatrum circumductus eſt, tabulâ illum præcedente, in quâ Latinis literis hæc erat inſcriptio, Hic eſt Attalus Chriſtianus, in ferreâ cathedra candenti impoſitus, & ejus incendio ambuſtus, quando nidor, & fumus è corpore in ſublimi ferebatur, multitudinem ſic affatus eſt, Ecce, ecce, hoc, quod vos præſtatis, eſt homines vorare: nos quidem, neque voramus homines; neque aliud quidquam ſceleris patramus.

Poſtremò Beata Blandina, eoſdem certaminum curſus remenſa, ad eoſdem lætitiâ geſtiens, ac de ipſo vitæ ſuæ exitu permagno gaudio exultans, properabat; non quaſi ad beſtias crudeliter projecta, ſed ad cœnam ſponſi amicè invitata: atque poſt verbera, poſt beſtiarum laniatus, poſt ſartaginis exuſtionem, ad extremum in rete involuta, tauri ictibus objectatur. Quæ, cum ab animali illo diù, multumque icta, exagitataque fuiſſet, ac nullum ſenſum cruciamentorum, quæ hactenùs ei obtigiſſent, partim propter ſpem, quâ Dei promiſſis firmè adhæreſcebat, partim propter colloquia, quæ intrà ſe cum Chriſto conferebat, omninò haberet, tandem enſe jugulata fuit.

Hæc ex Epiſtolâ Eccleſiæ Viennenſis, & Lugdunenſis ad Fideles Aſiæ.

Nonnè, amabo vos, Lectores pii, & eruditi, ut meam Apocalypſis interpretationem confirmem, videtur vobis Amantiſſimus Dominus *de-*

diſſe

diſſe Blandinæ, Attalo Pergamenio, aliiſque Martyribus relatis, *Manna* ab oculis Infidelium *abſconditum*, quo tàm mirabiliter corroboratentur, exultarentque mediis in tormentis?

Nunquid non calculis nigris, ſeu calumniis, ac judiciis iniquis Ethnicorum condemnatos caſtos illos Martyres palàm juſtificavit Dominus juſtus judex; & *calculis ſuis candidis* abſolutos in Sanctorum album retulit, dùm virtutem illorum, & ſanctitatem tanta patientià inſignem omnibus exhibuit?

Nonnè denique Chriſtus nomen *Chriſtiani*, ac Filii Dei, ſeu fratris ſui, necnon jucundam ſponſæ ſuæ appellationem unicuique animarum illarum ſanctarum novo, & miro modo indidit; cùm indè tantam illis exultationem contulerit, ut dolorem omnem, quamvìs peracerbum, leniret?

Ecquis verò eam ipſorum Sanctorum Martyrum lætitiam, quanta fuerit, mente comprehendat, niſi & ipſe parem animi jucunditatem ineffabili benignitate ſalvatoris aliquando in ſeſe excipiat?

O Beatos Martyres, quos eſurientes propter ſe Dominus *Manna* ſuaviſſimo cibat! *Calculis candidis* morum ipſorum candorem indicantibus, etſi tetris calumniis impetitos, juſtificat; *novoque Nomine*, ſibi Divinitùs inſito, nuncupat in ſignum æternæ gloriæ, & perennis felicitatis illis communicandæ!

Ad tantam, quæſo, beatitudinem properemus; atque ut illam conſequamur, virtutes Martyrum, caſtimoniam, temperantiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam ſectemur. 1. ad Tim. 6. v. 11.

EXPLANATIO X.

Scripta Epiſcopo Thyatiræ, à decimo octavo verſu ad finem Capitis ſecundi Apocalypſis, exponens tùm de Carpo Thyatirenſi Præſule, & Martyre; tùm de Marcellinâ muliere Gnoſticâ, aliiſque juxta Hiſtoriam.

VERS. 18. Et Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes ejus ſimiles aurichalco.

℣. 19. Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam,

& miniſterium, & patientiam tuam, & opera tua noviſſima plura prioribus.

℣. 20. Sed habeo adversùs te pauca, quia permittis mulierem Jezabel, quæ ſe dicit Propheten, docere, & ſeducere ſervos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.

℣. 21. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſuâ.

℣. 22. Ecce ego mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum eâ, in tribulatione erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint.

℣. 23. Et filios ejus interficiam in mortem; & ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes, & corda, & dabo unicuique veſtrûm ſecundùm opera ſua.

℣. 24. Vobis autem dico, & cæteris, qui Thyatiræ eſtis, quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt altitudinem Satanæ, quemadmodùm dicunt, non mittam ſuper vos aliud pondus.

℣. 25. Tamen id, quod habetis, tenete, donec veniam.

℣. 26. Et qui vicerit, & cuſtodierit uſque ad finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes.

℣. 27. Et reget eas in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringentur.

℣. 28. Sicut & ego accepi à Patre meo, & dabo illi ſtellam matutinam. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

Verſ. 18. *Et Angelo Thyatiræ Eccleſiæ ſcribe.*

Euſeb. hiſt. l. 4. c. 14. ſub finem.

POSTQUÀM Euſebius retulit Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſtolam de Beato Polycarpo, & aliis apud Smyrnam Martyrio conſummatis, inquit: *Sequuntur in eadem Epiſtolâ facta memoratu digna aliorum Martyrum, qui Pergami, quæ eſt urbs Aſiæ, mortem oppetiverunt, ut Carpi, Papyli, & mulieris Agathonicæ; qui poſt multas, & eximias fidei, ac Religionis noſtræ confeſſiones Martyrio glorioſam mortem aſſecuti ſunt.*

Marty

Martyrologium autem Romanum recenſet illa diſtinctiùs, his verbis: *Pergami in Aſia Natalis Sanctorum Martyrum Carpi Epiſcopi Thyatirenſis, Papyli Diaconi, & Agathonicæ Sororis ejus optimæ fœminæ, Agathodori quoque eorum famuli, aliorumque multorum, qui poſt varios cruciatus pro beatis confeſſionibus Martyrio coronati ſunt in perſecutione Marci Antonini Veri, & Lucii Aurelii Commodi.* Martyrol. Rom. 13. April.

Ex illis Martyrologii Romani, & Euſebii verbis facilè mihi perſuadeo, Eccleſiæ Thyatirenſis Epiſcopum, cui juſſus eſt ſanctus Joannes ſcribere, fuiſſe præfatum Carpum, ejuſdem Eccleſiæ Antiſtitem: Cùm enim paſſus ſit in eorumdem Imperatorum perſecutione, quâ Polycarpus, potuit eſſe Thyatirenorum Epiſcopus eo tempore, quo Beatus Joannes Apocalypſim ſcripſit, quemadmodùm & ipſe Polycarpus jam tùm Smyrnenſium erat Præſul.

Ideò verò ſanctus Joannes, ſtatim atque mandata Domini ad Præſulem Pergamenſem direxit, ſcripſiſſe videtur Carpo illi Thyatirenſium Epiſcopo, quòd Martyrii gloriam eſſet Pergami adeptutus. Quid autem ei ſcribat attendamus.

Ex verſ. 18. *Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes ejus ſimiles aurichalco.*

Chriſtus quondam Paternæ Domus inflammatus zelo, cujus ardor
micabat in ejus oculis, & adverſarios terrebat, *ejecit de templo oves, &* Joan. 2.
boves; & his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte iſta hinc; & nolite v. 15. 16.
facere domum Patris mei domum negotiationis. Nunc zelo eodem ſuc- 17.
cenſus, & eoſdem oculos ardentes adverſus Juſtitiæ, & Sanctitatis Divinæ inimicos obvertens, Epiſcopum Thyatirenſem compellat, ut lupam, aliaque animalia immunda, nempe mulierem impudicam, hominéſque
perditis ejus moribus conſentientes, ab *Eccleſiâ, quæ domus Dei eſt,* tan- 1 ad Tim.
quàm Miniſter ejus, protinùs, & procul eliminet. 3. v. 15.

Scimus etiam ex Sacris Literis, quòd dùm prohibebat Dominus *ne* Levit. 20.
ullus ex Filiis Iſrael initiaretur Idolo Moloch, nec quiſquam declinaret ad v. 2. 3. 5. 6.
Magos, neve adulterium, aut hujuſmodi ſcelus perpetraret, hortabatur illos 7. 10. 20.
ut *eſſent Sancti, quia ipſe Sanctus eſſet*; comminabaturque, ſi ſecùs feciſ- 21. 26.
ſent, *ſe poſiturum faciem ſuam contra illos; interfecturumque eos, & abſque liberis [illegible].*

Pari ratione Thyatirenſem Epiſcopum alloquitur Dominus *habens ocu-*
los tanquam flammam ignis ardentes, ac *pedes*, qui, quemadmodùm anteà Explan. 5.
explicui, munditie ſuâ, & nitore vivido, æris in fornace ſuccenſa puriſ- v. 15.
ſimi ruborem exhiberent: ut hinc puritatem eximiam Domini, ſancti- c. 1. Apoc.
tatemque ei velut Summo Sacerdoti convenientem, quàm maximam percipiamus; conjiciamuſque ſtatim illum irato animo, & vultu exaſpera-
to aſpecturum mulierem, quæ Thyatiræ eſt, non *Propheten*, ſicuti ſe ja- Apoc. 2.
ctat, ſed magam, adulteram, & idolorum participem; eamque puni- v. 20. 22.
turum graviter, ac filios ejus enecaturum. 23.

Antequam verò iſtas vaferrimæ illi mulieri pœnas infligat, libens Epiſcopo

Epiſcopo Thyatirenſi aperit quid boni de illo ſentiat, dùm ait.

Verſ. 19. *Novi opera tua, & fidem, & charitatem, & miniſterium.*

Juxta Græcum collocanda eſſet fides inter charitatem, & miniſterium. Illa autem mihi videntur hunc in modum explananda.

Novi opera tua, tùm domeſtica, tùm Eccleſiaſtica, quibus patet te
1. ad Tim. *domui tuæ benè præeſſe, & Eccleſiæ tuæ diligentiam*, ſeu curam ſedulam
3. v. 5. *habere.*

Ex verſ. 19. *Et charitatem.*

Ad Rom. Nec tantùm *praes in ſollicitudine*; ſed & *miſereris in hilaritate. Di-*
12. *lectio* tibi eſt *ſine ſimulatione. Odiſti malum; adhæres bono. Charitate dili-*
v. 8. 9. 10. *gis* Fideles tibi commiſſos, ut *fratres*: *neceſſitatibus* illorum *communicas*:
13. *hoſpitalitatem ſectaris*; omnibuſque quovis modo egentibus ſubvenis.

Ex verſ. 19. *Et Miniſterium.*

1. ad Cor. Ut verò *Miniſter Chriſti, Domino ſervis, Spiritu fervens*; & tanquam
4. v. 1. *diſpenſator Myſteriorum Dei miniſterium* tuum *imples.*
Ad Rom. Diaconus etiam (pro quo Διακονία in Græco) tibi eſt, qui *non turpe lu-*
12. v. 11. *crum ſectatur*; ſed *habet Myſterium fidei in conſcientiâ purâ*; quique *be-*
1. ad Tim. *nè miniſtrans, gradum bonum ſibi acquiret, & multam fiduciam in fide,*
4. v. 5. *quæ eſt in Chriſto Ieſu.*
Papylus
ex Euſe- Ex verſ. 19. *Et fidem.*
bio, &
Martyr. *Fides* autem ea, quâ tu ipſe Sacra Myſteria peragis, tanta eſt, ut
Romano. *inviſibilem tanquam videns ſuſtineas*, pièquecolas; & *pro omnibus ho-*
1. ad Tim. *minibus inſtanter ores.*
3. v. 8. 9. 13.

Ex verſ. 19. *Et patientiam tuam.*

Ad Hebr. Patientia verò, quâ perſecutionem tranquillo animo ſuffers, eò plu-
11. v. 27. rìs facienda eſt, quò libentiùs erga eos, qui te perſequuntur, multa effi-
1. ad Tim. cis bona opera. *Malediceris* enim ab illis; & iis *benedicis.* Imprecantur
1. v. 1. tibi: at pro eis *obſecras.* Oderunt te: ſed ipſos *diligis.* Mala tibi inferunt;
1. ad Cor. tu verò illis beneficia confers; eòque Magis prodeſſe ipſis ſtudes, quò
4. v. 12. 13. graviùs nocere tibi contendunt: Quippe *non vis vinci à malo: ſed vincis*
Matth. 5. *in bono malum.*
v. 44.
Ad Rom. Ex verſ. 19. *Et opera tua noviſſima plura prioribus.*
12. v. 21.

Opera illa tua eximiæ charitatis eò gratiora ſunt Domino, quò *noviſ-ſima plura ſunt prioribus*, quatenùs in illos adverſarios tuos, poſtquàm ab illis læſus es, plura confers beneficia, quàm anteà, nil læſus, confer-
Ad Heb. res. *Nec deficis animo* in tribulationibus tibi inflictis; ſed majores indè vi-
12. v. 3. res ſumis; diebuſque ſubſequentibus paratior es, quàm prioribus, graviora tolerare propter Dominum. Illi quòque mediis in perſecutionibus ferventiùs, ac ſanctiùs miniſtras.

Hæc, quæ multa ſunt in Thyatirenſi Epiſcopo, plurimùm laudat Chriſtus: attamen nonnulla in eo deinceps reprehendit.

Verſ. 20. *Sed habeo adverſùs te pauca, quia permittis mulierem, Iezabel, quæ ſe dicit Propheten, docere, & ſeducere ſervos meos, fornicari, & manducare de idolothytis.*

Jezabel

Jezabel illa, de quâ in libris Regum, *filia Regis Sidoniorum*, *Achab Regem Iſraël*, cujus fuit uxor, *concitavit ut ſerviret Baal*, *& adoraret* L.3.Reg.
eum. Poſuit etiam aram in templo Baal, quod ædificavit in Samariâ, & cap.16.
plantavit lucum, in quo victimæ Idolo immolatæ comedebantur; & ſpur- v.31.32.
ciſſima quæque à colentibus *turpiſſimum Simulacrum* perpetrabantur. 33.
Ex verſ.20. *Mulierem Iezabel docere.* c.21.v.16.
At Jezabeli Dominus comparat mulierem, quæ Thyatiræ eſt, nobiliſ- 3.Reg.15.
ſimam quidem, & potentis viri, ut ex illâ comparatione conjiciendum v.13.
mihi videtur, *τὴν γυναῖκα*, uxorem; ſed vitiis ſuis infamem; multo pollentem ingenio, quippe quæ palàm *doceat*; ſed ſpiritu actam maligno; ſuâque authoritate, ſicuti & corpore, ad flagitia quæque abutentem.

Ex verſ.20. *Quæ ſe dicit Propheten.*

Tantam illa ſibi ſcientiam arrogat, ut futurorum ſe, & occultorum præſagam jactitet, quamvìs nonniſi falſa, & impia proferat.

Ex verſ.20. *Seducere.*

Argumentis ſophiſticis nonnullos ex illis, qui fidem Chriſto dederunt, *ſeducit*; iiſque, ut tempore perſecutionis abnegent Dominum, ac ſerviant idolis, ſuadet.

Ex verſ.20. *Fornicari, & manducare de idolothytis.*

Pellicit quòque ipſos ad omnem laſciviem, quaſi ad quoddam corporis bonum; & indulgere eos ventri conſulit, etiamſi dæmonibus immolatos cibos impiè ſint comeſturi.

Ex verſ.20. *Permittis illam mulierem docere.*

Horret Chriſtus, qui eſt ipſamet Veritas, & Sanctitas, talem mulierem Thyatiræ degentem; & arguit Epiſcopum, quòd illam ſineret docere. Non quidem, ut arbitror, facultatem illi tribuebat docendi; vel favorem, aut etiam aſſenſum præbebat perverſæ illius doctrinæ; alioquin *non quaſi pauca* quædam in illo Antiſtite errata carperet Dominus; ſed uti complura, & graviſſima ſcelera deteſtaretur, ac ulciſceretur. Quapropter dùm dicitur ille Præſul *permittere* illam *mulierem docere*, intelligendus eſt, quòd pateretur, quòd toleraret; nec eâ vi, quâ debuiſſet, illam compeſceret; nec etiam fidelium ſibi commiſſorum ſatis conſuleret ſaluti. Quàm
primùm enim novit quoſdam ad illam hæreticam audiendam propenſos,
debuerat ipſos *increpare durè, ut ſani eſſent in fide*; *nec intenderent* fœminæ Ad Tit.1.
perverſæ *averſanti illos à veritate*, & ſanctitate. Poſtquàm autem ejus ne- v.13.14.
quitiæ conſenſerunt nonnulli, oportuit ipſum illos graviter corripere; ac totis viribus eniti, ut eos ex illâ pravitate erueret.

Enim verò quis neſciat quo zelo, quâve animi conſtantiâ Elias, cùm
fugiſſet aliquando Iezabelem, Prophetas Domini interficientem, adierit 3.Reg.17.
v.3.
juſſu divino Achabum Iezabelis maritum; eumque, & ejus populum, C.18. v.1.
quòd derelicto Domino ſecuti eſſent Baal, arguerit; ac multos miro 13.18.21.
modo ad cultum veri Dei reduxerit? 39.

Quòd ſi mulierem illam potentem, Iezabeli moribus ſimilem, verebatur Thyatirenſis Epiſcopus adverſùm ſe, & in Eccleſiam ſuam commo-

vere; ſatiuſque duceret pati, ut quidam in fide, ac virtutibus Chriſtianis titubantes, mulieris illius artibus pravis decepti caderent, quàm magna fidelium multitudo enecaretur impiæ illius fœminæ ad iram provocatæ 3.Reg 19. v.2.3. 3.Reg.21. à v.17. ad 27. potentiâ: debuit ille Antiſtes attendere Eliam, qui licet Iezabelem graviter iratam ſibi non nihil timuiſſet, tamen paulò poſt divinâ voce confirmatus, Achabum rursùs convenit; eique, & Iezabeli deſtinatas à Deo pœnas ſignificavit. Talem Dominus cupiebat Thyatirenſem Epiſcopum adversùs mulierem illam Iezabelianam Thyatiræ commorantem; arguitque illum quòd non ita ſe contra ipſam geſſiſſet.

Iam verò ſi quis inquirat cujus eſſet ſectæ, & quod nomen haberet mulier illa Iezabeli comparata; dixerim mihi videri quòd fuerit Gnoſtica, & nuncupata Marcellina.

Quippe, quod ad Gnoſticorum hæreſim ſpectat, Euſebius, ſimul ac Euſeb.hiſt. l.4.c.7. retulit *Baſilidem docuiſſe, quòd hoſtias idolis immolatas comedere, & perſecutionum temporibus fidem audacter, & liberè negare, res eſſent indifferentes;* addit ex Irenæo, *Carpocratem eiſdem vixiſſe temporibus; & hæreſis, quam qui Gnoſtici vocantur, tenuerunt, quaſi parentem extitiſſe. Iſti magicas Simonis præſtigias, non ex occulto quidem, ut ille, ſed jam in apertum proferendas cenſuerunt; & eos, qui ad perfectionem myſterii, imò verò ſceleris, quod apud iſtos eſt, pervenire vellent, omnia, quæ ſunt turpiſſima, moliri oportere docuerunt; nec poſſe Angelos orbis terrarum principes evitare, niſi talibus, ac tàm infandis myſteriis, quod cuique eorum deberetur, ſedulò præſtarent.*

Hæc certè impia Gnoſticorum facinora conveniunt mulieri illi, apud Thyatiram degenti, quæ ſe Propheten jactabat; docebatque quos ſeducebat, fornicationem tùm ſpiritualem cum idolis, tùm corporalem quibuſvis actibus obſcœnis.

S.Iren.adv. hær. l.1. c.24. Ut autem nomen illius mulieris referam, Sanctus Irenæus illo capite, quo de Carpocrate, & Gnoſticis loquitur, ait, *Marcellinam, quæ Romam ſub Aniceto venit, cùm eſſet hujus doctrinæ, multos exterminaſſe.*

Illam itaque Marcellinam, Gnoſticæ hæreſis doctricem famoſam, putaverim à Sancto Joanne indicatam, quæ cùm tandem zelo Thyatirenſis Epiſcopi coacta fuerit è Civitate Thyatirorum diſcedere, Romam ſe contulit, ut in frequentiſſimâ urbe, quò ex toto terrarum orbe homines confluebant, hæreſim ſuam magis diſſeminaret.

Nec mirum quòd Marcellina illa, quæ teſte Sancto Irenæo, ad tempus Aniceti pervenit, fuerit à Beato Joanne deſignata, cùm & ipſe Carpus Thyatirenſis Epiſcopus, cui idem Chriſti diſcipulus ſcripſit, prætergreſſus fuerit idem tempus Aniceti, quandoquidem paſſus ſit Pergami Euſeb hiſt. l.4.c.13. eâdem in perſecutione, quâ Polycarpus, qui Anicetum Romæ inviſerat, Martyrio coronatus eſt Smyrnæ, quemadmodùm initio hujuſce explanationis adnotavi ex Euſebio, & Martyrologio Romano.

His, quantùm licuit, diſcuſſis, interpretationem verborum Chriſti de muliere illâ Iezabelianâ, Thyatiræ primùm quoſdam ſeducente, proſequor.

Verſ.21.

Verſ.21. *Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret.*

Poterat quidem Chriſtus mulierem illam, tot, tantorumque flagitiorum ream, debitis pœnis afficere: ſed cohibuit juſtitiam ſuam, ut inſenſata illa mulier reſipiſceret; ac pœnitentiâ condignâ paratas ſibi pœnas effugeret.

Ita ſanè cùm Achab impietatis, & ſcelerum Iezabelis uxoris ſuæ particeps, audiſſet imminentia ſibi mala per Eliam prænuntiata, *ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite.* Quod cùm vidiſſet Dominus, dixit Eliæ, *quia humiliatus eſt mei causâ Achab, non inducam malum in diebus ejus.* 3.Reg.21. v.21.22. 23.24.27. 28.29.

Pari nunc clementiâ permotus Chriſtus cupiebat, ut mulier illa Iezabeliana Thyatirorum, ſuperba, impia, & impudica, humiliaretur coram Deo ſuo; & caſtigata jejuniis, aliiſque ſanctis operibus emendata, veniam à Salvatore ſuo conſequeretur.

Tanta erat Domini benignitas, ut gratiâ ſuâ præveniret mulierem illam Iezabelianam eo tempore, quod *dabat illi, ut pœnitentiam ageret*; conjicioque illam perſæpe allocutum interiùs, juxta hæc verba per Prophetas in gratiam peccatricis Synagogæ prolata: *Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me. Revertere averſatrix, & non avertam faciem meam à te, quia ſanctus ego ſum; & non iraſcar in perpetuum. Veruntamen ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum prævaricata es.* Objecit ei nobilitatem ejus, quam decebat eſſe virtutibus inſignem, non vitiis fœdam: oſtendit illi quàm turpe eſſet, & horrendum, mulierem, ad pudorem natam, impudicitiæ eſſe magiſtram; præeſſe flagitiis, quæ deberet authoritate ſuâ cohibere ſcelera; ſpiritui immundo ſervire, quæ præclarum à Deo ingenium accepiſſet: denique, quàm miſerum, & luctuoſum eſſet æterna ſibi cum Diabolo tormenta temporaneis voluptatibus comparare; felicitatem verò cum Sanctis perpetuam, laboribus aliquot pœnitentiæ promiſſam, nolle adipiſci. Ier.3.v.1. 12.13.

Ex ℣.21. *Et non vult pœnitere à fornicatione ſuâ.*

Verùm nihil horum mulierem illam, quæ ſe vitiis, & dæmonibus mancipaverat, ad pœnitentiam inflexit. *Frons mulieris meretricis facta eſt illi: non dedit cogitationes ſuas, ut reverteretur ad Deum ſuum, quia ſpiritus fornicationum in illâ eſt; & Dominum non cognovit,* cùm hæreſim Gnoſticam profiteatur, ac etiam doceat. Proptereà *reſpondebit arrogantia illius in facie ejus, ruet in iniquitate ſuâ.* Ier.3.v.3. Oſee 5.v.4 Oſee 5.v.5

Verſ.22. *Ecce ego mittam in lectum, & qui mœchantur cum eâ, in tribulatione maximâ erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint.*

Verſ.23. *Et filios ejus interficiam in morte.*

Aliquot annis à morte Achab, unctus eſt Iehu juſſu Domini in Regem Iſraëlis, & in vindicem Divinæ Majeſtatis læſæ tùm ab Achabo, tùm à Iezabele, cujus impietas in filios, & in ſubditos effluxerat. Icciro interfecta eſt ipſa Iezabel; occiſus Ioram Rex Iſraël, cæterique filii Achab, necnon univerſi optimates ejus, & cuncti Sacerdotes Baal ſunt enecati. 3. Reg. c.22. 4.Reg.c.9. 4. Reg. c.10.

L. 2. Paral. 21. v. 1. 6. 12. 13. 14. 15. 16.

Quia verò alter *Ioram, filius Ioſaphat, Rex Iuda, ambulavit in viis Regum Iſraël, ſicut egerat domus Achab, (filia quippe Achab erat uxor ejus) & fecit malum in conſpectu Domini, miſit ad eum Elias Propheta literas, in quibus ſcriptum erat; Hæc dicit Dominus Deus David patris tui, quoniam non ambulaſti in viis Ioſaphat patris tui, & in viis Aſa Regis Iuda, ſed inceſſiſti per iter Regum Iſraël, & fornicari feciſti Iudam, & habitatores Ieruſalem, imitatus fornicationem domus Achab: Ecce Dominus percutiet te plagâ magnâ cum populo tuo, & filiis tuis, & uxoribus tuis, univerſâque ſubſtantiâ tuâ. Tu autem ægrotabis peſſimo languore uteri, donec egrediantur vitalia tua per ſingulos dies.* Quod ita eveniſſe poſtmodùm ſacra narrat hiſtoria.

Sic Dominus prædictam mulierem illam, quæ Iezabelis impietatem, nefarioſque actus, & impœnitentiam ſectatur, morbo ſacro percutiet, ac longâ tabe conſumet. Illos etiam, qui fornicationis ejus, tùm ſpiritualis, tùm corporalis participes ſunt, graviſſimis morbis, quibus corpore, & animo excrucientur, affliget; necnon filios ejus interficiet: *Mulieris* enim *inſenſatæ nequiſſimi filii teſtes ſunt nequitiæ adverſus matrem ſuam, & ex iniquo thoro prognati exterminabuntur,* ſicuti dudùm pronunciavit Sapiens.

Sap. 3. v. 12. 16.

Ex ℣. 23. *Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans renes, & corda; & dabo unicuique veſtrûm ſecundùm opera ſua.*

Dùm autem mulierem illam Iezabelianam, ejuſque flagitiorum ſocios, ac filios illius nequiſſimos, morbis inſolitis, digitum Dei indicantibus, abſumet Dominus, *omnes Eccleſiæ*, quæ plagas illas à Deo manifeſtè inflictas audierint, experimento ſalubri percipient, quod jam fide certiſſimâ perceperunt, nempè Chriſtum tanquàm ſummum judicem inquirere affectus cordium, & renum actus; eoſque, cùm nefarii ſunt, condemnare, ac debitis pœnis afficere.

Gnoſtica quidem illa mulier cum authore ſuæ ſectæ docet, & quotquot ei adhærent, arbitrantur *univerſæ libidinis uſum eſſe indifferentem; ſolâque opinione humanâ, quædam bona, quædam autem mala vocari.* Sed Chriſtus, verus, & juſtus judex, liquidò oſtendet quàm turpiter errent Gnoſtici illi omnes effœminati: omnibus enim cordatis viris, & ſanæ mentis fidelibus commonſtrabit quàm gravia judicet peccata fornicationem, alioſque hujuſmodi actus obſcœnos, cùm ſcelera illa pœnis atrocibus ulciſcatur.

S. Iren. adverſ. hæreſ. l. 1. c. 23. 24.

Hæretici etiam illi inſani, & flagitioſiſſimi, ſi in inſaniâ ſuâ, & nequitiâ perdurent, cogentur ex tormentis, quibus excruciabit illos Dominus, fateri eum *reddere unicuique* illorum ſecundùm opera, quæ fecerint; & *per quæ peccat quis, per hæc & torqueri.*

Sap. 11. v. 17.

Quòd ſi Gnoſtici illi nefandi, *traditi* anteà *in reprobum ſenſum, ut facerent ea, quæ non convenirent, repleti* in ſuis *inſipientiâ, & iniquitate,* non agnoſcant, ex morbis peracerbis ſibi divinitùs illatis, dignas facinoribus ſuis pœnas ſe recipere: Catholici omnes, quibus eſt cura ſalutis ſuæ, fides caſta, & timor ſanctus Divinæ Majeſtatis, exploratum habebunt ex ſignis manifeſtis juſtitiæ illius, ipſum eſſe, & fore æquiſſimum judicem,

Ad Rom. 1. v. 28. 29. 30.

cem, ac ultorem omnis impudicitiæ, & nequitiæ; tametſi patienter agat erga peccatores; illoſque pro eâ, quæ ipſi eſt erga genus humanum, immenſâ charitate ad pœnitentiam diù provocet.

Hæc, quæ dicta ſunt, mala obtuent mulierem Jezabelianam, & filios ejus, ac ſocios execrandos, *niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint.*

℣. 24. *Vobis autem dico, & cæteris, qui Thyatiræ eſtis, quicumque non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt altitudinem Satanæ, quemadmodùm dicunt, non mittam ſuper vos aliud pondus.*

At Epiſcopo, & Clero, aliiſque fidelibus Eccleſiæ Thyatirenæ Dominus aſſerit ſe non aliam illaturum mœſtitiam, quæ ægritudo quædam animi eſt, præter illam triſtitiam, quam habituri ſunt ex eo, quòd corripiat ipſos de eâ muliere Gnoſticâ, quam vellet illotum zelo coactam fuiſſe è civitate diſcedere. Etenim hæreticam illam ſceleſtiſſimam, ejuſque ſocios nefarios puniturus eſt ditiſſimè, ac juſtiſſimè, tanquàm judex: Fideles verò Thyatirenſes corripit benignè, ut Pater. Nam licèt impia iſta Jezabel nonnullos in præfatâ urbe nimiùm curioſos, & parùm ſuæ ſaluti conſulentes ſeducat: tamen ab illius peſſimæ magiſtræ deteſtandâ doctrinâ longè abſunt genuinorum fidelium animi; nec volunt tantiſper *myſteria iniquitatis*, altamque, & profundam ſcientiam, quam oſtentat, cognoſcere: Quippe humiles ſunt, & ſimplices in fide, quæ *Dei donum eſt*, & à Spiritu Sancto profecta. Inanis autem altitudo abominandæ illius ſcientiæ Gnoſticorum, non niſi ex vanitate illorum, & Dæmonis ſuperbiâ oritur; ac ſi qua putatur in eâ profunditas, haùd dubiè animas, quæ illam ſequuntur, devolvit in abyſſum inferni. 2. ad Theſſ. 2. v. 7. Ad Eph. 2. v. 8.

Quæ cùm ita ſint, *ſufficit* Domino Thyatirenſes *objurgare*, quòd ſinant in Civitate ſuâ mulierem animatum ſeductricem commorari; nec ducit neceſſarium increpare illos duriùs, quaſi ipſorum virtuti diffidat; aut videatur eos *onere*, ſeu *pondere* authoritatis ſuæ plùs æquo *gravare*. Quippe novit quòd correptio illa quantulacumque ſua contriſtabit illos tanquàm filios probè inſtitutos, quos vel modica ſigna patris irati perturbant. Quin etiam hæc ipſa, *quæ ſecundùm Deum* erit *triſtitia* illorum, *pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operabitur*; & adversùs mulierem illam hæreticam ita eos commovebit, ut ipſa, nec ferens zelum illorum, nec valens armis ipſorum ſpiritualibus, ac prælio ſancto obſiſtere, procul ex illorum urbe abſcedat. 2. ad Cor. 2. v. 5. 2. ad Cor. 7. v. 10.

℣. 25. *Tamen id, quod habetis, tenete, donec veniam.*

Hunc impiæ mulieris diſceſſum peroptat Dominus, ſimul & Thyatirenſium conſtantiam in fide, necnon in bonis operibus perſeverantiam. Eapropter *fortiter teneant propoſitam* ſibi *ſpem, quam ſicut anchoram habeant animæ tutam, ac firmam*; ſerventque tradita ſibi præcepta Divina, ut *digni habeantur ſtare ante Dominum, & non confundantur ab eo in adventu ejus. Certent pro juſtitiâ, & pro eâ uſque ad mortem agonizent.* Victores coronabit Agonotheta Chriſtus; cumulabitque honore & gloriâ. Ad Heb. 6. v. 18. 19. 1. Joan. 2. v. 28. Eccli. 4. v. 33.

℣. 26. *Et qui vicerit, & cuſtodierit uſque ad finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes.*

Quiſquis ſuperaverit Diaboli malas artes, illecebras carnis, & mundi blanditias, ac minas, conſequetur à Chriſto *poteſtatem ſuper gentes*, dæmonum cultui mancipatas, libidini ſervientes, & terrenis duntaxat inhiantes. Is quòque, qui Salvatorem non negaverit tempore perſecutio-
Matth. 10. nis, *ſed confeſſus* illum *fuerit coram Regibus, & Præſidibus* ethnicis; pa-
v. 18. 32. tieturque conſtanti animo tormenta, potiùs quàm mandata divina præ-
Sap. 3. v. 8. tergrediatur, *judicabit nationes.*

℣. 27. *Et reget eas in virgâ ferreâ, & tanquàm vas figuli confringentur.*

Regnum Cœleſte, pro quo decertaverit invicto animo, conſecutus, ſummam in eos, à quibus fuerit vexatus, potentiam exercebit; & infideles illos, utpote Deo rebelles, *reget in virgâ ferreâ*, hoc eſt rigore inflexibili. Evertet Divinâ virtute aras, & templa dæmonum; contringetque idola; nec quamvis argentea ſint, vel etiam aurea, pluris illa faciet, quàm vaſa quæque fictilia. Sic quondàm Moyſes, authoritate Dei
Gen 32. munitus, & zelo commotus, *contrivit uſque ad pulverem vitulum aureum,*
v. 2. 4. 6. *quem adoraverant filii Iſrael.*
20.
Attamen Moyſes, quantâcumque ſanctitate, & apud Deum potentiâ polleret, non valuit impedire, quin illo adhuc vivente populus Hebræus
Num. c. 25. ad idolatriam reverteretur. At Sancti Martyres multò majorem à Chriſto
Deut. 32. poteſtatem adepti, ſic dominabuntur gentibus, ut quemadmodùm vas
v. 6. 28. fictile, ſemel contractum, non poteſt reſarciri; ita efficiant ut idololatria, ſemel ex orbe univerſo deleta, nullis unquàm ſæculis poſteà renovetur. Infidelium bella auferent contra ſeipſos injuſtè concitata; &
Pſ. 45. v. 9. pacem Eccleſiæ ſanctam conciliabunt. *Arcum conterent; & confringent*
10. *arma; & ſcuta comburent igni*; cæteraque Ethnicorum vaſa bellica ita comminuent, ut illa deinceps adverſùs Sanctos non majori ſint uſui, quàm ſi eſſent vaſa fictilia confracta. Uno verbo, Sancti exarmabunt Paganos; ſuæque, & Chriſti ditioni Divina virtute ſubjicient.

℣. 28. *Sicut & ego accepi à Patre meo.*

Ad Heb 1. Illam Chriſtus à Patre ſuo, tanquàm filius ejus *primogenitus, & uni-*
v. 6. *genitus*, accepit adverſùs gentes poteſtatem primariam; illiuſque parti-
Joan. 1. cipes efficiet fideles in obſequio Patris, & ſuo perſeverantes, veluti *filios*
v. 14. ipſius, & *fratres* ſuos adoptivos, ab ejus virtute non degeneres. Poſt-
Ad Rom. 8. v. 17. quàm enim *gentes, & populi* Judæorum contra ipſum *fremuerunt*; *aſtite-*
Pſ. 2. v. 1. 2. *runtque Herodes, ac Pilatus adverſùs* illum, Pater illius patientiam ejus,
Act. 4. v. 27 & humilitatem remuneraturus, *dedit ei gentes in hereditatem, & poſſeſſio-*
Act. 13. *nem ſuam terminos* terræ, adeò ut *regat eos in virgâ ferreâ, & tanquàm*
v. 32. *vas figuli confringat illos.*
Pſ. 2. v. 7. 8.
Hæc primùm à Prophetâ regio, & dein à Beato Joanne prædicta, implebuntur, dùm Chriſtus nationes ei adverſarias, & ſervis ejus bellum inferentes ſubiget; atque Idololatriâ ubique terrarum deletâ populos omnes cultui divino addicet.

Hunc

Hunc verò, quem Divina illa Oracula prænuntiabant effectum, non
modò apud Thyatirenſes, verùm etiam apud omnes populos advertere
eſt ex plurimis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monimentis, authoritate Principum
Chriſtianorum, necnon zelo ſanctorum Præſulum, & Fidelium.

Ex ℣.28. *Et dabo illi ſtellam matutinam.*

Gnoſtici, ex quibus præcipua ſeductrix eſt mulier illa Jezabeliana, de
quâ ſæpe hâc explanatione, decepti à *Satanâ, qui ſe transfigurat in An-* 2 ad Cor.
gelum lucis, promittunt accedentibus ad ſe illuminationes, revelatio- 11.v.14.
nes, Prophetias, altamque, & profundam magnorum arcanorum ſcien-
tiam: ſed ementitus ille fulgor in tenebras æternas cum ſuo vergit princi-
pe; ita ut, quemadmodùm Iſaias dixit per allegoriam Dæmoni, *Quomo-* Iſai.14.
dò cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? detracta eſt ad inferos ſu- v.11.12.
perbia tua; ſic ex eodem Prophetâ dici queat illis Hæreticis: *Væ, qui ſa-* Iſai.5.
pientes eſtis in oculis veſtris; & coram vobiſmetipſis prudentes. Væ, qui v.20.21.
*dicitis malum bonum; & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem
tenebras.*

Contrà verò Chriſtus *Sapientia Dei*, & *lux vera, in quâ tenebræ non* 1.ad Cor.
ſunt ullæ, mentes illorum, qui ei fideliter, conſtanterque adhæſerint, Sa- 1.v.24.
pientiæ Divinæ illuſtrabit luce, quam ſequetur Beatæ Æternitatis dies; Joan.1.
ſicuti *ſtella matutina*, quæ Lucifer appellatur, ſolem, diemque mox v.9
ſubſecuturum præcedit. 1.Joan.1.
v.5.

Inſuper, quia Ethnici perperàm judicant de genuinis, ac Sanctis Chri-
ſtianis, putantes illos Gnoſticorum criminibus implicatos, quòd Gno-
ſtici nomen Chriſtianum ſibi arrogent; ipſe Chriſtus, qui omnia novit,
dùm veniet judicaturus ſingulos, *illuminabit abſcondita tenebrarum*; & 1.ad Cor.
veritatem, *quæ* multos *latuerit*, cunctis *oſtendet*. 4.v.5.

Is etiam eſt Chriſti erga fideles ſuos amor, ut nè quidem noviſſimum 14.Eſdræ.
illud tempus extremi judicii ſui expectaturus ſit, quò commonſtret quid 6.v.28.
ſit diſcriminis inter Gnoſticos Pſeudo-Chriſtianos, & eos, qui fide ſuâ
ſincerâ, & virtute digni ſunt ejus ſancto, ac venerando nomine: ſed,
quemadmodùm author naturæ, & *Pater luminum* Deus, priuſquàm lu- Jac.1.
men Solis emittat, quo pateant omnium oculis, quæ anteà erant ſub cali- v.17.
gine noctis abſconſa, immittit *ſtellæ matutinæ* lucem, quâ incipiunt obje-
cta detegi; & deinceps magis, ac magis aurorâ creſcente manifeſtantur:
ſic antequàm *veniat dies Domini magnus*, qui obſcura quæque cunctis pro- Malach.
palabit, Dominus, *ſplendor Patris*, inter infidelitatis tenebras ſparget 4.v.5.
placidam lucem, quæ virtutem ſervorum illius ſub humilitate latitan- Ad Heb.1.
tem indicet; majoremque per ſingula momenta creſcens admirationem v.3.
apud complures Ethnicos moveat; ac denique crimina, quæ à Gnoſti-
cis in occulto fiunt, detegit, & fuget. Ita Dominus re ipsâ oſtendet
quàm verum ſit hoc Salomonis effatum, *Juſtorum ſemita, quaſi lux ſplen-* Prov.4.
dens, procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem: via autem impiorum v.18.19.
tenebroſa: neſciunt ubi corruant.

In eam profectò ſententiam, quam Apocalypſis explanandæ causâ
retuli,

Digitized by Google

Euſeb.hiſt. l.4. c.7. retuli, locutus eſt Euſebius, ſtatim atque de Gnoſticis egit. *His igitur,* inquit, *Diabolus tanquàm nequitiæ ſuæ miniſtris uſus eſt, quò, qui fidem receperant, illorum ſuaſu non ſolum in fraudem abriperentur; verùm etiam gentilibus, qui erant à fide alieni, anſam præberent ſacroſancto Dei verbo petulanter, impièque obtrectandi: eo planè conſilio ut fama de flagitioſorum iſtorum vitæ ratione paſſim diſſipata, turpem ignominiæ notam univerſæ Chriſtianorum multitudini inureret.*

Verùm, ſubjungit Euſebius, *iſta mala ad prolixum temporis ſpatium Diabolo ex ſententiâ propterea non proceſſerunt, quòd ipſa veritas ſuum extulit caput; & progrediente tempore claro quaſi lumine reſplenduit. Etenim fraudulenti adverſariorum conatus, ejus vi refutati, & oppreſſi, confeſtim evanuerunt. Quippe alii ex aliis novi, & inauditi errores enaſcentes, & priores ſemper pedetentim ad nihilum prolabentes, obſoleſcere cœperunt; & ad extremum funditùs extincti ſunt. Cæterùm inſignis veræ, & Catholicæ Eccleſiæ ſplendor, perpetuò eodem modo, & eiſdem virtutis veſtigiis incedens, mirandum in modum propterea crenit, & dilatatus eſt, quòd veneranda, ſincera, libera, modeſta, & pura Divinæ vivendi rationis, Chriſtianæque pietatis inſtitutio, per univerſum, tùm Græcorum, tùm barbarorum genus, charitate quâdam eximiâ enitnit.* Hæc Euſebins.

Adjicio alterum verborum Apocalypſis, quæ interpretor, ſenſum. Nimirùm, præter impietatem Gnoſticorum, aliorumque hujuſmodi Hæreticorum nequitiam, quæ aliquando ſplendorem Chriſtianæ Religionis obſcurabat, & tandem Divinâ veritatis, & virtutis genuinorum Chriſtianorum luce fugata eſt, aliud fuit, quod tenebras offundebat Paganis, nè cultum idololatriæ abjicerent, nempe verſutia Sacerdotum Ethnicorum: illi enim complura objiciebant, ut deciperent animas; & crimina clam, & impunè perpetrarent. Verùm, non ſecùs ac lux *ſtellæ matutinæ*, ubi apparet, cogit ſceleſtos à flagitiis, quæ noctu committebant, abſtinere, & in meliorem ſe frugem pudore ſui, & hominum metu recipere: Sic quando *gratia, & veritas* Chriſti Domini, *populo, qui ſedebat in tenebris*, veluti *lux orta eſt*, Paganos paulatim reduxit ab errore, quem detexit; deterruit Ethnicos à vitiis, quæ in ipſis coarguît; ac tandem eos ad pietatem, & ſanctitatem convertît.

Joan.1. v.17. Matth.4. v.16.

Mirabilem illam Ethnicorum mutationem pollicetur hîc Chriſtus, dùm ſervis ſuis ſibi uſque ad mortem fidiſſimis promittit daturum *ſtellam matutinam*; quatenùs effecturus eſt, ut fidei, & virtutis illorum ſplendor tenebricoſos Paganorum errores, & ſcelera noctis amica propellat.

Extant apud antiquos hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptores plura in hujuſce
Ruff. Hiſt. Eccl.l.2. c.24.25. 26.27.30. interpretationis noſtræ confirmationem argumenta, quemadmodùm videre eſt apud Ruffinum hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ libro ſecundo. Unde cum piiſſimo imperatore Theodoſio, *gratias agere debemus Chriſto, quòd tam vetuſtus error extinctus ſit.*

Ex ✝.28. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.*

Juſſerat Deus per Moyſem ut ex famulis illi, qui libertati, quam

poſſet

Digitized by Google

poſſet anno Sabbatico, vel Jubilæo conſequi, ſervitutem perpetuam præferret, aures ſubulâ perfoderentur in ſignum apertum, & evidens ſe velle ſemper *ſervire* Domino ſuo; eique *in auditu auris obedire*. Hinc æmulus Divinitatis Diabolus, quos voluit *Gnoſticos* obſequio ſuo in perpetuum mancipatos, *fecit*, ut teſtatur Sanctus Irenæus, *ſignari cauterio in poſterioribus partibus extantia dextræ auris.* Exod.21. v.2.5.6. Pſ.17.v.45. S Iren.adv. hæreſ. l.1. c.24.

Verùm, cum *fides ſit ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*, vult amantiſſimus Salvator ut ii, qui ſeſe ipſi tanquam Domino ſuo dederunt, fidemque æternam jurarunt, aures attentas verbis ejus accommodent; ac numquam non mandatis ipſius obtemperent. Ad Rom. 10.v.17.

Eapropter omnibus quarumcumque Eccleſiarum fidelibus, addictis, & devotis ſervis ſuis præcipit, ut intelligant quæ Thyatirenſi Epiſcopo, ejuſque Clero, & populo ſignificavit; præſtentque quod illis commendatum eſt ab ipſo. Non patiantur apud ſe pravos umquam Doctores conſiſtere: Si quis in errorem, aut vitium aliquod lapſus fuerit, pœnitentiam agat: *Qui ſtant, videant nè cadant:* Perſeverent in fide, & bonis operibus: Mundum, carnem, ac diabolum ſuperent: Pietate ſuâ, & doctrinâ victoriam de Ethnicis, & hæreticis reportent: denique *luceant* ſplendore virtutum *in medio nationis perverſæ*; dignique ſint, qui *fulgeant* lumine gloriæ in Cœlo, *tanquàm ſtellæ in perpetuas æternitates.* 1. ad Cor. 1. v.12. Ad Philip. 2.v.15. Dan.12. v.3.

EXPLANATIO XI.

Sex primorum verſuum Capitis tertii Apocalypſis, de Melitone Eccleſiæ Sardenſis Epiſcopo.

VERS. 1. Et Angelo Eccleſiæ Sardis ſcribe: Hæc dicit, qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem ſtellas. Scio opera tua, quia nomen habes quòd vivas, & mortuus es.

℣. 2. Eſto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant: non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.

℣. 3. In mente ergo habe qualiter acceperis, & ſerva, & pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur; & neſcies quâ horâ veniam ad te.

Hervæus in Apocalypſim. K ℣.4.

Digitized by Google

℣. 4. Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua; & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.

℣. 5. Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis; & non delebo nomen ejus de libro vitæ; & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.

℣. 6. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

verſ. 1. *Et Angelo Eccleſiæ Sàrdis Scribe.*

HVNC Epiſcopum Sardenſem, cui juſſus eſt Joannes ſcribere, conjicio fuiſſe Melitonem. Etenim is tempore Polycarpi, ad quem etiam Joannis ſcripta præcedenti capite perlata vidimus, extitit, quemadmodùm teſtatur ex Euſebio Ruffinus his
Euſeb.hiſt. l.4. c.12. 13. Ruffin.l.4. c.14. verbis: *Melito Epiſcopus Eccleſiæ Sardenſis librum ad Imperatorem Verum pro fide noſtrâ, ac Religiane conſcripſit; quâ tempeſtate etiam Aniceto Romanæ Eccleſiæ præſidente Polycarpus Romam venit.* Quid autem illi Epiſcopo Dilectus Chriſti Diſcipulus ſcripſerit, perpendamus.

Ex ℣. 1. *Hæc dicit qui habet ſeptem Spiritus Dei, & ſeptem ſtellas.*

Cùm exhortaturus ſit Apoſtolus, & Evangeliſta Sardenſem Præſulem ad vigilantiam, & ſollicitudinem Epiſcopo congruentem, hanc præfatiunculam præmiſit, ut ſignificaret Summum Sacerdotem Chriſtum, in cœlis conſidentem, curam habere omnium, quos redemit; eorumque ſaluti invigilare. Proptereà etiam utitur cœleſtibus ſpiritibus, tanquam
Dan.4. v.10.14. Ad Hebr. 1. v.14. *vigilibus*, & miniſtris, quos mittit cùm vult, in omnem terram, *propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis.* Eundem ob finem illius nutui, & imperio ſubſunt Epiſcopi, ſtellis inter tenebras lucentibus, ac quodammodò noctu vigilantibus, deſignati, quos poſuit ut vigilent ſuper gre-
Act.20. v.28. gem ſibi commiſſum, & *regant Eccleſiam, quam acquiſivit ſanguine ſuo.*

Ex ℣. 1. *Scio opera tua.*

Compertum eſt mihi quid egeris; & quid omiſeris; quid boni, ac
Ad Hebr. 4. v.13. quid mali feceris; *omnia* enim *nuda, & aperta ſunt oculis* Domini vigilantis, qui *non dormitabit, nec dormiet cuſtodiens Iſraël.*

Ex ℣. 1. *Quia nomen habes, quòd vivas.*

Prov.22. v.1. *Melius eſt nomen bonum, quàm divitiæ multæ*, inquit Sapiens: ſcilicet præponenda eſt divitiis fama ex virtute diffuſa: undè intelligere debemus Præſulem, quem alloquitur Joannes, perilluſtrem virtutibus ſuis famam fuiſſe conſecutum, nempè quòd ſecundùm Deum viveret. Ac certè apud
Euſeb.hiſt. l.4. c.12. & 25. Euſebium dicitur, *Melito Sardenſis Eccleſiæ Epiſcopus hominum famâ celebris.* Et rurſùs, *permagnâ famæ celebritate floruiſſe. Eloquentiam* quidem

ſimul

ſimulatque Apoſtolicam doctrinam commendat in eo Nicephorus, ſed & Nicephor. l.4 c.10.
virtutem eximiam Polycrates Epheſinus Epiſcopus, ad Victorem, & Eccleſiam Romanam, teſte Euſebio, ſcribens his verbis: *Quid recenſeam Melitonem eunuchum, qui Spiritus Sancti inſtinctu afflatus totum vitæ ſuæ tempus piè, ſanctèque exegit?* Euſeb. hiſt. l.5.c.23.
Et ex Ruffino, *Quid dicam Melitonem, propter regnum Dei, & eunuchum, & Spiritu Sancto repletum?* Ruffin. l.5. c.24.
Itaque Sardenſis ille Epiſcopus tantâ caſtitate, totque aliis donis Spiritus Sancti fulgebat, ut exiſtimaretur ab omnibus ſpiritu vivere, juxta ea, quæ ſequuntur, verba Sancti Pauli: *Spiritu ambulate, & carnis deſideria non perficietis: fructus Spiritus caſtitas: ſi Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus. Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ad Galat. 5.v.16.22.25. Ad Rom. 8.v.13.

Ex ℣. 1. *Et mortuus es.*

Verùm etſi Sardenſium Præſul caſtitate ſuâ inſigni, cæteriſque præclaris virtutibus quàmplurimis laudem, & gloriam ſpiritalis, ac ſecundùm Deum vitæ adeptus videretur apud homines, qui perſæpe falluntur, quòd non omnia, aut norint; aut, ut par eſt, diſcutiant: tamen juſto Dei judicio, qui cuncta perpendit æquabiliter, cenſebatur mortuus ſpiritali morte peccati, quod admiſerat ex incuriâ partis non contemnendæ, imò & ſedulò obſervandæ officii ſui. Quippe debuit ſemper ſollicitè invigilare, nè quis ex grege ſuo laberetur in vitia; *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentiâ ſuâ*; variæ artes, quibus Gen. 8. v.21.
Satanas irretiat incautos; & multi pelliciuntur blandimentis voluptatum; ac nonnumquam etiam pravis exemplis abducuntur. Sardenſis autem Epiſcopus, cùm eſſet eximiæ caſtitatis dono corroboratus; ac ſpiritu ſancto fortitudinis inſtructus ſubegiſſet carnem in ſeſe, plùs æquo ſenſit, vel præſumpſit de aliis ſuæ curæ commiſſis; nec ſatis conſuluit illorum infirmitati, quam debuerat modis omnibus adversùs aſſidua pericula perpetuò tutari. Ex illo defectu ſollicitudinis, & tutelæ Epiſcopalis plerique Sardenſes miſerè perierunt vitiis, in quæ ruerunt. Quamobrem referemus poſteà paucos eſſe Sardis, *qui non inquinaverunt veſtimenta ſua*, utpote qui non fœdaverunt carnem ſuam vitiis obſcœnis; & monebitur v.4.
illorum Antiſtes, ut de ſuo, illorumque peccato pœnitentiam agat; majorem deinceps adhibeat ſollicitudinem, ac vigilantiam ergà ſibi creditas animas; denique obfirmet in bono illas, quæ quamvis nondum perierint, periclitantur, nè & ipſæ pereant in vitia proruentes, ſicut & aliæ, quæ admiſſis flagitiis jam interierunt; quarumve interitûs ſpiritualis incuriâ ſuâ reus eſt.

In eam ſententiam loquitur Dominus Ezechieli, cum dicit: *Speculatorem dedi te domui Iſraël; & audies de ore meo verbum, & annuntiabis* Ezech. 3. v.17.18.20
eis ex me. Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à viâ ſuâ impiâ, & vivat; ipſe impius in iniquitate ſuâ morietur; ſanguinem autem ejus de manu tuâ requiram. Sed & ſi converſus juſtus à juſtitiâ ſuâ fuerit, & fecerit iniquitatem, ipſe morietur, quia non annuntiaſti ei: ſanguinem verò ejus de manu tuâ requiram.

Digitized by Google

Porrò Hiſtoria Eccleſiaſtica nobis ſuppeditat in Epiſcopo alioquin vir-
tutibus ornato luculentum quidem, ſed lugendum teſtimonium incuriæ
non abſimilis ei, quæ vitio vertitur Sardenſi Præſuli. Etenim Euſebius
Euſeb. ex Clemente Alexandrino refert quòd, *ubi Ioannes ex inſula Pathmo erat*
Hiſt. l. 3. *Epheſum reverſus, ac ſe contuliſſet ad urbem non longè indè diſtantem, com-*
c. 17. *mendaverit omni ſtudio, cura, & cogitatione coram Eccleſiâ, & Chriſto te-*
ſte, illius urbis Epiſcopo adoleſcentulum: quem cùm Epiſcopus in ſuam
tutelam accepiſſet, & omnia ſe facturum fuiſſet pollicitus, Ioannes eadem
iterùm atque iterùm illi ediſſerit; ejuſque fidem conteſtatur. Epheſum dein-
de redit. Epiſcopus ille adoleſcentulum ſibi concreditum in domum ſuam re-
cipiens, educavit; in officio continuit; fovit humaniter; ad extremum
Baptiſmi Sacramento illuminavit. Poſteà verò ubi ſigillo Domini, tanquam
perfectâ, tutâque ejus animi cuſtodiâ obſignaſſet, nonnihil de curâ, & obſer-
Ruffin. l. 3. *vatione in eo inſtituendo remiſit.* Ac ſicuti Ruffinus ait, *poſt hæc jam ve-*
c. 23. *lut confidens gratiæ, quâ fuerat communitus, paulò indulgentiùs juvenem*
habere cœpit. Sed ille ubi ætate immaturâ, libertate potitus eſt, continuò
per æquævos, quibus luxus, & deſidia cordi eſt, amare vitia, & corruptæ
vitæ tramitem incedere perdocetur. Et primò quidem conviviorum illecebris
decipitur: indè nocturnis eum furtis ſocium ſibi conſciſcunt: poſt hæc etiam
ad majora flagitia pertrahunt; ac tandem latronum dux evadit. Verùm tem-
pore elapſo, cùm ita rei popoſciſſet utilitas, invitatur iterum ad illam ur-
bem Ioannes; & cùm cætera, quorum gratiâ venerat, ordinaſſet, Age, in-
quit, ô Epiſcope: depoſitum repræſenta, quod tibi ego planè, & Chriſtus
commendavimus, Eccleſiâ teſte, quam regis. Iuvenem illum repeto abs te,
& animam fratris. Tunc graviter ſuſpirans ſenior, & in lacrymas reſolutus,
ait, ille mortuus eſt Deo, quia peſſimus, & flagitioſus evaſit: ad ultimum
etiam montem quemdam cum multâ latronum manu occupavit. Quibus audi-
tis Apoſtolus veſtem, quâ erat indutus, ſcidit; & cum ingenti gemitu fe-
riens caput ſuum, bonum te, inquit, cuſtodem fratris animæ dereliqui.

Cætera apud præfatos hiſtoricos, quæ teſtantur miram charitatem
Joannis erga perverſum illum adoleſcentem, quem convertit, & emen-
datum Eccleſiæ etiam præfecit, ſileo, explanaturus alia, quæ referun-
tur in Apocalypſi ad Sardenſem Epiſcopum.

℣. 2. *Eſto vigilans.*

Actor. 20. Nec tantùm tibi, verùm etiam *univerſo gregi* tuo *attende*: Ita enim
v. 28. *præpoſitus* es Eccleſiæ Sardium, ut *pervigiles*, *quaſi rationem pro anima-*
Ad Hebr. *bus* tibi creditis *redditurus*. Cave, nè ſomnolentia tua anſam tribuat
13. v. 17. *inimico homini ſuperſeminandi zizania in agrum*, quem Dominus exco-
Matth. 13. lendum tibi tradidit. *Vigila, & ora*, nè non modò tu tenteris, ſed
v. 25. 39. etiam neque tui *intrent in tentationem: Spiritus enim promptus eſt; caro*
Matth. 26. *autem infirma.*
v. 41.

Ex verſ. 2. *Et confirma cætera, quæ moritura erant.*

Luc. 22. Quemadmodùm *rogavit* Dominus pro Petro, *ut non deficeret fides* il-
v. 32. lius; adhortatuſque eſt eum, ut & ipſe *aliquando converſus confirmaret*

fratres

Digitized by Google

fratres ſuos ; ſic & peroptat, ut Sardenſis Præſul, ab incuriâ ſuâ, quæ necis ſpiritalis nonnullorum cauſa extitit, reſipiſcens, corroboret ſollicitudine Paſtorali pleroſque alios, qui *à concupiſcentia ſua abſtracti, & illecti*, à Diabolo laceſſiti, perverſis exemplis provocati ſeſe dederent vitiis, ac miſerrimè perirent, niſi adversùs tot hoſtes præſidio ſui Antiſtitis munirentur. Ep. Jac. 1. v. 14.

Ex verſ. 2. *Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo.*

Bonum ex integrâ causâ : malum ex quocumqne defectu, inquiunt Philoſophi ; & Jacobus, *quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*, nempe crimen admiſit, quòd quamvis omnia præcepta legis obſervare videretur, unum tamen violaverit. *Qui enim*, ſubjungit Jacobus, *dixit, non Mœchaberis, dixit, Et non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis.* Ep. Jac. 2. v. 10. 11.

Eapropter Sardenſis Epiſcopus, etſi multarum virtutum laude conſpicuus eſſet apud homines, nihilominùs apud Deum aſpergebatur notâ iniquitatis, ac ſceletis, quòd non omnes injuncti officii leges præcipuas impleſſet. Quippe non ſatis eſt Epiſcopo, ſuæ, vel etiam aliquorum ſibi ſubditorum, immò & omnium, aliquando dumtaxat, aut quibuſdam ſolùm in rebus, ſaluti invigilare ; ſed neceſſitas ei incumbit, ut ſuam, atque omnium ſibi commiſſorum, in omnibus, perpetuò, ac diligenter curet ; alioquin ſi ejus incuriâ quivis flagitium perpetrat, reatum & ipſe inde incurrit ; nec plenam, & integram juſtitiam, quâ debitor eſt omnibus, aſſequitur coram Deo, qui *juſtus eſt in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis* ; quique vult ut Sacerdotes ſancti ſint, quoniam & ipſe Sanctus eſt. Pſ. 144. v. 17.

Verſ. 3. *In mente ergo habe, qualiter acceperis, & audieris, & ſerva.*

Recogita igitur quem ob finem impoſitum ſit tibi à Chriſto, & Eccleſiâ Paſtoris officium ; & quàm propensâ erga omnes charitate illud ſuſceperis. Ne ultrà deſis ullatenus tanto muneri. In animum etiam tuum revoca quid *audieris*, cùm ordinarus es Epiſcopus ; & quàm inſtanter commendata ſit tibi cura gregis Dominici. Nonnè ex dictis quòque Pauli percepiſti, *Qui præeſt, in ſollicitudine* præſit ? & audiſti illum referentem *inſtantiam ſuam quotidianam, ſollicitudinem omnium Eccleſiarum ?* Numquid neſcis commonitum ab illo Timotheum Epiſcopum his verbis: *Prædica verbum* ; *inſta opportunè, importunè : argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Vigila, in omnibus labora* ; *miniſterium tuum imple ?* Obſerva itaque Apoſtolica illa mandata, & exempla, ut tui partes omnes officii expleas. Ad Rom. 12. v. 8. 2. ad Cor. 11. v. 28. 2. ad Tim. 4. v. 2. 5.

Ex verſ. 3. *Et pœnitentiam age.*

Quòd illas non expleveris ; ingemiſce, quia, cùm eſſes Paſtor, *quod infirmum fuit* in grege tuo, *non conſolidaſti : quod ægrotum, non ſanaſti : quod confractum eſt, non alligaſti* ; *& quod abjectum eſt, non reduxiſti* ; *& quod perierat, non quæſiſti.* Prætereà, *ut fructus dignos pœnitentiæ facias*, anteactam incuriam tuam juſtâ ſollicitudine Paſtorali emenda ; & ſub Chriſto Paſtorum Ezech. 34. v. 4. Luc. 3. v. 8.

 principe,

Digitized by Google

Ezech.34. v.16.

ptincipe, *quod perierat, require; & quod abjectum erat, redue; & quod confractum fuerat, alliga; & quod infirmum fuerat, conſolida; & quod pingue, & forte, cuſtodi; & paſce oves tuas* deinceps *in judicio.*

Ex verſ.3. *Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & neſcis quâ horâ veniam ad te.*

Gen.9.v.6. 1.ad Theſ. 5.v.2.3. Matth 24. v.43.44.

Comminatur Dominus repentinum, & inopinatum interitum Epiſcopo Sardium, niſi reſipiſcat; eamque, quam debet, adhibeat vigilantiam, & ſollicitudinem; tùm ut tueatur eos, quorum ſalus periclitatur; tùm ut ad meliorem frugem, ac ſanctiorem vitam traducat illos, qui vitiis ſuis periere. Si enim ex lege Divinâ dudùm promulgatâ meretur mortem author necis corporalis alterius; quantò magis ille, qui in causâ fuit, cur multi, ejus etiam fidei, & tutelæ crediti, ſpiritualiter interierunt? *Scitis*, inquit Paulus, *quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet: cùm enim dixerint, Pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus. Vigilate ergo*, ait ipſemet Chriſtus, *quia neſcitis quâ horâ Dominus veſter venturus ſit. Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret Paterfamilias quâ horâ fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati, quia quâ neſcitis horâ Filius hominis venturus eſt.*

Verſ.4. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquivaverunt veſtimenta ſua; & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.*

Greg. Mag c.29. in Iob. c.9.v.31. Eccl.9. v.8.

Quid, inquit Gregorius Magnus, *veſtimenti nomine, niſi hoc terrenum corpus exprimitur, quo induta anima tegitur, nè in ſubtilitatis ſuæ ſubſtantiâ nuda videatur? Hinc etiam Salomon ait, omni tempore ſint veſtimenta tua candida, id eſt, membra corporis à ſordidis actibus munda. Hinc voce Angeli ad Ioannem dicitur, habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua.*

Dionyſ. Amelottus notis Gallicis in c.3. Apoc. v.1.& 4.

Hæc in genere prolata ſint ad explicationem propoſiti verſus Apocalypſis: at cum interpretatur ſpeciatim Dionyſius Amelottus Congregationis noſtræ Preſbyter doctus, & pius, ſuis in Apocalypſim notis Gallicè editis. *Adnotandum eſt*, inquit, *Sardios non tam acerbè reprehendi quàm nonnullos Pergami, & Thiatyræ degentes*, ut patet ex capite præcedenti: *undè inferendum eſt, Sardiorum culpas minùs graves fuiſſe. Forſitan ad ludos, & ſpectacula publica major pars Chriſtianorum Sardenſium, velut torrente multitudinis, & conſuetudinis patria abrepta ſeſe contulerat. Fortaſſis interfuerant quibuſdam concivium, vel etiam ſanguine ſibi devinctorum conviviis, in quibus contra temperantiam, & caſtitatem peccabatur: aut denique converſati fuerant perperam cum infidelibus; eorumque mores profanos aliquatenùs ſecuti: ab illis autem vitiis, & defectibus pauci Sardenſes, pietatis, ac ſanctitatis Chriſtianæ religioſiſſimi obſervatores, ſeſe continuerant; ideòque nec inquinaverant veſtimenta ſua, hoc eſt veſtem candidam ſibi, cùm baptiſati ſunt, datam in ſignum innocentiæ, & puritatis ab eis tùm acceptæ, & deinceps perpetuò ſervandæ.*

Huic explicationi Amelotti libenter aſſentior; eamque lubet confirmare teſtimonio Tertulliani: is enim floruit paulò poſt Melitonem Sardenſem

Euſeb. hiſt.l 4. c.12. 14

ſem; quippe Mel to fulgebat ſub Marco Aurelio Vero, cui pro fidei noſtræ defenſione Apologiam dedicavit: Tertullianus autem ſub Severo Imperatore Apologeticum adversùs gentes pro Chriſtianis, ad Antiſtites Romani Imperii, deinde ad ipſoſmet Chriſtianos unum de ſpectaculis, & alterum de idololatriâ librum ſcripſit.

Declarat verò is Author libro de ſpectaculis, pleroſque Chriſtianos multis adhuc rationibus ſpecie ſuâ fallentibus ad ſpectacula adeunda permoveri.

Tertull. de ſpectac. c. 1

Adhuc, inquit, *forſan alicui opiniones Ethnicorum blandiuntur, quæ in iſtâ causâ adversùs nos ita argumentari conſueverunt; nihil obſtrepere religioni in animo, & conſcientiâ tuâ tanta ſolatia extrinſecùs oculorum, vel aurium; nec verò Deum offendi oblectatione hominis, quâ, ſalvo erga Deum metu, & honore, ſuo in tempore, & ſuo in loco frui ſcelus non ſit.*

Tert. de ſpect. c. 3.

Quorumdam noſtrorum fides, aut ſimplicior, aut ſcrupuloſior, ad hanc abdicationem ſpectaculorum de ſcripturis authoritatem expoſcit; & ſe in incertum conſtituit, quòd non ſignificanter, neque nominatim denuntietur ſervis Dei abſtinentia ejuſmodi. Planè nuſquam invenimus, quemadmodùm apertè poſitum eſt, non occides; non idolum coles; non adulterium, non fraudem admittes; ita exertè definitum, non in Circum ibis, non in Theatrum; non agonem, non munus ſpectabis.

Tertull. de Idolol. c. 13.

Libro autem de idololatriâ idem author inquit, *de ſpectaculis, & voluptatibus ejuſmodi ſuum jam volumen implevimus. Hoc loco retractari oportet de feſtis diebus, & aliis extraordinariis ſolemnitatibus, quas interdùm laſciviæ, interdùm timiditati noſtræ ſubſcribimus adversùs fidei diſciplinam, communicantes nationibus in idolicis rebus. De hoc quidem primò conſiſtam, an cum ipſis quòque nationibus communicare in hujuſmodi ſervus Dei debeat, ſive habitu, ſive victu, vel quo alio genere lætitiæ earum.*

Tertul. de ſpectac. c. 1.

Ea ſanè teſtimonia Tertulliani probant multos ſui temporis Chriſtianos, vel Ethnicorum ſophiſmatis deluſos, vel minùs, quàm par erat, in Scripturis ſacris eruditos, vel ipsâ voluptate illectos, vel timore compulſos, adire ſpectacula gentilium, aliiſque in rebus profanis contra ſanctitatem Criſtianæ Religionis communicare cum infidelibus. Undè & ipſe Tertullianus ſuum de ſpectaculis librum exornat hoc exordio: *Qui ſtatus fidei, quæ ratio veritatis, quod præſcriptum diſciplinæ, inter cætera ſæcularium errorum, etiam ſpectaculorum voluptates adimat, ſervi Dei, cognoſcite: Tanta eſt enim vis voluptatum, ut & ignorantiam protelet in occaſionem; & conſcientiam corrumpat in diſſimulationem; aut utrumque.*

Quòd verò his ſpectaculis, aliiſque profanis Ethnicorum moribus communicantes inquinarentur Chriſtiani, ex multis ipſiuſmet Tertulliani locis liquet.

Tertull. de ſpect. c. 7. & 8.

Poſtquàm origines, & titulos ludorum ab idololatriâ promanare, & falſis diis addici oſtendit, pergit ad apparatus, & loca Circenſium ſimiliter idololatriæ deditorum; & ait, *omnes ubique Circenſes indè inquinantur, undè ſumuntur. Quid, inquis, ſi alio in tempore Circum adiero, periclitabor*

de

Digitized by Google

de inquinamento? Loca nos non contaminant per ſeſe; ſed quæ in locis fiunt.

c.10. *Tranſeamus ad ſcenicas res. A templis, & aris, & illa infelicitate thuris, & ſanguinis, inter tibias, & tubas itur, duobus inquinatiſſimis arbitris funerum, & ſacrorum, deſignatore, & aruſpice. Theatrum propriè ſacrarium Veneris eſt; & Libero convenit. Duo iſta dæmonia conſpirata, & conjuncta inter ſe ſunt, ebrietatis, & libidinis.*

c.11. De agonibus autem; *Quid ergo mirum*, inquit, *ſi apparatus agonum idololatria conſpurcat?*

c.12. De munere etiam; *cùm nominis dignitas idololatriæ crimine teneatur, neceſſe eſt quidquid dignitatis nomine adminiſtratur, communicet etiam maculas ejus, à quâ habet cauſas.*

Tertull. de idolol. c.14. Denique, *Etſi Apoſtolus non prohibet nos converſari cum idololatris, & adulteris, & cæteris criminoſis, dicens, Cæterùm de mundo exiſſetis, non utique eas habenas converſationis immutat, ut, quoniam neceſſe ſit & convivere nos, & commiſcere cum peccatoribus, ideo & cum eis peccare poſſimus. Ibi eſt commercium vitæ, quod Apoſtolus concedit; hîc peccare, quod nemo permittit. Licet convivere cum Ethnicis: commori non licet. Convivamus cum omnibus; conlætemur ex communione naturæ, non ſuperſtitionis.*

Igitur, cùm Chriſtiani, qui ſpectaculis ſuâ ſponte intererant, aliiſque profanis Ethnicorum moribus communicabant, eſſent inquinati, haud dubiè fœdaverant iis ſpurcitiis, ac flagitiis veſtem candidam, quam acceperant in Baptiſmo: quandoquidem tunc Satanæ, ejuſque operibus omnibus, & pompis renunciaverant. Audiamus adhuc hâc ſuper re ipſum

Tertull. de ſpect. c.4. Tertullianum. *Ne quis*, inquit, *argumentari nos putet, dùm de origine ſpectaculorum omne ſpectaculum voco concilium impiorum; ad principalem authoritatem convertar ipſius ſignaculi noſtri. Cùm aquam ingreſſi Chriſtianam fidem in legis ſuæ verba profitemur, renuntiaſſe nos Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus ore noſtro conteſtamur. Quid erit ſummum, ac præcipuum, in quo Diabolus, & pompa, & Angeli ejus cenſeantur, quàm idololatria, ex quâ omnis immundus, & nequam ſpiritus? Igitur ſi ex idololatriâ univerſam ſpectaculorum paraturam conſtare conſtiterit, indubitatè præjudicatum erit, etiam ad ſpectacula pertinere renuntiationis noſtræ teſtimonium in lavacro, quæ Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus ſint mancipata, ſcilicet per idololatriam.*

c.7. Idem aliquantò poſt, *Circenſium paulò pompatior ſuggeſtus, quibus propriè hoc nomen pompa.*

Tertull. de ſpectac. c.24. Poſtremò: *Quot adhuc modis*, inquit, *perorabimus, nihil ex his, quæ ſpectaculis deputantur, placitum Deo eſſe, aut congruens Dei ſervis, quod Domino placitum non ſit, ſi omnia propter Diabolum inſtituta, & ex Diaboli rebus inſtructa monſtravimus: nihil enim non Diaboli eſt, quidquid Dei non eſt, vel Deo diſplicet: hoc erit pompa Diaboli, adversùs quam in ſignaculo fidei ejeramus. Quod autem ejeramus, neque facto, neque dicto, neque viſu, neque proſpectu participare debemus. Cæterùm nonne ejeramus, & reſcindimus ſignaculum, reſcindendo teſtationem ejus? Ipſi Ethnici hinc vel maximè intelligunt factum Chriſtianum, de repudio ſpectaculorum. Itaque negat manifeſtè, qui, per*

Digitized by Google

quod agnoſcitur, tollit. Quid autem ſpei ſupereſt in hujuſmodi homine? Nemo in caſtra hoſtium tranſit, niſi projectis armis ſuis, niſi deſtitutis ſignis, & ſacramentis Principis ſui, niſi pactus ſimul perire. Hæc Tertullianus.

Ex quibus patet, *paucos illos Sardenſes*, qui Chriſtianæ ſanctitatis, ac diſciplinæ ſacræ tenaces, à ſpectaculis, aliiſque pravis, & impiis gentilium moribus ſeſe continuerant, *non inquinaſſe veſtimenta ſua* candida, quæ tanquàm ſignum puritatis, & innocentiæ acceperant in Baptiſmo, poſtquàm profeſſi erant Satanæ, & omnibus operibus, & pompis ejus abrenuntiare. Quapropter, cùm fidem datam Chriſto religioſiſſimè ſervaverint, ſpes eſt illis ex liberalitate Domini præmium fidei ſuæ congruum ſe eſſe conſecuturos. Unde ait ipſemet Dominus.

Ex ṽ.4. *Et ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.*

Chriſtus *invenit dignos ſe illos, qui in ipſo manentes ambularunt, ſicut &* Sap.4.v.5.
ille ambulavit, nimirùm *ambulantes dignè Deo per omnia placentes*, quem- 1.Ioan.2.
admodùm ille *quæ erant placita Patri, fecit ſemper*; merenturque è terris, ubi v.6. Ad Col.1.
cœleſtem vitam duxerunt, in cœlos divinâ virtute ſubvehi, *regnaturi cum* v.10.
Chriſto *Domino*; *decorem* cum illo *induti*; lumine gloriæ fulgentes cum ipſo. Ioan.8.

Verſ. 5. *Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis.* v.29.

Qui *vicerit malignum*; ac *fugerit ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ* Pſ.92.v.1.
corruptionem, averſatus *concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, &* 1.Ioan.2.
ſuperbiam, quæ in theatris, circis, ſpectaculis, & pompis diabolicis v.13.
Ethnicorum propalantur, regnum cœleſte conſequetur à Domino, *ami-* 2.Petr.1.
ctus lumine ſicut veſtimento; propter ſplendorem eximiæ caſtitatis, mode- v.4. 1.Ioan.2.
ſtiæ, ac ſanctitatis, quâ in terris refulſit, æternâ perfruetur lætitiâ ex viſu, v.16. Pſ.103.
& contemplatione *gloriæ magni Dei.* v.2.

Ex ṽ.5. *Et non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Ad Tit.2.

Cùm ii, *qui in carne ſunt*, videlicet vitiis carnis defixi, *Deo placere non* v.13.
poſſint; & *qui ſecundùm carnem*, ejus concupiſcentias ſecuti, *vivunt, mo-* Ad Rom.
riantur Deo; quamvìs anteà renati ex aquâ, & Spiritu Sancto juſti, ac 8.v.8.13.
vitæ ſpiritualis compotes eſſent; tamen in flagitia, ac ſcelera poſtmodùm
prolapſi, *deleantur de libro viventium* ſecundùm Deum; *& cum juſtis non* Pſ.68.
ſcribuntur; nec umquam, ſi in iniquitate ſuâ perduraverint, vitam, & v.29.
gloriam ſempiternam aſſequentur. Contrà verò qui perſeveraverit uſque
in finem, caſtè, ac ſanctè vivens, ſicuti Chriſtianum decet, *non delebi-* Ad Hebr.
tur de libro vitæ juſtorum perfectorum, qui conſcripti ſunt in cœlis; ſed ſemper 12.v.23.
in Sanctorum, ac beatorum numero cenſebitur.

Ex ṽ.5. *Et confitebor nomen ejus coram Patre meo.*

Quandoquidem is nec verbis, nec factis negavit; ſed palàm coram Deo, & hominibus confeſſus eſt ſe eſſe Chriſtianum, & in cunctis ſe geſſit ut fidiſſimum Chriſti ſectatorem; ac Patris cœleſtis, cujus erat filius, non degener, ſed perfectus, charitatem immenſam prætulit inani
dilectioni mundi; Chriſtus etiam *confitebitur eum coram Patre* ſuo; decla- Ad Rom.
rabitque illum ipſiuſmet Patris *heredem*, ac dignum, qui ejus *divinæ na-* 8.v.17.
turæ, ac felicitatis ſit *conſors.* 2.Petr.1. v.4.

Hervéus in Apocalypſim. L Ex

Digitized by Google

Ex ✠. 5. *Et coram Angelis ejus.*

Ad ſocietatem quòque civium ſupernorum, & Angelorum ſanctorum, qui Diabolum, & Angelos ejus profligarunt, firmiterque Deo adhæſere, Chriſtus perducet illum, qui fugerit profana contubernia concivium Ethnicorum; & *Diabolica vitarit contagia; Deumque purâ mente fuerit ſectatus.*

Eccl. in orat.

Verſ. 6. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.*

Quippe, cùm Sardenſem Præſulem, alioquin ſanctitate vitæ apud homines celebrem, arguat incuriæ erga ſubditos ſuos mortiferæ; dicatque ei, *eſto vigilans, & pœnitentiam age*, juſtum timorem incutit aliis Epiſcopis; iiſque omnibus, quantàcumque ſanctimoniâ videantur fulgere, *dicit, Vigilate:* ſollicitudinem paſtoralem erga omnes, & in omnibus ſemper adhibete; nec *vos perfectos, & plenos in omni voluntate Dei* putetis, niſi veſtræ, cunctorumque vobis commiſſorum ſaluti perpetuò invigilaveritis.

Marc. 13. v. 37. Ad Col. 4. v. 12.

Unde Gregorius Magnus inquit, *admonendi ſunt Prælati, nè de ſubditorum erratibus judicentur, etiamſi ſe jam de ſe ſecuros inveniunt; & ſic in propriâ ſollicitudine ferveant, ut commiſſorum cuſtodiâ minimè torpeſcant. Quiſquis enim ad vivendum aliis in exemplum proponitur, non ſolùm ipſe ut vigilet, ſed etiam, ut amicum ſuſcitet, admonetur. Ei namque vigilare benè vivendo non ſufficit, ſi non & illum, cui praeeſt, à peccati torpore disjungit. Admonendi ſunt itaque qui præſunt, ut per circumſpectionis ſtudium oculos pervigiles intùs, & in circuitu habeant, quatenùs & interno judici in ſemetipſis placere ſtudeant; & exempla vitæ exteriùs præbentes, ea etiam, quæ in aliis ſunt corrigenda, deprehendant.*

S. Gregor. curæ paſtor. 3. p. admonitione 5.

Verùm amantiſſimus, & obſervandiſſimus omnium Salvator, non modò vult proficuam eſſe Eccleſiarum quarumvis Præſulibus correptionem, quâ Sardenſem Epiſcopum, & de ſuâ negligentiâ criminatus eſt, & ſui officij diligenter erga omnes adminiſtrandi admonnit; ſed etiam peroptat ut cunctus populus Chriſtianus toto orbe diffuſus utilitatem conſequatur, tùm ex iis, quæ in multis Sardenſibus vituperavit, tum ex illis, quæ in nonnullis ejuſdem Eccleſiæ laudavit.

Recogitent indè omnes Chriſtiani fidem in Baptiſmo profeſſos renuntiaſſe Diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus: Renunient non voce tantùm; ſed etiam morum caſtitate: ac veſtem *candidam, & immaculatam*, ſibi in Sacramento traditam, *perferant ante tribunal Chriſti*, ſanctitatem videlicet, cujus ea veſtis ſymbolum extitit, ſervatam præ ſe ferentes; nec umquam mentem ſuam, vel carnem ullis vitiis, ac profanis ritibus more gentilium inquinent.

Eccleſ. in ritibus Baptiſmi.

Præclarè perorat ad propoſitum Tertullianus libro de ſpectaculis, & cum eo concludam; *delicatus es, Chriſtiane, ſi & in ſæculo voluptatem concupiſcis; immò nimiùm ſtultus, ſi hoc exiſtimas voluptatem. Dicas, velim, non poſſumus vivere ſine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus. Nam quod eſt aliud votum noſtrum, quàm quod & Apoſtoli, exire de ſæculo, & recipi ad Dominum? Hæc voluptas, ubi & votum.*

Tertull. de ſpectac. c. 28, 29. 30.

Iam

Iam nunc ſi putas delectamentis exigere ſpatium hoc, cur tàm ingratus es, ut tot, & tales voluptates à Deo contributas tibi ſatis non habeas, neque recognoſcas? Quid enim jocondius quàm Dei Patris, & Domini reconciliatio; quàm veritatis revelatio; quàm errorum recognitio; quàm tantorum retrò criminum venia? Quæ major voluptas, quàm faſtidium ipſius voluptatis; quàm ſæculi totius contemptus; quàm vera libertas; quàm conſcientia integra; quàm vita ſufficiens; quàm mortis timor nullus; quòd calcas Deos nationum; quòd dæmonia expellis; quòd Deo vivis?

Hæ voluptates, hæc ſpectacula Chriſtianorum, ſancta, perpetua, gratuita: In his tibi ludos Circenſes interpretare; curſus ſæculi intuere; tempora labentia dinumera; metas conſummationis expecta; ſocietates Eccleſiarum defende; ad ſignum Dei ſuſcitare; ad tutelam Angeli erigere; ad martyrii palmas gloriare. Si ſcenicæ doctrina delectant, ſatis nobis litterarum eſt; ſatis verſuum eſt; ſatis ſententiarum; ſatis etiam canticorum; ſatis vocum; nec fabulæ, ſed veritates; nec ſtrophæ, ſed ſimplicitates.

Vis & pugillatus, & luctatus? Præſto ſunt, non parva, ſed multa. Aſpice impudicitiam dejectam à caſtitate; perfidiam cæſam à fide; ſævitiam à miſericordiâ contuſam; petulantiam à modeſtiâ obumbratam; & tales ſunt apud nos agones, in quibus ipſi coronamur.

Vis autem & ſanguinis aliquid? habes Chriſti.

Quale autem ſpectaculum in proximo eſt aduentus Domini, jam indubitati, jam ſuperbi, jam triumphantis? Quæ illa exultatio Angelorum, quæ gloria reſurgentium Sanctorum? quale regnum exinde juſtorum? Qualis Civitas nova Ieruſalem?

EXPLANATIO XII.

Quâ de Philadelphienorum Epiſcopo illo, quem Sanctus Ignatius Epiſtolâ ad Philadelphienſes laudavit, explicantur verba Beati Ioannis à ſeptimo ad decimum tertium verſum Capitis tertii Apocalypſis.

VERS. 7. Et Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit Sanctus, & verus, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.

℣. 8. Scio opera tua: Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere, quia modicam habes

 virtutem,

virtutem, & ſervaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum.

ỳ. 9. Ecce dabo de Synagogâ Satanæ, qui dicunt ſe Iudæos eſſe; & non ſunt, ſed mentiuntur: Ecce faciam illos, ut veniant & adorent ante pedes tuos, & ſcient quia ego dilexi te.

ỳ. 10. Quoniam ſervaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſervabo te ab horâ tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum tentare habitantes in terrâ.

ỳ. 11. Ecce venio citò. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

ỳ. 12. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen Civitatis Dei mei novæ Ieruſalem, quæ deſcendit de Cœlo à Deo meo, & nomen meum.

ỳ. 13. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

Verſ. 7. *Et Angelo Philadelphiæ Eccleſiæ ſcribe.*

S. Ignat. Ep. ad Philadelph.

SANCTUS Ignatius Troade ad Philadelphienſes ſcribens, *Conſpecto*, inquit, *veſtro Epiſcopo, cognovi quòd non à ſe ipſo, neque per homines ad dignitatem evectus eſt, ut ſuſciperet miniſterium hoc communis Eccleſiæ, nec per inanem gloriam, ſed in charitate Ieſu Chriſti, & Dei Patris: Cujus obſtupui modeſtiâ; qui tacitus plùs poſſit, quàm alii, qui plurima loquuntur: ſeſe namque compoſuit ad Chriſti mandata, & juſtificationes, non ſecùs atque nervi intenduntur in cytharâ; eſtque inculpatus non minùs, quàm Zacharias Sacerdos. Quapropter beatam cenſeo illius animam, quòd cognoſcam illam virtutibus ornatam, & perfectam; nullis affectibus obnoxiam; omniſque iracundiæ victricem, ut qui vivat in omni manſuetudine Dei. Fugite itaque, ut filii lucis, & veritatis, ſectionem unitatis, & pravam doctrinam hæreticorum: ubi verò paſtor eſt, eòdem & vos, ut oves, ſequamini. Quotquot enim Chriſti ſunt, hi ſunt partium Epiſcopi: Qui verò ab illo declinant, & cum maledictis communionem amplectuntur, hi cum illis excidentur: nec enim Chriſti agricultura ſunt, ſed Diaboli ſementis, à quo eruamini ſemper precibus fidiſſimi, & manſuetiſſimi Paſtoris, qui vobis præſidet.*

Illa Sanctus Ignatius ſub Imperatore Trajano ſcripſit de Philadelphienſi Præſule; nec dubitaverim eumdem Epiſcopum eſſe, ad quem dilectus Chriſti diſcipulus, & Ignatii Magiſter Amantiſſimus Beatus Joannes verba ſuæ Apocalypſis ſub finem Imperii Domitiani direxit,

Ex

Ex ℣. 7. *Hæc dicit Sanctus, & verus.*

Judæorum Pontifex ex præcepto Dei portabat in fronte laminam auream, in quâ ſculptum erat, *Sanctum Domino*: Rationale quòque judicii, opere polymito factum, in quo erant hæc, *Doctrina, & Veritas*, geſtabat in pectore, ut ſui erga Deum, & homines meminiſſet officii; nec tantùm ſanctè munera ſua divina obiret; ſed etiam populos veritatem legis divinæ doceret; offerretque Deo preces, & ſacrificia pro illorum ſanctificatione. At Chriſtus, quem Pater *conſtituit ſacerdotem in æternum perfectum, & Doctorem juſtitiæ*, multò magìs ſanctitatem, & veritatem ſibi inditam habet; eamque proferet in gratiam Philadelphienſis Epiſcopi, quem alloquitur. Etenim illius Præſulis miniſterio multos Judæos à figuris Moſaicis ad veritatem Evangelii, & à *juſtitiis carnis*, quales erant legales, ad ſpiritalem, & perfectam ſanctitatem perducet. Huic Judæorum converſioni videbatur impar Antiſtes ille, quòd *modicam haberet poteſtatem*, ſeu pauca naturæ talenta, quemadmodùm ulteriùs infrà explicabo: Quamobrem Chriſtus cum compellat ut *Sanctus, & Verus*, quò *per duas* illas *res*, ſanctitatem, & veritatem, *quibus impoſſibile eſt ipſum mentiri*, confirmatus ille Antiſtes certiſſimè credat, ac ſperet admirabilem illam Judæorum converſionem, tametſi vires ejus ſuperet. Quippe *quæcumque promiſit Deus, potens eſt facere*; & *infirma*, cùm vult, *eligit, ut confundat fortia.*

Exod. 28. v. 36. 37. v. 15. 30. Ad Heb. 7. v. 28. Ioël 2. v. 23. Ad Heb. 9. v. 10. Ad Heb. 6. v. 18. Ad Rom. 4. v. 21. 1. Ad Cor. 1. v. 27.

Ex ℣. 7. *Qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.*

Vade, inquit Dominus Iſaiæ, *ad Sobnam Præpoſitum Templi*, ſeu ex Septuaginta, *quæſtorem, hoc eſt*, ex Sancto Hieronymo, *diſpenſatorem theſaurorum domus Dei: Et dices ad eum, Vocabo ſervum meum Eliacim; & poteſtatem tuam dabo in manu ejus; & dabo clavem domus David ſuper humerum ejus; & aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.* Nempè penes illum erit poteſtas aperiendi, & claudendi congruis temporibus templum Domini, quod appellatur domus David, quia Salomon ædificaverat illud conſilio, & impenſis David patris ſui, ac juxta pollicitationem eidem Davidi à Deo factam. Quandiù autem apertum erat templum, quiſquis Judæorum facilè illuc introibat, Deum inibi adoraturus; nec ab ullo indè removebatur. Ita Chriſtus aſſerit ſe *habere clavem David*, ideſt facultatem præbendi quibuſvis, etiam Judæis, cùm libet, aditum in Eccleſiam ſuam Templo Davidico præſignatam. Undè ſtatim dicet Philadelphienſi Epiſcopo: *Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere. Ecce, qui dicunt ſe Iudæos eſſe, faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos.*

Iſai. 22. v. 15. S. Hier. in hunc locum Iſaiæ. Iſai. 22. v. 20. 21. 22. L. 1. Paral. c. 29. V. 8. & 9.

Verſ. 8. *Scio opera tua.*

Ex Epiſtolâ Sancti Ignatii ad Philadelphienſes ſuperiùs allegatâ haùd dubium eſt, quin Chriſtus Philadelphienſis Epiſcopi humilitatem, modeſtiam, pietatem, charitatem, cæteraſque virtutes præclaras agnoſcat cum animi voluptate, utpote quæ ei plurimùm placeant; eaſque ſtatuit eximio dono cumulare. Quapropter ait:

 Ex

Ex verſ.8. *Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere.*

Paulus, & Barnabas Antiochiam reverſi, *retulerunt Eccleſiæ, quanta*
Act. 14. v.26. *feciſſet Deus cum illis, & quia aperuiſſet gentibus oſtium fidei:* ſcribit quò-
que Corinthiis Paulus, *permanebo Epheſi: oſtium enim mihi apertum eſt*
1. ad Cor. 16. v.8.9. *magnum, & evidens, & adverſarii multi.*

Idem oſtium fidei multis Philadelphiæ commorantibus Judæis Chri-
ſtus aperuit, ut è Synagogâ in Eccleſiam ingrediantur; & quamvìs
multa videantur illis obſiſtere, nihil tamen ipſos ab eo ingreſſu tandem
Luc. 24. arcebit. Quippe aperuit Dominus *illis ſenſum, ut intelligant ſcripturas,*
v.45. *quæ de ipſo ſunt*; & inclinavit corda illorum, ut credant. Aperuit mentes
Act. 7. illorum Spiritui Sancto, ne ampliùs ei *reſiſtant*, & pereant; ſed *charita-*
v.51. *te Dei diffusâ in cordibus* illorum *per Spiritum Sanctum* ſalvi fiant. Tan-
Ad Rom. tam gratiam conſequentur adminiculo Philadelphienſis Epiſcopi: de-
5. v.5. clarat verò Dominus, cur ad id illum delegerit, cùm ſubjungit.

Ex verſ.8. *Quia modicam habes virtutem.*

Adnotandum eſt in Græco non eſſe ἀρετὴν, quæ propriè virtutem
ſignificat, quâ homo fit juſtus, ac Sanctus, ſed δύναμιν, ideſt poten-
tiam: quaſi diceret Dominus, modicam quidem, Philadelphienſis Epiſ-
cope, facultatem habes, & tenuem potentiam. Sed ego omnipotens
1. Ad Cor. adero tibi, & experieris *quod eſt infirmum Dei, fortius eſſe hominibus.* Pau-
1. v.25. cas naturæ dotes conſecutus es: at ipſe, qui *dives ſum in miſericordiâ,*
Ad Eph. 2. plura, & majora Gratiæ dona conferam tibi, quæ in plurimos effundas.
v.4. Non emines ſcientiâ, vel etiam ingenio: verùm *dabo* tibi *ſapientiam, &*
Luc. 21. v.15. *ſpiritum, cui non poterunt reſiſtere adverſarii.* Non es eloquens: atta-
Act. 6. men velim ut *tacitus plùs poſſis, quàm alii, qui plurima loquuntur*; eſt
v.10. enim modeſtia tua, quæ *coram hominibus lucet, perpetuum quoddam præ-*
Ex Ep. S. Ignat. ad *dicationis genus*, quo permoventur animi eorum, qui te vident, *ut glo-*
Philadelp. *rificent Patrem, qui in cœlis eſt.*

Matth. 5. Ex verſ.8. *Et ſervaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum.*

v.15.16. *Bonum depoſitum cuſtodiſti per Spiritum Sanctum, qui habitat in te*; con-
Conc. Trid. ſtanterque perſtitiſti in confeſſione nominis mei; quippe nihil nec cupis,
2. ad Tim. nec times præter Deum, quem unicè diligis; cuique vereris vel minimùm
1. v.14. diſplicere. *Certaſti pro juſtitiâ uſque ad mortem*, quam pro me paratus es
Ecclic. 4. ſubire: Et ego *expugnabo pro te inimicos tuos*, & meos; illoſque mihi,
v.33. & tibi ſubjiciam.

Verſ.9. *Ecce dabo de Synagogâ Satanæ, qui dicunt ſe Iudæos eſſe.*

Exod. 19. Quondam certè elegerat Dominus Iſraëlitas *in peculium* ex omnibus gen-
v.5. tibus; eratque illis in Deum, & ipſi ejus in populum. Jam verò *populus*
Oſee 1. *illius nequaquam* ſunt, quia *dereliquerunt eum, & blaſphemaverunt*; ſed
v.9. Iſai. 1. v.4. cenſentur quaſi populus *Sodomorum, & Gomorrhæ*: immò flagitiis ſuis,
10. & impietate ſuâ pejores ſunt; graviùſque punientur in die Iudicii. *Iniqui*
Matth. 10. *ſunt cœtus* illorum; nec ampliùs *Eccleſia ſanctorum*, vel *Fidelium congre-*
v.15. *gatio* ſunt; ſed *ex Patre Diabolo* ſunt, & *Synagoga Satanæ*, cujus ad-
verſùs

Digitized by Google

verſùs eos, qui in Chriſtum piè, ſanctèque credunt, *deſideria volunt perſpicere.* Iſai.1.v.13. Pſ.149 v.1.

Ex verſ.9. *Qui dicunt ſe Iudæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur.* Machab. Joan.8. v.44.

Aſſerunt ſe Judæos ex nomine Juda, de quo prædixit Jacob Patriarcha, *non auferendum ſceptrum, & ducem de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & erit expectatio gentium.* At populus ille inveteratus in vitiis Jeſum Chriſtum, Dei Filium, ex Tribu Judâ ortum, Sanctitate, & veritate ſpectabilem, in quem gentes ubique terrarum credunt, nolunt agnoſcere ad ſalutem illorum nullum. Gen.49. v.10.

Ex verſ.9. *Ecce faciam illos, ut veniant, & adorent ante pedes tuos.*

Nihilominus pro ſuâ benignitate Salvator efficiet, ut ex illis multi fidem Chriſtianam amplexi adorent illum; procidantque coram Philadelphienſi Epiſcopo, ut ipſum tanquàm fideliſſimum Domini ſui miniſtrum venerentur. Provolvent ſe pedibus illius, veniam precantes impietatis ſuæ, quam abjurabunt; animoque *humiliato, & contrito corde* poſtulabunt peccata ſua ſacro fonte Baptiſmatis elui. Pſ.50. v.19.

Ex verſ.9. *Et ſcient quia ego dilexi te.*

Suſcipiet illos is Præſul eâ ſingulari manſuetudine, quâ præditus eſt; ſentientque gratiâ miniſterii illius, *quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde:* percipient etiam quantùm dilexerit Antiſtitem illum Dominus, quippe qui plurimis eum virtutibus eximiis ornaverit, elegeritque ipſum, ut opus arduum, ac perdifficile converſionis, & ſanctificationis illorum perficiat. Pſ.72.v.1.

Verſ.10. *Quoniam ſervaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſervabo te ab horâ tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum tentare habitantes in terrâ.*

Inſuper, quia ſuam oſtenderat Præſul Philadelphienſis charitatem erga Chriſtum, quòd voluiſſet ponere animam pro illo, notam faciet viciſſim Dominus ſuam erga illum Epiſcopum dilectionem, quatenùs ſervabit illum incolumen eâ in perſecutione, quæ movebitur ab Imperatore Ethnico adverſùs Religionem Chriſtianam toto orbe diffuſam.

Verſ.11. *Ecce venio citò.*

Brevi futura eſt, utpote ſub Trajano, tentatio illa perſecutionis, quam refert Dominus ex ſapientiâ, & bonitate ſuâ ad probationem, & gloriam Chriſtianorum ſibi fideliſſimorum; quamvis Imperator dæmonum cultui addictus illam excitet, ut *in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Matth.24. v.24.

Ex verſ.11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

Nè verò accidat Philadelphienſium Antiſtiti eſſe ex reproborum numero; *ſatagat ut per bona opera certam electionem* ſuam *faciat.* Retineat *juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem*, cæteraſque virtutes, quas ex dono Dei conſecutus eſt. *Certavit* hactenùs *bonum certamen.* Quid ſupereſt, niſi ut *coronam* ſibi à Domino repoſitam accipiat perſeverantiâ ſuâ uſque in finem? Quòd ſi non perſeveraverit, deficiente illo, alius oblatam percipiet coronam. 2.Petr.1. v.10. 1.ad Tim. 6.v.11. 2.ad Tim. 4.v.8.

Sic

1. Reg. 15. v. 13. 14. C. 1. Matth. 21. v. 43.

Sic David adeptus eſt coronam, quâ Saül propter prævaricationem mandatorum Divinorum privatus eſt; & Matthias in locum proditoris Iudæ ſuffectus fuit. *Ablatum* quòque eſt *Regnum Dei* pro tempore à populo Hebræorum extremæ impietatis reo; *& datum eſt genti facienti fructus ejus*; ac quoties ab aliquo in pœnam ſcelerum, quæ perpetravit, ſubtrahitur juſto Dei Iudicio gratia, toties alteri confertur. Non enim vult Dominus ut quicquam tantæ rei, quam pretio Sanguinis ſui comparavit, depereat; ſed magìs exoptat ut dona cœleſtia in ſuam, & electorum ſuorum gloriam cedant.

Euſeb hiſt. l. 5. c. 1.

Luculenta nobis ſuppetunt tàm ſanctæ, quæ nunquam ſatis adnotari queat, veritatis teſtimonia ex Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ. Quippe *ſervi Ieſu Chriſti Viennam, & Lugdunum incolentes*, referunt *circiter decem numero in perſecutione, animis ignavè, & muliebriter concidiſſe. Quotidie tamen, qui digni coronâ Martyrii habebantur, ad illorum numerum ſupplendum prehenſi erant, uſque adeò ut ex duabus hiſce Eccleſiis omnes pii, & ſtudioſi viri, quorum virtute, & doctrinâ in primis ſtatus illarum ritè adminiſtrari ſolet, eximerentur.*

S. Baſil. or. in 40. Martyres. Breviar. Rom, 9. Martii.

Conſtat etiam ex ſancto Baſilio, & officio Romano, cùm ex quadraginta militibus Chriſtianis ſub Licinio Imperatore defeciſſet unus, Ianitorem ſe illis adjunxiſſe, & coronam percepiſſe Martyrii, poſtquàm vidiſſet *Angelos triginta novem militibus coronas diſtribuentes*; *ac ſecum ita locutus fuiſſet, quadraginta iſti ſunt, quadrageſimi corona ubi eſt?* Felix Janitor, qui ab eo, *qui habet clavem David*, tàm facilè ſibi aperuit oſtium Regni Cœlorum; quique tàm alacriter cucurrit ad coronam, quam alius ignavo animo fugit!

Sed ad ea, quæ ſuperſunt ex Apocalypſi, explananda progrediamur.

Verſ. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.*

1. ad Tim. 3. v. 15. Joan. 14. v. 2. 1. ad Cor. 15 v. 58. Ad col. 3. v. 1.

Quiſquis ſuperaverit errores, terriculamenta, & blanditias mundi eâ in perſecutione futurâ adversùs *Eccleſiam, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis*, ac Sanctitatis; collocabit illum Dominus in *domo Patris ſui*, quæ eſt templum Divinæ Majeſtatis ejus; efficietque ut ibi ſtet in perpetuas æternitates, tanquàm inſignis, & præſtantiſſima columna: Nec immeritò; quippe qui *ſtabilis* fuerit, *& immobilis* in fide; tectaque *ſursùm, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*, tetenderit; virtutes omnes ambitu ſuo complexus fuerit; graviora quæque patienter ſuſtinuerit; & titubantes, ac imbecilles animos conſtantiæ ſuæ robore ſuffulcierit.

Ex verſ. 12. *Et foras non egredietur ampliùs.*

Quandiù quis in terris vivit, quantâcumque ſanctitate emineat, poteſt vi tentationis ſibi illatæ dejici à virtute; & extra Cœlum, in quod videbatur proximè ingreſſurus, projici, niſi in Domino tàm firmiter, & ſolidè, quàm profundè, & humiliter ſubſiſtat: ſed cùm fuerit in Cœlis conſtitutus, liber erit ab omni tentatione; ſtabitque coram Deo ſemper, virtute Divinâ tantopere confirmatus, ut nullâ re poſſit ampliùs è tam felici ſtatu diſturbari, utpote ſanctitatis, & immutabilitatis Divinæ particeps.

Ex

Ex ℣. 12. *Et ſcribam ſuper eum nomen Dei mei.*

Chriſtus, ut homo, nuncupat Patrem ſuum, cui, ut Deus, æqualis
eſt, & conſubſtantialis, Deum ſuum: *Aſcendo*, inquit diſcipulis ſuis,
ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Inſcribet autem digito Dei vivi, hoc eſt Spiritu ſuo Sancto, ſuper eum, qui Ioan. 20. v. 17.
victor fuerit omnis impietatis, ac vitii, nomen illud Sanctum Dei Patris
ſui, quatenùs filium ejus obſequentem & dignum heredem cenſebit. Anteà
Chriſtianus ſanctè vivens, erat *homo Dei*, cujus gloriam quærebat; & 1. ad Tim.
perfectiones, quantùm fas eſt homini, imitabatur: poſtmodùm verò 6. v. 11.
tranſlatus in Cœlum, erit *divinæ conſors naturæ*; ac *implebitur in omnem* Matth 5.
plenitudinem Dei, ita ut *Deus* ſit illi *omnia*; & ipſe ſit *ſimilis* Deo, *videns* v. 48. 2. Petr. 1.
eum ſicuti eſt, & in æternum poſſidens. v. 4.

Ex ℣. 12. *Et nomen Civitatis Dei mei, novæ Hieruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Deo meo.* Ad Eph. 3. v. 19.

Confitebantur Patriarchæ *Peregrinos, & hoſpites ſe eſſe ſuper terram, &* 1. ad Cor.
patriam inquirere cœleſtem. Nos quòque, adjicit Sanctus Paulus, *non ha-* 15. v. 28.
bemus hîc manentem civitatem, ſed futuram inquirimus, cujus artifex, & 1. Ioan. 3. v. 2.
conditor Deus. Undè præclarè Tertullianus de religione Chriſtianâ, *ſcit* Ad Heb.
ſe peregrinam in terris agere; inter extraneos, facilè inimicos invenire: Cæte- 11. v. 13. 14. 15.
rùm genus, ſedem, ſpem, gratiam, dignitatem in Cœlis habere. Chriſtus itaque, C. 13. v. 14.
qui aſcenſurus in Cœlum, aiebat diſcipulis, *vado parare vobis locum*, fide- C. 11. v. 10.
les ſibi obſequentes, è terrenis civitatibus, quas pro tempore incoluerunt, Tertul.
transferet in Civitatem cœleſtem, ubi perpetuò maneant. Ex nomine Apolog. c. 1.
civitatum, quas inhabitabant, vel quarum privilegiis gaudebant, appel- Ioan. 14.
labantur nonnumquam: undè Paulus, *omnibus, qui ſunt Romæ, dilectis* v. 2.
Dei, vocatis ſanctis; & ipſemet *Civem Romanum* ſe aliquando nuncupa- Ad Rom.
bat: ſed in Cœlum recepti Sancti vocabuntur nomine Civitatis Cœleſtis, 1. v. 7.
cujus erunt in æternum cives, perpetuâ cum Deo, qui illam condidit, & Act. 22.
regit, felicitate perfruituri. v. 25.

Ex ℣. 12. *Novæ Ieruſalem.*

Antiqua Ieruſalem, in terris ſita, celebrabatur quidem ex Templo, in
quod confluebant ex omnibus terræ locis duodecim tribus Iſraël, *ad* Pſ. 121.
confitendum nomini Domini: Cœleſtis autem Civitas eſt *nova Ieruſalem*, v. 4.
Deo ſacra, in quam ex univerſo terrarum orbe conveniunt omnes Sancti,
Deum in templo gloriæ ſuæ jugiter adoraturi.

Ex verſ. 12. *Quæ deſcendit de Cœlo à Deo meo.*

Quî fieri poteſt, ut illa civitas, & ſursùm ſit, ac cœleſtis; tamen
deſcendat de cœlo. Manet certè perpetuò Cœlum Empyreum, ubi ſemel
eſt; illùcque ſubvehuntur divinâ virtute ſanctæ animæ, è corporibus
ſuis egreſſæ. Verùm deſcendit illa Civitas, non quidem per ſeſe, ac lo-
cum ſuum ſemper ſtantem; ſed per cives ſuos, qui cum Chriſto ſummo 1. ad
judice deſcendent è cœlis in terram, præmia æterna cum corporibus ſuis, Theſſ. 4.
quæ reſument, percepturi; ac ſtatim in cœlum rursùs avolabunt, ſemper v. 15. 16.
cum Domino manſuri.

Hervéus in Apocalypſim.

Prætereà dicitur illa *civitas* Cœleſtis *deſcendere de Cælo à Deo*, quòd
ſpecie tenùs exhibita ſit divinitùs menti Joannis in Deum rapti quaſi
Act. 10. deſcendens: Quemadmodùm enim refertur de Petro quod *cecidit ſuper*
v. 11. & *eum mentis exceſſus; & vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam,*
deinceps. *velut linteum magnum, quatuor initiis ſubmitti de Cælo in terram*, quod qua-
drupedia, ſerpentia, & volatilia, quæ à Deo purificata præcipiebatur Pe-
trus manducare, complexum, & poſtea receptum in cœlos, ſignificabat
fore, ut gentes ad fidem Petri converterentur, & gratiâ divinâ in cœlum
ſubveherentur: ita *Ioannes* Apocalypſis capite vigeſimo primo, inquit:
Apoc. 21. *Vidi ſanctam Civitatem Ieruſalem novam deſcendentem de Cælo à Deo, para-*
v. 2. 4. *tam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, in ſignum perpetuæ lætitiæ, quâ per-
fruitura eſt, nexu charitatis indiſſolubili Deo ſuo, quem intuebitur, con-
juncta: Quare audit illicò Joannes, *Mors ultra non erit, neque luctus,*
Iſai. 35. *neque clamor, neque dolor erit ultra*; ſed uti dicitur apud Iſaiam, *lætitia*
v. 10. *ſempiterna, & gaudium.*

Ex ℣. 12. *Et nomen meum novum.*

Nomen proprium Salvatoris eſt Jesus, juxta hæc verba Angeli tùm
Luc. 1. Mariæ, tùm Joſepho, *Vocabis nomen ejus Ieſum, ipſe enim ſalvum faciet po-*
v. 31. *pulum ſuum.* Nomen autem appellativum *Meſſias*, & Chriſtus, quia miſſus
Matth. 1. à Patre in mundum, unctus eſt ab ipſomet Deo in regem Iſraël: undè
v. 21. Andreas, *invenimus Meſſiam* (quod dicitur interpretatum *Chriſtus*;) &
Ioan. 1. *Nathanael* ipſi, *tu es rex Iſraël.* Utrumque verò nomen, proprium, & ap-
v. 41. 49. pellativum, eſt novum, quia recèns datum eſt Verbo Dei Incarnato.
Utriuſque autem nominis gratiam impertiet Salvator electis ſuis, quippe
illos ſalvabit; & Divinitate in ipſos effuſâ perunctos ſecum faciet reges
in Cœlo. Quamobrem Sanctus Joannes ſub finem Apocalypſis inquit,
Apoc. 22. *ſervi ejus ſervient illi; & videbunt faciem ejus, & nomen ejus in frontibus*
v. 3. 4. 5. *eorum; & regnabunt in ſecula ſeculorum.*

Quamvis id ita ſit, tamen eo in nomine appellativo, quod eſt *Rex*
Iſraël, duplicem appellationem attendo; unam antiquam in terrâ; alte-
ram novam in Cœlo. Antiqua fuit cum paupertate, & abjectione, quam
Salvator ultrò ſuſcepit, ut homines, inter quos verſabatur, rerum ter-
renarum contemptum, & humilitatem doceret. Nova eſt cum gloriâ ſin-
gulari & immensâ, quam Pater ei ex merito contulit inter cœlites. De
Zachar. 9. antiquâ appellatione regis prælocutus eſt Zacharias Propheta, *Ecce rex*
v. 9. *tuus veniet tibi juſtus, & Salvator; ipſe pauper*, & ut interpretatur Mat-
Matth. 21. thæus; *Ecce rex tuus venit tibi manſuetus.* Eam ob appellationem natus
v. 5. eſt in ſtabulo; *ubi eſt*, inquiunt Magi, *qui natus eſt rex Iudæorum*; ludibrio
Matth. 2. habitus eſt, veſte purpureâ indutus, arundinem geſtans præ manu, &
v. 2. coronâ ſpineâ redimitus. Proptereà etiam pependit in Cruce iniquitate ju-
Joan. 19. dicis, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*; & ſubſannatus eſt à Judæis, *Chri-*
v. 1. 2. 3. 10. *ſtus, Rex Iſraël deſcendat nunc de cruce, ut videamus, & credamus.* Quòd
Marci 15. ad novam autem Regis appellationem, quam Chriſtus habet in Cœlo,
v. 32. Pſ. 23. v. 7. præcinuit Pſaltes Regius, *Attollite portas, principes, veſtras; & introibit rex*
gloriæ.

Nomen

Nomen itaque Chriſti ut Regis, antiquum in terrâ fuit, *rex pauper, & manſuetus*, ſeu humilis, & dedecore affectus; novum verò in cœlo eſt, *Rex gloriæ.* Ea eſt autem illius regis benignitas, nè dicam, juſtitia, ut illos, qui fuerint in terrâ participes humilitatis regni ſui, effecturus ſit ſocios gloriæ ſuæ in regno ſuo Cœleſti.

Præterea nomen proprium Chriſti, eſt filius Dei: quamobrem Nathanael ipſum veneratus, inquit, *Tu es filius Dei, tu es rex Iſrael*; & de eo Angelus ad Mariam, *quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Nomen illud æternum eſt, quippe filius Dei ab æterno gignitur à Patre; & Deus unus eſt cum illo, ejuſdem eſſentiæ, & ſubſtantiæ. At filius ille Dei ab æterno genitus, & Deus, fieri dignatus eſt in tempore homo; & cùm eſſet ſimillimus Patri in perfectionibus divinis, voluit per *omnia aſſimilari* hominibus in infirmitatibus humanis, paſſioni ſcilicet, & morti obnoxius; atque à plurimis non alius quàm homo exiſtimatus; nec ullatenùs filius Dei, & Deus. Immò, quia *dixit ſe eſſe filium Dei*, judicatus eſt *reus mortis.* Sed juſto judicio Patris ſuſcitatus eſt à morte, vitamque perennem, ac beatam conſecutus, & in Cœlum receptus, adoratur tanquam filius Dei, & Deus. Quapropter Paulus de Chriſto Jeſu teſtatur, *Cùm in formâ Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus. Humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem: propter quod & Deus exaltavit illum; & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen; ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris.*

Joan. 1. v. 49.
Luc. 1. v. 35.
Ad Heb. 2. v. 17.
Matth. 26. v. 62. 63. 64. 65. 66.
Ad Philip. 2. v. 6. 7. 8. 9. 11.

Antiquum igitur nomen filii Dei in Ieſu Chriſto, cùm in terris verſaretur, erat, filius Dei *in ſimilitudinem hominum factus*: Novum autem nomen filii Dei in Jeſu Chriſto, ad Cœlum evecto, eſt filius Dei, ſimilis Patri, *in gloriâ Patris*, communicatâ etiam humanitati illius, in quâ mirum in modum reſplendet, & à cunctis ut Deus colitur. Hoc *nomen novum* filii Dei perilluſtre, & glorioſum Chriſtus *ſcribet ſuper illum* filium adoptivum, Chriſtianum, quem aſciſcet in conſortium gloriæ ſuæ in cœlo; & cunctis veneratione ſingulari dignum exhibebit, tametſi fuerit impiis in terrâ deſpectui. Quocirca relatu Sapientis, *qui peccaverunt, dicent in inferno* de ſanctis in cœlo beatis: *Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam; & finem illorum ſine honore: Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei.* Sap. 5. v. 4. 5. 14.

Porrò verba omnia verſus illius duodecimi hujus capitis Apocalypſis, quæ hactenùs explicui, prolata mihi videntur à Chriſto ex occaſione converſionis nonnullorum Judæorum, quam paulò antè promiſerat Epiſcopo Philadelphieno.

Etenim teſte Pſalte regio, populus Iſraël exultabat ſpe eundi in templum; & cum ibi aderat, ſtabat corpore & mente erectus in Deum, cujus officiis ſacris intererat: *lætatus ſum*, aiebat, *in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus: Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis, Ieruſalem.* Pſ. 121. v. 1. 2.
Poſtquàm verò eo in loco ſacro ſteterant aliquandiù pietate ſuâ pedibus ſursùm erecti velut columnæ, cogebantur indè egredi; & reverti ad loca propria, & privata negotia.

Sed,

Sed, inquit hoc verſu duodecimo Chriſtus, *qui vicerit*, nempe novorum Judæorum impietatem, & pervicaciam, *faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs*; namque perpetuò ſtabit in templo Cœleſti, Deum jugiter colens. Undè refert Sanctus Joannes
Apoc. 7. Apocalypſis capite ſeptimo, ſe *vidiſſe turbam magnam ſtantes ante thronum*;
v. 9. 15. & addit, *ſunt ante thronum Dei*; *& ſerviunt ei die, ac nocte in templo ejus.*

Additur eodem verſu duodecimo hujus capitis, *& ſcribam ſuper eum nomen Dei mei.*

Judæi recentes, in ſuâ perſiſtentes obſtinatione, quamvìs profiteantur ſe unum Deum colere, tamen reipſa ſunt ſine Deo, cujus unigenitum
Apoc. 3. filium negant: Quare non jam appellantur ab ipſo Joanne populus Dei,
v. 9. ſed *Synagoga Satanæ*. Verùm qui ex Judaicâ perverſitate converſus fuerit ad fidem Chriſtianam, hic verè erit Dei, & Dei Patris, cujus filium cre-
1. Ioan. 4. diderit Chriſtum: hinc Joannes in Epiſtolâ, *quiſquis confeſſus fuerit quo-*
v. 15. *niam Ieſus eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Omnis, qui ne-*
C. 2. v. 23. *gat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, & Patrem habet.*

Proſequor verba præfati verſus duodecimi; *Et nomen Civitatis Dei mei novæ Ieruſalem, quæ deſcendit de Cœlo à Deo meo, & nomen meum novum.*

Judæus incredulus Chriſto pertinet ad Civitatem terrenam Jeruſalem, quæ in Chriſtum non credidit, ſed eum occidit: gloriatur ſe Moyſem habere legiſlatorem, & intermedium; expectatque regem opibus terrenis præpotentem, qui eum liberet à ſervitute temporaneâ. Sed Judæus, Religionem Chriſtianam amplexus, ſpectabit ad Civitatem cœleſtem Ieruſalem, in quam aſcribetur; mediatorem ad Deum habebit ipſum filium Dei Jeſum Chriſtum; ipſique tanquàm regi cœleſti libenter ſeſe ſubjiciet, particeps ejus gloriæ æternæ futurus. Eapropter Paulus Hebræus à Ju-
Ad Heb. daiſmo ad fidem converſis ait, *acceſſiſtis ad Sion montem, & Civitatem Dei*
12. v. 22. *viventis, Ieruſalem Cœleſtem, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt*
23. 24. *in cœlis, & teſtamenti novi mediatorem Ieſum.* Hactenùs ſcripta Philadelphienſi Epiſcopo explanavimus: videamus jam quis indè fructus nobis potiſſimùm ſit percipiendus.

Verſ. 13. *Qui habet aurem, audiat quid ſpiritus dicat Eccleſiis.*

Quiſquis fidelium animetur ad cultum, & imitationem ſanctitatis, ac veritatis in Chriſto laudatæ. Quaſcumque paſſus fuerit in ſcripturis intelligendis difficultates, petat ſibi aperiri ſenſum *ab eo, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit:* Poſtulet etiam *ab eo, qui claudit, & nemo aperit*, cor ſuum occludi Diabolo; aperiri autem Spiritui Sancto, ut in illo tanquàm in templo inhabitet; nec templum illud ſanctum ullatenùs umquàm violetur. Sectetur ſimplicitatem, innocentiam, manſuetudinem, modeſtiam, charitatem, cæteraſque virtutes eximias Philadelphienſium Præſulis. Quos poterit peccatores verbo, & exemplo convertat ad Dominum: meminerit accedentem ad ſervitutem Dei præparare ſe ad tentationem; ac beatum ſe reputet, ſi illam humili, & conſtanti animo ferat: tandem de quibuſlibet vitiis, ac de omni tentatione diabolicâ victoriam

Digitized by Google

victoriam reportet, ut triumphum mereatur in civitate Cœleſti, atque gloriam æternam à Deo, & Chriſto, cujus honori vixerit.

Certè plurimi ex univerſis Eccleſiis fideles illas ex ſcriptis Chriſti ad Philadelphienſem Epiſcopum utilitates perceperunt; ſed in primis ipſi Philadelphienſes, quandoquidem Eccleſiæ Smyrnenſis Epiſtola ab Euſebio relata commemoret, *duodecim ex Philadelphiâ profectos idem genus mortis ac Beatam Polycarpum, Smyrnæ lubentes pertuliſſe, & martyrio conſummatos.* Euſeb. hiſt. l. 4. c. 14. Ruffin. l. 4. c. 15.

EXPLANATIO XIII.

Referens ad Sagarim Laodiciæ Epiſcopum ea, quæ Sanctus Ioannes ejuſdem Eccleſiæ Præſuli ſcribit à decimo quarto verſu ad finem Capitis tertii Apocalypſis.

VERS. 14. Et Angelo Laodiciæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit Amen, teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei.

℣. 15. Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus eſſes, aut calidus!

℣. 16. Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

℣. 17. Quia dicis, quòd dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo; & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.

℣. 18. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & veſtimentis albis induaris, ut non appareat confuſio nuditatis tuæ; & collyrio inunge oculos tuos, ut videas.

℣. 19. Ego quos amo, arguo, & caſtigo. Æmulare ergo, & pœnitentiam age.

℣. 20. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.

℣. 21. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in Throno

 meo,

meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in Throno ejus.

℣.22. Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.

Verſ.14. *Et Angelo Laodiciæ Eccleſiæ ſcribe.*

VERISIMILE eſt illum Epiſcopum Laodicenum fuiſſe Sagarim, de quo Martyrologium Romanum pridie nonas
Martyr. Rom. 6.Octob. Octobris hæc refert: *Laodiciæ Beati Sagaris Epiſcopi, & Martyris, qui fuit unus de antiquis Pauli Apoſtoli Diſcipulis.* Etenim ex Euſebio vixit uſque ad tempora Polycarpi Smyrnenſis, & Melitonis Sardenſis, ad quos Beatus Joannes mandata Domini reſcripſit:
Euſeb. Hiſt.l.4. c.12.13. 25. quippe ipſemet Melito libris, quos de Paſchate confecit, inquit: *Cùm Servilius Paulus eſſet Aſiæ proconſul, quo quidem tempore Sagaris Martyrii coronâ donatus fuit, magna apud Laodiceam orta eſt controverſia de Paſchate; quod quidem feſtum fortè eodem temporis articulo, quo oriebatur controverſia, incidit; atque illis ipſis diebus etiam iſta à me de feſto illo fuere perſcripta.*

Sed mirabitur quiſpiam tanti Apoſtoli tàm inſignem diſcipulum in tàm graves defectus prolapſum, ut debuerit peracerbâ correptione Domini emendari. Verùm quis neſciat quàm imbecilles ſint animi humani vi-
1.ad Cor. 10 v.12. res, ut meritò dicat Apoſtolus, *qui ſe exiſtimat ſtare, videat nè cadat*; & Propheta Regius oraverit Dominum, *nè projicias me in tempore ſe-*
Pſ.70.v.9. *nectutis; cùm defecerit virtus mea, nè derelinquas me.* Sanè non dereliquit Dominus Sagarim ſenio confectum, ſed illum tantâ charitate prævenit, redarguit, correxit, corroboravit, ut juſtificatus denuò, & Martyrii palmam adeptus, aſſerere queat cum emendato Prophetâ Regio,
Pſ.91.v.11. 12.13. *Senectus mea in miſericordiâ uberi; & deſpexit oculus meus inimicos meos: juſtus ut palma florebit.*

Itaque audiamus eâ, quâ par eſt, veneratione verba Domini tàm ſalubriter corripientis præfatum Præſulem.

Ex verſ.14. *Hæc dicit Amen.*

Certum eſt hanc vocem, *Amen*, pronuntiatam fuiſſe à Chriſto ſæpiſſimè in principio ſermonum ſuorum, ut cùm dicit, *Amen dico vobis*; & aliquando in fine, ſicut in concluſione orationis, quam nos docuit, *Libera nos à malo: Amen.* Sanctus etiam Lucas Evangelium terminavit hâc voce, *Amen*; nec ullam Epiſtolam ſcripſit Paulus, in quâ non videatur hæc vox, *Amen*, appoſita in fine, vel Epiſtolæ, vel alicujus ſententiæ. Id quòque patet, tùm in primâ Epiſtolâ Dilecti Diſcipuli, tùm in ejus Apocalypſi.

Cùm igitur hæc vox, *Amen*, ſolita ſit proferri in principio, & in fine ſermonis; dùm Chriſtus Dominus ſe ipſum dicit *Amen*, declarat ſe eſſe principium, & finem. Ita

Ita per hanc unam vocem Hebræam Salvator , Hebræus ex Hebræis, indicavit Diſcipulo Hebræo id , quod ipſi quatenùs apud Græcos degenti paulò antè ſignificaverat per has duas voces Græcas , *Ego ſum* α , & Apoc. 1.
ω : Tunc enim , quia ex literis Græcis α eſt principium , ſeu prima ; ω v. 8.
verò eſt finis , ſive ultima, Verbum Incarnatum deſignavit ſe eſſe principium , & finem : undè , nè quemquam id lateret , ſtatim atque dixit, *ego ſum α , & ω* , addidit *principium , & finis.*

Sic nunc ſe ipſum nuncupans *Amen* , ſubjungit , *qui eſt principium*, ut declaret quid velit per illam appellationem Hebræam de ſe ipſo intelligi , nempè quòd ſit *principium* ; & quamvìs non adjiciat expreſsè vocabulum finis , tamen conjiciendum illud nobis relinquit : Cùm enim aſſerat ſe eſſe *Principium creaturæ Dei* , nonne hinc neceſſe eſt inferre illum etiam ejuſdem creaturæ eſſe finem ? Deus enim , ut omnium rerum principium , ita & finis eſt.

Igitur *ſemel locutus* eſt Chriſtus , ſe ipſum dicens *Amen* ; *& duo hæc audivi* , ac percepi illâ voce , nimirùm quòd ipſe ſit principium, & finis. Pſ. 61. v. 12.

Quocirca patet hanc vocem Hebræam longè præſtantionem eſſe literis Græcis α , & ω , cùm α principium dumtaxat , ω autem ſolùm finem ; *Amen* verò utrumque deſignet.

Indè quòque liquet eamdem vocem Hebraicam cenſendam eſſe Sacratiſſimam , & Divinam , non modò quòd à Chriſto Domino perſæpe prolata ſit ; ſed etiam quia Deum nobis repræſentat, qui Eſſentiæ ſuæ unitate creaturarum omnium principium , & finis exiſtit.

Convenientiſſimè etiam Chriſtus eàdem voce Hebræâ ſe ipſum indicavit ; quippe qui Divinitatem , & Humanitatem in unitate perſonæ ſuæ conjungens , copulavit in ſemetipſo novâ ratione *primum, & noviſſimum, principium , & finem :* Deus enim eſt primum eſſe , ac principium rerum omnium : Homo verò *noviſſimus* eſt , atque *finis* Creaturarum , quatenùs productus fuit omnium poſtremus ; ad eumque tanquam ad finem proximum relata eſt mundi creatio. Gen. 1. v. 26.

Prætereà vox illa *Amen*, ſignificat *verè* ; *& fiat : Amen , amen dico tibi* , ideſt , verè , verè dico tibi. *Libera nos à malo* ; *Amen :* Hoc eſt , fiat quod oro.

Quamobrem Chriſtus Laodicenum, ex Aſiaticis Epiſcopis ultimum, & veriſimiliter Laodiciæ primum Præſulem , utpote à Beato Paulo ordinatum , alloquens , nuncupat ſe ipſum *Amen*, ſeu *principium, & finem* , quò indicet ſe eſſe principium , & finem totius Epiſcopatus ; ita ut ab ipſo Sacerdotium omne in Eccleſiam Chriſtianam derivetur ; & neceſſe ſit ad ipſum tendere , ut perficiatur.

Se ipſum etiam dicit *Amen* , ut ſignificet Laodiceno ſe illi vera dicturum , tametſi præter illius ſint opinionem : Exiſtimat enim ſe ille Præſul *divitem , & nullius egere.* Dominus autem illum reputat *pauperem, & miſerabilem.* Apoc. 3. v. 17.

Denique amantiſſimus Salvator *dicit* ſe ipſum *Amen* , quòd peroptet ut

fiat

Apoc.3. *fiat* à Laodiceno *pœnitentia* , ad quam illum ex *amore* vehementi adhor-
v.19. taturus eſt ; nec velit ipſum de promiſſis præclaris , quæ illi facturus eſt
Apoc.3. tantiſper dubitare ; quandoquidem vera ſint , & fide digna , utpote
v.20.21. ab eo , qui veritas eſt , prolata ; & juramento ſolemni ab eodem , ac per ſe ipſum , qui non modò dicit *Amen* , ut quondam ſolebat, quidpiam affirmans , ſed etiam ſemetipſum *dicit Amen* , confirmata. Propterea ſubjungit , quòd ſit

Ex verſ.14. *Teſtis fidelis , & verus.*

Teſtis veracis , ac fide digni eſt , ſincerè aſſerere quod certò novit : un-
Joan.3. dè Salvator Nicodemo , *Amen , amen dico tibi , quia quod ſcimus , loqui-*
v.11. *mur ; & quod vidimus , teſtamur.* Verax eſt ; & dignus , cui fides adhibeatur , ſive de ſe ipſo quidpiam affirmet ; ſive alia doceat : *ad hoc*, enim
Joan. 18. inquit , *veni in mundum , ut teſtimonium perhibeam veritati.* Sed & *teſtis*
v.37. eſt *fidelis , & verus* , dùm aliquid etiam pluribus occultum , ſed ſibi notiſſimum objicit , ac redarguit.

Eam ob rationem apud Jeremiam contra Sedeciam , & Achab falſiſſi-
Jer. 29. mos , & iniquiſſimos Prophetas , *ego ſum Iudex , & teſtis , dicit Domi-*
v.22.23. *nus : quod* , ex ſancto Hieronymo , *hunc habet ſenſum : hæc , quæ dico de*
Hieron. in Jerem. c.19 v.23. *duobus pſeudo-Prophetis , nequaquam opinione cognovi ; ſed ipſe ſcio vera eſſe , quæ celare nemo poteſt ; nec effugere mei judicii veritatem.*
Malach. 3. Quin etiam Dominus per Malachiam *dicit* , *accedam ad vos in judicio,*
v.5. *& ero teſtis velox. Quanta* , indè infert Hieronymus , *formido judicii, cùm*
Hieron. in Malach. c.3.v.5.7. *ipſe ſit teſtis , & judex ! Teſtis eſt autem maleficis , & adulteris : Hæc enim crimina perpetrantur occultè ; & ideò proferuntur in medium , nè diu lateant.* Hortatur tamen protinùs ad pœnitentiam Dominus , cùm ait,
Malach.3. *revertimini ad me,& revertar ad vos* ; *& vide*,inquit Hieronymus, *clemen-*
v.7. *tiam Domini.* Mira ſanè eſt : quippe teſtis declarat judici crimina , ob quæ reus ab ipſo judice condemnetur : Deus autem Iudex , & teſtis patefacit reorum ſcelera , ut pœnitentiam agentes veniam ab ipſomet conſequantur.

Chriſtus igitur , tametſi Judex , ſe ipſum hocce Apocalypſis loco, quem interpretor , nuncupat *teſtem fidelem , & verum* , quòd peccata ſibi nota , & Laodiceno Epiſcopo incognita , teſtificaturus ſit eidem , & crimini daturus. Verùm illicò illum ad pœnitentiam invitabit ; & reſipiſcenti , non modò gratiam ſuam , ſed etiam gloriam ingentem promittet.

Mihi videtur inſuper Chriſtus aſſerere ſe *teſtem fidelem , & verum* , quòd velit Laodicenſium Præſulem , ejus exemplo permotum , & gratiâ emendatum , ſincerum uſque ad mortem perhibere teſtimonium veritati : Quod re ipsâ tandem præſtitit , quandoquidem pro fide , quam profeſſus eſt , Martyrii coronâ donatus ſit.

Joan 1. Ex ✠.14. *Qui eſt principium creaturæ Dei.*
v.3. Nulla quidem creatura eſt , quæ non ſit *creatura Dei* , quia *omnia per*
Pſ.148.v.5 *ipſum facta , & creata ſunt* : Sed homo antonomaſtice *Creatura Dei*

eſt

eſt ob perfectiones ſibi inditas , quibus eminet ſuprà cæteras creaturas
corporeas , utpote *factus ad imaginem , & ſimilitudinem* Dei , quam in Gen.1.
mente ſuâ , quæ ſpiritualis eſt , expreſſam habet : Quamobrem Chriſtus v.26.
hominem cæteris creaturis præferens , eumque creaturæ ſuæ appellatione
præcipuâ exornans , ait Diſcipulis ſuis , *prædicate Evangelium omni* Marc.16.
creaturæ , hoc eſt , omni homini , qui mea creatura eſt in orbe terreno v.15.
præſtantiſſima , mihique chariſſima.

Quòd ſi homo ex primævâ ſuâ conditione in ſtatu naturæ eſt peculia-
riter , & modo quodam inſigni *creatura Dei* , multò magis eſt ut juſtus in
ſtatu gratiæ : quippe , ſicuti non à ſe ipſo , ſed à Deo creatur: ita nec à
ſe ipſo , ſed à Deo juſtificatur : verùm nihil planè in eo obſtabat ejus
creationi , cùm nondum quicquam eſſet : ſecùs , peccata , quæ admiſerat , Ad Eph.
plurimùm repugnabant ejus juſtificationi. Hinc Paulus Epheſiis , *gratiâ* 2.v.8.9.
eſtis ſalvati per fidem , & hoc non ex vobis ; Dei enim donum eſt ; non ex 10.
operibus , ut nè quis glorietur : ipſius enim ſumus factura , creati in Chriſto
Ieſu , in operibus bonis , quæ præparavit Deus , ut in illis ambulemus.

Tandem homo per reſurrectionem in ſtatu gloriæ eſt maximè *creatura*
Dei : namque , quandiù in terris degit , ita eſt creatura Dei , ut ſit etiam
parentum , qui eum genuerunt , ſoboles : At in reſurrectione , ſive , ut
vocat Chriſtus Dominus , *Regeneratione* , homo erit ſolius Dei creatura, Matth.19.
quia à ſolo Deo , non ab ullis hominibus , niſi à Chriſto vero Deo , & v.28.
homine reſuſcitabitur : *Omnes* , inquit Chriſtus , *qui in monumentis ſunt,* Joan.5.
audient vocem Filii Dei ; & procedent , qui bona fecerunt , in reſurrectionem v.28.
vitæ. Tùm etiam homo juſtus , ad gloriam reſuſcitatus , erit unicè crea-
tura Dei , quòd nequicquam in ſe habiturus ſit ex peccato , quod eſt dia-
boli opus; ſed *Deus* illi propter perfectam ſanctitatem, conſummatamque 1.ad Cor.
felicitatem , futurus ſit *omnia.* 15.v.28.

Quæ cùm ita ſint , Chriſtus dici poteſt *principium creaturæ Dei* ; quòd
ſit principium productivum hominis in ſtatu naturæ , in ſtatu gratiæ , &
in ſtatu gloriæ.

Verùm , cùm vox illa *principium* , & Græca ἀρχὴ , uſurpari queat paſ-
ſivè , non ſecùs ac activè , juxta hanc ſententiam Jacobi , *genuit nos ver-* Ep. Jac.1.
bo veritatis , ut ſimus initium aliquod , ἀπαρχὴ , creaturæ ejus ; non tan- v.18.
tùm fas eſt intelligere Chriſtum eſſe *principium* productivum *creaturæ*
Dei, quatenùs hominem creat , juſticat,& glorificat ; ſed etiam licet con-
templari ipſummet Chriſtum tanquam initium creaturæ Dei , idque tri-
pliciter ex ſancto Paulo.

Primùm quidem , ut unigenitus Dei Filius , dicitur ab eodem Apoſto-
lo *primogenitus omnis creaturæ* , non quòd ſit creatura : abſit ; eſt enim Ad col.1.
ab æterno Deus: ſed quia genitus eſt à Patre , antequàm ulla fieret creatu- v.15.
ra , quemadmodùm libro Eccleſiaſtici *Sapientia* æterna dicitur *primogenita* Ecclic.24.
ante omnem creaturam ; & ipſe Paulus rationem referens cur Chriſtum vo- v.5.
caverit *primogenitum omnis creaturæ , ait quoniam in ipſo condita ſunt uni-* Ad Col.1.
verſa ; omnia per ipſum creata ſunt ; & ipſe eſt ante omnes. v.15.16.
17.

Hervéus in Apocalypſim. N Secundò,

Secundò, Chriſtus, ut homo juſtus, eſt Sanctorum omnium, & [Dan. 9. v.24.] prædeſtinatorum primus: quamobrem appellatur à Prophetâ *Sanctus* [Ad Rom. 8. v.29.] *Sanctorum*; aitque Apoſtolus, quòd *quos Deus præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*

[Ad Col.1. v.18.] Tertiò, Chriſtus ex ſancto Paulo *eſt principium*, ἀρχὴ, *primogenitus ex mortuis*, quòd ſit primus omnium hominum à morte ſuſcitatus, non ampliùs moriturus.

Is autem poſtremus ſenſus mihi videtur præcipuus verborum Ioannis de Chriſto, *qui eſt principium creaturæ Dei.* Etenim Apocalypſis capite [Apoc.1. v.5.] primo efflagitat gratiam Eccleſiis Aſiæ *à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum*: hoc verò capite, *hæc dicit teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei.* En utroque loco, *teſtis fidelis: primogenitus* autem *mortuorum* additur uni; *principium* verò *creaturæ Dei*, jungitur alteri, ut unum per alterum intelligamus.

Nec id quemquam puto in dubium revocaturum, ſi attendat Chriſtum, ut hominem, reſurrectione ſuâ eſſe maximè, ac unicè *creaturam Dei*, [Ad Rom. 8.v.3.] quatenus in ſe non habet quidquam, quod non ſit à Deo, & Dei opus; cùm anteà dùm viveret in terris, haberet corpus *in ſimilitudinem carnis* [Matth.4. v.5.8.] *peccati*, hoc eſt, paſſibile; ferretque aliquandò ſe tentari, & traduci de loco in locum à diabolo; multáque alia graviſſima pateretur à peccatoribus: His autem omnibus malis per glorioſiſſimam Reſurrectionem ſuam à Patre liberatus eſt; ita ut in ejus humanitate, totus & unicè ſit [1.ad Cor. 15.v.28.] *creatura Dei* Patris; eique uni *ſubjectus*, ut ait Apoſtolus; cùm priùs non juſtis tantùm, ſed & malis hominibus, ac quodammodò ipſi dæmoni, licet ſanctiſſimè, ſubjaceret.

Præterea, quamvis Chriſtus, ut homo, in terris vivens eſſet *Creatura Dei*, etiam ſingulariter, utpote à Deo productus virtute Altiſſimi, & operatione Spiritus Sancti: tamen erat quòque Filius ſanctiſſimæ Virginis, ex cujus puriſſimo ſanguine fuerat efformatus. At quando reſuſcitatur, ſolius Dei eſt opus, & creatura; quippe à ſolo Deo, non à Virgine Matre, vel ab ullâ aliâ perſonâ creatâ, novam illam vitam glorioſam conſequitur.

Illud partim eſt, quod Dominus Ieſus poſtulabat pridie mortis ſuæ, [Joan.17. v.5.] rogans Patrem, ut *clarificaret illum claritate, quam habuit apud ipſum, priuſquam mundus eſſet*: ab æterno enim gignitur à ſolo Patre; & genitus vivit in æternum: per Reſurrectionem autem, quam paulò ante mortem petebat, gignitur etiam à ſolo Patre, ſemper victurus: undè & Pater ipſum contemplans ut mox reſuſcitatum, juxta interpretationem [Act. 13. v.33.] Pauli, ait illi in ſecundo Pſalmo, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, [Pſ.2.v.7.] ego, ſcilicet ſolus; cùm alio in Pſalmo dicat, *ex utero genui te*; quia, [Pſ. 109. v.3.] dùm incarnatus eſt, illum genuit ex utero Beatæ Virginis.

Explicatis multipliciter illis de Chriſto verbis, *principium creaturæ Dei*, rationes reddo, propter quas Chriſtus illa de ſe protulerit, Laodicenum Epiſcopum alloquens.

Primùm

Primùm quidem, ut principium productivum hominis in ſtatu naturæ, in ſtatu gratiæ, & in ſtatu gloriæ, affatur illum Præſulem, quòd cùm ſit illius creator, velit illum ut creaturam ſuam reparare, ejuſque defectus gratiâ ſuâ emendare; & ad tantam perfectionem provehere, ut ſummam etiam gloriam conſequatur.

Deinde Chriſtus, ut *initium creaturæ Dei*, hoc eſt, *primogenitus omnis creaturæ*, ſeu, *ante omnem creaturam*; & *primogenitus ex multis fratribus*, ſive juſtis, & prædeſtinatis; nec non *primogenitus ex mortuis*, vel *mortuorum*, alloquitur Laodicenum Antiſtitem, quòd cupiat illi rursùs conferre amiſſam filiorum Dei adoptionem, & ſanctitatem; atque eum ſic à morte peccati excitare, ut nullo ulteriùs crimine mortem animæ ſibi conſciſcat; ſed ſemper vivat Deo; ac tandem ſibi ad dexteram Patris ſedenti conſideat in cœleſtibus.

Certè ex Paulo *Deus, qui dives eſt in miſericordiâ, propter nimiam charitatem ſuam, quâ dilexit nos, & cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos, & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu:* Ita Chriſtus, ut *principium*, ſeu initium *creaturæ Dei*, id eſt, *primogenitus mortuorum*, arguit ex amore Laodicenum Epiſcopum: dives in miſericordiâ opitulabitur pauperi, & miſerabili: reſuſcitabit ipſum per pœnitentiam; vivificabit illum, infundens ſe Spiritu ſuo ſancto in cor ejus; & ſedere faciet ſecum in Throno Cœleſti, quemadmodùm ſingula iſta verbis poſteà explicandis patebunt. Ad Eph. 2. v.4.5.6.

℣. 15. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus.*

Vix dubium eſſe poteſt, quin Sagaris, Epiſcopus Laodicenus ille, de quo agitur, plurima virtutum opera peregerit, cùm ex Martyrologio Romano *fueris unus de antiquis Pauli Apoſtoli Diſcipulis:* tamen eo tempore, quo ei Beatus Joannes Chriſti nomine ſcribit, non omnes officii ſui partes implebat; nec ejus actus congruebant ſanctiſſimæ illius dignitati. Martyr. Rom. 6. Octob.

Neque enim, quantùm mihi difficillimum Scripturæ locum pertractanti conjicere fas eſt, *frigiditate* ſenis in ſemetipſo coarctabatur, ut ea, quæ illius eſſent vitæ ſpiritualis tuendæ, dumtaxat curaret: neque etiam *ardore* juvenili concitabatur, ut ſalutis aliorum, qui ei commiſſi erant, negotium alacriter perficeret.

Non *frigebat* more ſenum, quaſi extinctus eſſet in eo omnis ardor libidinis, & cupiditatis: nec *inardeſcebat* amore divino, & deſiderio cœleſtium, ſicuti decebat Epiſcopum, quem vult Dominus, *non cupidum, ſed exemplum fidelium in converſatione, in charitate.* 1. ad Tim. 3. v. 3. c. 4. v. 12.

Ad injurias, quæ ei inferebantur, non erat *frigidus*, aut expers ſenſus: nec *inflammabatur* illius animus, aut commovebatur vehementer adversùs hominum in Deum peccata.

Non obduruerat *frigore* divinitùs immiſſo ad mala quæque ſufferenda; nec *igne* Spiritus ſancti incaleſcebat, ut eo accenderet proximos.

Animi ſui motus non comprimebat *frigore* temperati phlegmatis; nec

Digitized by Google

æſtuante *adurebatur* bile ad vitia carpenda, ut poſſet dicere cum Apoſtolo, cujus erat diſcipulus, *Quis ſcandaliſatur, & ego non uror?*

Denique infideles non oppugnabat ſenſu, ut ita dicam, *frigido*, & animo immoto, ac intrepido; nec *ardenti* provocabat zelo Chriſtianos ad arma ſpiritualia contra Dei hoſtes quoſlibet capeſſenda.

Hi erant, quantùm mihi conjecturâ licet aſſequi, *frigoris, ac caloris* defectus, quos in Epiſcopi Laodiceni motibus Chriſtus redarguit: conjicio etiam illum ob ſermones Epiſcopo minùs dignos vituperari, quòd nec *frigidus* eſſet orator, ut verba ex ejus ore vix effluerent præ modeſtiâ, & humilitate; nec eſſet *fervidus*, aut vehemens concionator, ut ſeſe latè diffunderet, excurreretque in dicendo alacritas divinitùs incitata.

Ex ℣. 15. *Utinam frigidus eſſes, aut calidus.*

1. Reg. 17. Vellem Davidis tibi ineſſet, aut *fervor* juvenilis ad congrediendum
2. Reg. 16. cum Goliath; aut *frigus* ſenile ad perpetiendum injurias ſibi illatas à
Semei.

3. Reg. 18. Utinam infidelium maledicta auribus excipiens eo *frigore* corripereris,
ut more miniſtrorum Ezechiæ blaſphemias Rabſacis audientium ſileres;
1. Mach. 2. aut Mathatiæ Sacerdotis zelo *fervens* exclamares; *omnis, qui zelum habet*
v. 27. *legis, exeat poſt me.* Utinam vel ſic *frigidus* eſſes orator, ut Ieremiæ imita-
Jer. 1. v. 6. C. 23. tus humilitatem diceres, *A. A. A. Domine Deus, neſcio loqui*; vel tàm
v. 29. *fervidus* eſſes concionator, ut cum eodem Prophetâ ſanctiſſimè pronun-
tiares, *Numquid non verba mea ſint quaſi ignis?* Hæc in te efflagitarem.

℣. 16. *Sed quia tepidus es; & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.*

1. ad Cor. 2. v. 4. Cùm *ſermo* tuus, *& prædicatio* tua non *ſit in oſtenſione ſpiritus, & virtu-*
Matth. 16. *tis*; nec *ſapias*, & agas *ea, quæ Dei ſunt*, reiiciam te ex corde meo, &
v. 23. ore, quia nec *vir es ſecundum cor meum*, qui faciat voluntates meas; nec
1. Reg. 13. *loqueris quaſi ſermones Dei*; nec denique *miniſtras tanquam ex virtute, quam*
v. 14. *adminiſtrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum.* Tepi-
1. Petr. 4. da quidem aqua vomitum hauſta provocat: verùm tepor ille animi, quem
v. 11. in te percipio, me impellit, ut te è memetipſo eijciam.

℣. 17. *Quia dicis quòd dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo.*

Hæc verba vim faciunt animo, ut ſentiat Laodicenum Epiſcopum ſuperbè ſe jactaſſe, quòd eſſet unus ex antiquis Beati Pauli Apoſtoli diſcipulis; ſimilemque ſe reputaret illis, pro quibus idem Apoſtolus gratias agebat
1. ad Cor. 1. v. 5. 7. Deo, *Quòd divites facti eſſent in Chriſto, in omni verbo, & in omni ſcientiâ, ita ut nihil illis deeſſet in ullâ gratiâ.*

Mihi etiam videtur non tantùm propter divitias ſpirituales ſibi ad gloriam Dei, & utilitatem Eccleſiæ gratuitò collatas, Præſulem illum ſuperbiiſſe; verùm etiam ex opibus terrenis, quas, ut ſibi, & pauperibus ſufficerent, liberalitate fidelium abundè collegerat. Etenim, dùm attendo Beatum Paulum ſollicitè monere Timotheum diſcipulum chariſſimum, &
1. ad Tim. 6. v. 9. 10. 11. Epiſcopum ſanctiſſimum, quòd *qui volunt divites fieri, incidunt in deſideria multa nociva, quæ mergunt homines in perditionem*; *cumque adhortari ut*

radicem

radicem omnium malorum cupiditatem fugiat; adducor ut credam Sagarim, alterum ejuſdem Apoſtoli diſcipulum, & Epiſcopum, ex eâ, quæ inſita eſt hominum animis, puſillitate, & inolitâ ſenibus timiditate carendi rebus neceſſariis, lapſum eſſe primùm in quoddam genus avaritiæ, quâ plura ſibi appeteret; ac deinde more *divitum hujus ſæculi ſublimè ſapuiſſe*, & ſuperbè exultaſſe, quòd ita *locuples* eſſet, ut nullâ re prorsùs egeret. Eâ in opinione obfirmant me Apocalypſis loca duo inter ſe collata; ſiquidem Chriſtus Smyrnenſem Epiſcopum alloquens, inquit, *Scio paupertatem tuam; ſed dives es*: contrà verò ait Laodicenſi, *dicis quòd dives ſum; & neſcis quia tu es pauper.* Illa duorum iſtorum Præſulum antitheſis omninò ſuadet, ut ſicuti Polycarpus Smyrnæorum Antiſtes, & Apoſtolorum diſcipulus, laudatur quòd Apoſtolicam rerum terrenarum paupertatem humiliter ſectaretur; & ſecundùm Deum eſſet dives, utpote opibus ſpiritualibus, & donis cœleſtibus cumulatus; ſecùs Sagaris Laodiciæ Præſul, necnon antiquus Pauli Apoſtoli diſcipulus, vituperatur, quòd inhiaſſet divitiis hujus ſæculi, in iiſque ſuperbiret; atque à Deo cenſeretur inops, quippe qui virtutibus, quæ veræ divitiæ ſunt, careret. Quamobrem objicit illi Dominus,

1. ad Tim. 6. v. 17.

Apoc. 2. v. 9.

Ex ✝. 17. *Et neſcis, quia tu es miſer.*

Felicem te arbitraris, quia pecuniis abundas, quaſi ſummum bonum, ex quo nihil mali tibi timendum ſit, poſſideas: ſed reverà infelix es, quandoquidem in æternam miſeriam, & calamitatem avaritiâ tuâ, & ſuperbiâ ſis devolvendus, niſi reſipiſcas.

Ex ✝. 17. *Et miſerabilis.*

Qui fallaciâ divitiarum periturarum ſeducuntur, & opes, quas deberent contemnere, vehementer amant, prædicant etiam te beatum, quòd habeas *omnia abundè ad fruendum*; nec ullius rei penuriam ſis paſſurus: at ita *miſerabilis* es, ut lugendus ſis potiùs quàm laudandus, quippe in ſummo diſcrimine vitæ, non temporalis, quæ parvifacienda eſt, ſed æternæ, quæ cunctis anteponenda eſt, verſaris. 1. ad Tim. 6. v. 17.

Ex ✝. 17. *Et pauper.*

Apponis cor tuum *divitiis*, quibus *affluis*; ſed *cor* tuum *longè eſt* à Deo tuo; quâ cordis inopiâ quid pauperius? Pſ. 6. 1. v. 11.

Ex verſ. 17. *Et cæcus.* Iſai. 29. v. 13.

Prudens, & oculatus tibi videris, quòd futura, quæ incerta putantur, prævidens, provideris quæ neceſſaria forent uſibus tuis, & ſplendori dignitatis tuæ conducerent: verùm obcæcatus es cupiditate tuâ; nec contemplaris æterna, quæ futura ſunt; nec viaticum, quo perducaris ad æternitatem beatam, præparas.

Ex verſ. 17. *Et nudus.*

Veſtes præclaræ, & multæ tibi ſunt ex opibus, quibus refertus es: ita ut reſplendeas in turbâ fidelium, qui te circumſtant; nec timeas à frigoribus aëris, aut ab æſtu ſolis: ſed expers es gratiæ, & ſanctitatis, quæ perilluſtre eſt indumentum animæ; expoſituſque jaces ingruentibus tem-

N 3 potibus

poribus malis, & ardoribus ſævis poteſtatum hujus ſæculi.

Ex verſ. 17. *Et neſcis.*

Neſcis iſta, nec intelligis illa tua delicta, quæ mihi comperta ſunt.
Deuter. 32. *Utinam ſaperes; & noviſſima provideres.*
v. 29. Aliam præfatorum verborum explicationem ſubijcio. Eruditus à Paulo,
& ætatis longævæ tranſactis diebus, ſapientiam omnem, & prudentiam
te aſſecutum putas, & *divitem in omni verbo, & in omni ſcientiâ:* Sed ſa-
pientia tibi carnis eſt, non ſpiritus; inflariſque ſcientiâ tuâ; neque at-
tendis à Magiſtro gentium, & tuo pronuntiatum, quod velim in te trans-
1. ad Cor. feras: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non ha-*
13. v. 1, 2. *beam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens; & ſi noverim my-*
ſteria omnia, & omnem ſcientiam; charitatem autem non habuero, nihil ſum.
Igitur orbatus amore Dei, & charitate, nihil es: quo quid *miſerius, &*
miſerabilius? aut ſi quid es, *pauper es, & cæcus, & nudus.*

Quantumvis enim longævus in verbo, & ſcientiâ divitem temetipſum
ad Rom. 2. exiſtimes; an *theſauros bonitatis, & longanimitatis Dei* in te effuſos, vir-
v. 4. tutibus vacuus poſſides? Tametſi ex diutinâ rerum experientiâ prudens, &
ad Eph. 1. perſpicax tibi videaris, numquid habes *oculos illuminatos cordis tui, ut ſcias*
v. 18. *quæ ſit ſpes vocationis* tuæ, cùm ab illâ plurimùm aberres? Veſtemne nup-
ad Eph. 4. tialem, quâ recipiaris *ad cœnam nuptiarum agni*, habes, exutus *novum*
v. 24. *hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitiâ, & ſanctitate?*

Verſ. 18. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, & probatum, ut locu-*
ples fias.

Etſi Chriſtus ſit omnium Dominus, tamen non imperat, ſed monet;
non cogit, ſed *ſuadet*; non impellit, ſed adhortatur peccatorem, ut reſi-
piſcat; eòque libentiùs ipſi juſtum obſequium impendat, quò majori be-
1. ad Cor. nignitate videt ſe ab illo præveniri. Laodicenum Epiſcopum, qui ſe *divi-*
1. v. 5. *tem in omni verbo, & in omni ſcientiâ* exiſtimabat, & nihilominùs terrena
ſapiebat, alloquitur Salvator, filius Dei chariſſimus, ſapientia, & ver-
bum Patris; ideòque præfato Antiſtiti conſulit, ut quamprimùm charita-
tem ardentem, ſapientiam divinam, & eloquentiam Chriſtianam, *auro*
ignito, & probato deſignatam, ſibi comparet, quò veris virtutibus, & do-
nis cœleſtibus, ſicuti par eſt, locupletetur.

Quippe ſicuti aurum eſt omnium metallorum pretioſiſſimum; ita cha-
ritas omnium virtutum præſtantiſſima; cunctaque in ſe chariſmata, &
dona Spiritus Sancti complectitur. Præterea quemadmodùm aurum, ut
puriſſimum ſit, ac perfectiſſimum, probatur per ignem; ſic charitas igne
perſecutionis probanda eſt, ut perfectionem ſibi convenientem aſſequatur:
ad Rom. 5. Undè Paulus *gloriabatur in tribulationibus, ſciens quòd tribulatio patientiam*
v. 3. *operatur; patientia autem probationem.* Et Jacobus, *probatio fidei veſtræ pa-*
Iac. 1. *tientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, ut ſitis perfecti, &*
v. 3. 4. *integri, in nullo deficientes.*
Prov. 4. Sapiens quòque inquit, *poſſide ſapientiam; & in omni poſſeſſione tuâ ac-*
v. 7. *quire illam: melior eſt enim acquiſitio ejus negociatione auri, & argenti: pretio-*
ſior

ſior eſt cunctis opibus; & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent, comparari. C.3.v.14. 15.

Pſalmiſta etiam teſtatur, *eloquium* Dei eſſe *ignitum vehementer*; atque *argentum igne examinatam*; necnon *diligendum ſuper aurum, & topazion.* Pſ.118. v.140. Pſ.11.v.7. Pſ.118. v.127.

Porrò quòd *aurum* illud *ignitum, & probatum* ardentis charitatis, ſapientiæ divinæ, & eloquentiæ Chriſtianæ, Laodiceno *ſit emendum*, arbitror intelligendum tripliciter.

Primùm quidem, ut precibus, & genuinâ in Deum pietate acquiratur ab illo Præſule; & gratis ex miſericordiâ divinâ ei à Chriſto conferatur: etenim Dominus per Iſaiam, *omnes ſitientes*, inquit, *venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque ullâ commutatione vinum, & lac.* Quid verò ad id facto opus ſit, declarat Propheta: *Quærite Dominum, dùm inveniri poteſt: invocate eum, dùm prope eſt. Derelinquat impius viam ſuam; & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus.* Optat itaque Salvator ut Laodicenſis Epiſcopus ad Dominum, à quo peccatis ſuis averſus eſt, pietate ſuâ convertatur; ejuſque clementiam precibus enixis impetret. Iſai.55. v.1.6.7.

Secundò, cùm Daniel Regi Nabuchodonoſor *conſilium* dederit, ut *peccata* ſua *eleemoſynis redimeret*, quò Deus *ignoſceret* ejus *delictis*; atque etiam Salvator dixerit, *vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſynam: facite vobis theſaurum non deficientem in Cœlis*: Mihi videtur ipſemet Chriſtus velle ut Laodicenſis Epiſcopus pecuniam copioſam, quam ex liberalitate fidelium collectam apud ſe aſſervabat, pauperibus largiter erogaret, quò gratiæ, & gloriæ theſauros, avaritiâ ſuâ, & ſuperbiâ deperditos, humilitate, & charitate recuperaret. Dan.4. v.24. Luc.12. v.33.

Tertiò, quandoquidem operarius labore ſuo mercedem ſibi acquirat, ac emat; Chriſtus efflagitat ut Laodicenus Antiſtes pœnitentiæ, ad quam illum adhortatur, operibus laborioſis remiſſionem peccatorum ſuorum adipiſcatur, ac quodammodò emat: Etenim, quamvis pœnitens gratiâ Dei juſtificetur, tamen opera illa, quibus Deo ſatisfacit, conjuncta ſanctiſſimis operibus, & pretioſo ſanguini Chriſti, à quo vim habent, fas eſt dicere pretia, quibus ipſa peccata redimuntur; & chirographum à peccatore erga juſtitiam divinam contractum reſcinditur.

Ex verſ. 18. *Et veſtimentis albis induaris, ut non appareat confuſio nuditatis tuæ.*

Statìm atque primi parentes admiſſo peccato cognoverunt ſe eſſe nudos, erubuerunt; ac deinceps nemo ratione utens voluit apparere nudus; ſed ut ait Apoſtolus, *quæ putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circumdamus.* Si tantus pudor inſitus eſt corpori, propterea quòd *caro concupiſcit adversùs ſpiritum*: Quantò major erubeſcentia deberet eſſe animo quidquam iniquè concupiſcenti adversùs Deum, cui creaturam omnem oportet penitùs ſubeſſe? Tamen omnis ſuperbus, ac quivis alius peccator, tanquàm amens, vel ebrius, non erubeſcit ex ſeſe, quòd fœdè incedat coram Deo, & Angelis, & hominibus, virtutibus Gen.3.v.7. 1.ad Cor. 12.v.23. Ad Gal.5. v.17.

ſponte

ſponte ſuâ nudatus! Summum ſanè illud dedecus eſt,atque horrenda turpitudo. Attamen ſi peccator vitiorum ſuorum fœditate permotus, humiliter erubeſcat; & peccata ſua deteſtatus, virtutes, quas abjecerat, reſumat, ſplendore juſtitiæ, quam conſequetur, fulgebit; *indueturque veſtimentis*
1.Ioan.1. *albis, ut non appareat* ampliùs *confuſio nuditatis* ejus; quippe qui *emunda-*
v.7. *tus* fuerit *ab omni peccato*, & priſtinæ ſanctitatis veſtitus decore; nec *con-*
C.2. v.28. *fundendus* ſit *in adventu Domini*, gratiâ illius juſtificatus.

Ex ỳ.18. *Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.*

Cæcutiit mentis oculus, quòd ad beneficia divina ingratus obduruerit: viſum autem recuperaturus eſt, ſi *aquis Salvatoris* deſumptùm n anan-
Iſai. 12. v.3. tibus, necnon lacrymis ſuis ex intimo animi dolore propter admiſſa pec-
Ioan.9. cata prodeuntibus, emolliatur. Mirabili collyrio Dominus reſtituit viſum
v.6. cæco nato, cujus linivit oculos luto confecto ex terrâ, & ex ſputo ſuo. Pari collyrio Laodicenus Præſul, ſuperbiâ, & avaritiâ excæcatus, inungat oculos ſuos, ut aciem mentis, quâ perſpicuè intueatur quæ ſuæ ſaluti conducibilia ſunt, recipiat. E cerebro, ubi ſedes eſt animæ, exſpuat pravos humores; hoc eſt, ex animo ejiciat amorem ſui inordinatum, & fœdas ſæculi cupiditates. Attendat quid ſit ex primævâ conditione terre-
Eccle.10. nâ; & ad quam infelicitatem redactus ſit peccato ſuo; nec umquam *ſuper-*
v.9. *biat terra, & cinis.* Ob oculos etiam mentis ſibi proponat, *ſe nihil intuliſſe*
1.ad Tim. *in mundum; nec quid inde ablaturum*, præter *opera*, quæ fecerit: ac pro-
6. v.7. Apoc.14. pterea terrena deſpiciat; & amet cœleſtia; ſecteturque virtutes, quibus
v.13. æternam miſeriam effugiat; ac beatam æternitatem aſſequatur.

Verſ.19. *Ego quos amo, arguo, & caſtigo.*

Mira Dei bonitas, quòd peccatores, qui ab ejus amore deſciverunt, diligat! odit quidem illorum peccata; ſed creaturam in illis ſuam amat; eoſque delinquentes corripit, ut ſeſe emendent.

Ex verſ.19. *Æmulare ergo, & pœnitentiam age.*

Defectus tuos ex zelo perfectionis tuæ redarguo: zelum meum imitare. Iraſcor tibi delinquenti: in viria quòque tua tu ipſe commovearis. Emendationem tuam cupio: mores tuos emenda. Accuſo te: condemna temetipſum, ut ſeveritatem judicii mei declines, ac veniam conſequaris. At-
1.ad Cor. tero te increpationibus meis: animum, & *corpus* tuum *in ſervitutem, nè*
9. v.27. *reprobus efficiaris, redige.* Sapiens tibi videris, & eloquens: ſed *æmulare*
C. 12. v.30. *chariſmata meliora*, nempè virtutes Epiſcopo convenientes, ac præcipuam
2.ad Cor. omnium charitatem. Animas etiam tuæ ſollicitudini creditas *æmulare Dei*
11. v.2. *æmulatione*, ut illas tanquàm *virgines caſtas exhibeas Chriſto.*

Verſ. 20. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.*

ad Epheſ. *Habitabam* aliquando *in corde tuo per fidem, quæ per charitatem operaba-*
3. v.17. ad Gal.5. *tur:* poſteà verò ejeciſti me amore tui ipſius inordinato,& perverſo: nunc
v.6. autem cupio redire illuc, undè me iniquè emiſiſti. *Ecce:* Quale iſtud portentum! ſervus ejecit Dominum; filius Patrem; creatura Creatorem; homo Deum; Chriſtianus Chriſtum; Epiſcopus Pontificem, à quo Sacerdotium habet! At patrato ſcelere tàm immani, quid te oportuit facere?
Nonne

Nonne debuiſti dolere tantum facinus? Convenire me compunɖo corde? Pedibus meis provolvi animo humiliato? Supplexque exorare clementiam meam? & enixis precibus tuis reducere me in domum tuam, undè me excluſiſti? Verùm ego te *miſerum* benignitate meâ prævenio; & quamvìs ſis *pauper*, egenique ſtent ad januam divitum, beneficium aliquod emendicantes; ipſe tamen, qui *dives* ſum *in miſericordiâ*, *ſto ad oſtium* cordis tui; & rogo, ut mihi apetias, gratiam meam, ſummè tibi neceſſariam, & honorificam accepturus. *Nimia, quâ te diligo, charitas* me movet, ut tàm clementer erga te agam: nimiùm verò eris ingratus, ſi me aſperneris. Omnipotens quidem ſum; mihique ſubes: non tamen januam tuam infringo; ſed ad illam moderatè *pulſo*. Excito voluntatem tuam; & conſenſum tuum ſuaviter peto. Sicuti te *diligo ſpontanèe*: ita velim, ut me redames ſpontè. ad Eph. 2. v. 4. Oſee 14. v. 5.

Scis me, dùm hortarer diſcipulos ad orationem, ac quod poſtularent, promitterem, dixiſſe, *petite, & dabitur vobis*; *quærite, & invenietis*; *pulſate, & aperietur vobis*. An autem petenti tibi dabo; & mihi poſtulanti non erogabis? Numquid *invenies gratiam* apud me, cùm illam quæſieris; & ego, quod juſtum eſt, apud te inquirens, non reperiam? Pulſabis demùm ad januam divinæ miſericordiæ, & tibi pandetur; mihi verò pulſanti ad oſtium cordis tui non aperies? Ego certè tui non egeo: ſed tu me indiges; & vide, quàm tibi profuerit, ſi mihi aperueris. Matth. 7. v. 7.

Ex ℣. 20. *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.*

Pauperes, qui trepidè pulſant ad jannas divitum, quia ſciunt ſuam ab illis deſpici paupertatem, non audent ſe in domos illorum immittere, ut panem accipiant: verùm quiſquis mihi ad cor ipſius pulſanti aperuerit, quantumvìs ſit pauper, & miſer; ego, qui Dominus ſum, & dives in miſericordiâ, penetrabo omnes animæ illius facultates; eumque ſummo honore afficiam; & jucundè reficiam abundantiâ gratiæ meæ in ipſum infusâ: *ſplendidum* enim *cor, & bonum in epulis eſt*; *& ſecura mens quaſi juge convivium*, inquit Sapiens. Ecclic. 30. v. 27. Prov. 15. v. 15.

Cæterùm illa voluptas animi potiſſimùm percipietur ſub exitum vitæ temporalis, quia tunc magna erit coram Deo ſecuritas, & fiducia ſanɖæ animæ, ejuſque mira ſpes proximæ, ac æternæ felicitatis: Quare hilaritatem illam, ſplendidis epulis comparatam, Dominus appellavit cœnam, quæ ſub terminum diei ſumitur.

Sed & ſi Laodicenus Epiſcopus, ſenio etiam propemodùm confeɖus, vereatur pœnitentiam agere, propterea quòd debeat *cibare ſe pane lacrymarum, & potum* ſibi *dare in menſurâ*; Non dubitet ſe experturum bonitate Salvatoris quòd *omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.* Quale gaudium deliciis perfrui cœleſtibus, & immensâ gloriâ, quemadmodùm promiſit Chriſtus diſcipulis, cùm dixit, *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo; & ſedeatis ſuper thronos judicantes tribus Iſraël!* Pſ. 79. v. 6. ad Hebr. 12. v. 11. Luc. 22. v. 29. 30.

Hervéus in Apocalypſim. O Patem

Patem felicitatem Dominus Laodicenſium Præſuli, ſi pœnitentiam egerit, & pro eo occubuerit, pollicetur verbis, quæ ſequuntur.

℣.21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus.*

Aiebat Chriſtus Diſcipulis, *in mundo preſſuram habebitis: Sed confidi-*
Joan.16. v.33. *te, ego vici mundum.* Qui igitur ſe ipſum, & mundi cupiditates divinâ charitate ſuperaverit; qui labores pœnitentiæ pertulerit corde contrito; vimque perſecutorum invictâ patientiâ propter Chriſtum toleraverit, etiamſi è ſolio, cui inſidebat, dejiciatur; & è ſublimiori dignitatum, quas obtinebat, faſtigio in infimum locum protrudatur; quamvis cilicio, & cineri cubet; jaceatque in ſqualore carceris; ac in ſellâ tanquam reus ſedens, quibuſlibet tormentorum generibus Chriſtianæ Religionis causâ
Apoc.14. v.13. condemnetur; aſſidebit in cœlo Salvatori *requieſcens à laboribus ſuis*; ac gloriæ illius, cui anteà paſſionis, ſocius, mundum iniquum judicabit.

℣.22. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Eccleſiis.*

Rom.10. v.17. *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti.* Quapropter qui fidem, ut par eſt, Chriſto adhibet, attentis auribus excipiat, & divinâ luce perfuſus mente percipiat, atque operibus ſanctis obſervet quod Spiritus Chriſti, miniſterio ſancti Angeli, hactenùs dixit Laodiceno Epiſcopo, aliiſque Aſiæ Præſulibus, tùm ad illorum, tùm ad omnium fidelium utilitatem, ſanctificationem, perfectionem, ac felicitatem.

EXPLANATIO XIV.

Quinque primorum verſuum Capitis quarti Apocalypſis, de Chriſto viſo, tanquam ſummo Pontifice, Rege, Iudice, & Deo, quem Sancti ſub formâ viginti quatuor Seniorum, veluti Sacerdotum, circumambiebant; cuique aſtabant Angeli ſeptem lampadibus ardentibus deſignati.

Vers.1. Poſt hæc vidi: & ecce oſtium apertum in cœlo; & vox prima, quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc.

℣.2.

℣. 2. Et ſtatim fui in Spiritu ; & ecce ſedes poſita erat in cœlo, & ſuprà ſedem ſedens.

℣. 3. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis Iaſpidis, & Sardinis ; & Iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni Smaragdinæ.

℣. 4. Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor ; & ſuper thronos viginti quatuor Seniores ſedentes, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.

℣. 5. Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua ; & ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei.

Verſ. 1. *Poſt hæc vidi :*

POSTQUÀM Chriſtus, ut ſummus Pontifex, mandavit Dilecto Diſcipulo quæ ſcriberet Epiſcopis ſeptem Eccleſiarum Aſiæ, ut officio ſuo ſanctè fungerentur, & in virtute proficerent, oſtendit illi miris, ac divinis modis quid facturus ſit, ut impietatem Ethnicam evertat ; & Chriſtianam Religionem magis, ac magis amplificet.

Ex ℣. 1. *Et ecce oſtium apertum in cœlo.*

Cùm homo terrenus non niſi terrena ſibi obvia percipiat : Cœleſtia verò, ab ipſo remotiſſima, ſint illi ignota, non ſecùs ac ea, quæ occluſa ſunt ; amantiſſimus Magiſter viſus eſt *aperire oſtium in Cœlo*, ut indicaret ſe velle Joanni arcana Cœleſtia pandere.

Ex ℣. 1. *Et vox prima, quam audivi, tanquàm tuba loquentis mecum.*

Allocutus eſt illum eodem vocis tono, quo ei primùm fuerat locutus, dùm juſſerat, ut *quod viſurus eſſet, ſcriberet ſeptem Eccleſiis Aſiæ* ; quippe ad earumdem Eccleſiarum utilitatem referebat Dominus, quæ oſtenſurus erat, & declaraturus. Apoc. 1. v. 10. 11.

Ex ℣. 1. *Dicens : Aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc.*

Mente, & cogitatione in Cœlum evehere ; & oſtendam tibi quid acturi ſint Infideles adversùs Eccleſiam meam ; quid ego peracturus ſim contra illorum impietatem ; & quid perficiam, ut ſanctum habeatur nomen meum in toto orbe.

℣. 2. *Et ſtatim fui in Spiritu.*

Protinùs ut Dominus animum Diſcipuli evocavit ad ſe in Cœlum, mens illius ſejuncta eſt à terrenis omnibus ; & Cœleſtium rerum, quæ ei demonſtrandæ erant, contemplationi idonea effecta eſt : Verbum enim Dei efficax eſt ; & ſicuti ſummâ ſuâ authoritate jubet quod vult ; ſic immenſâ ſuâ bonitate præſtat quod jubet.

O 2 Ex

Digitized by Google

Ex ℣. 2. *Et ecce ſedes poſita erat in Cœlo, & ſupra ſedem ſedens.*

Dominus Deus, Pater æternus, qui juxta teſtimonium Davidis Spiritu
Pſ.109.v.1. divino ad Cœleſtia rapti, *Dixit Domino meo* Jeſu Chriſto filio ſuo, *Sede*
4. *à dextris meis, tu es Sacerdos in æternum*, contulit Joanni pariter rapto, ut
videret *Sedem in cœlo* collocatam, cui ipſemet Dominus Jeſus Chriſtus inſidebat, tanquàm Pontifex, tanquàm Rex, tanquàm Iudex, & tanquàm Deus.

ad Heb.8. Ut Pontifex quidem; ait enim Paulus, *talem habemus Pontificem, qui*
v.1.2. *conſedit in dexterâ ſedis magnitudinis in Cœlis, ſanctorum miniſter, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.*

Throno etiam Cœleſti Chriſtus inſidet ut Rex: namque Pater, qui
Pſ.109. *dixit* illi ut *ſederet à dextris eius*, addidit ut *dominaretur in medio inimicorum*
v.1.2.4. ſuorum; ipſumque appellavit *ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech*:
ad Heb.7. Melchiſedech autem fuit *Sacerdos Dei ſummi*; *& rex Salem*, quæ typus
v.1. erat cœleſtis Ieruſalem.

Sedet quòque Chriſtus eo in throno velut Iudex: Regis enim, & Sacerdotis eſt judicare. Quapropter, poſtquàm Pater æternus eum *ſedere*
Pſ.109.v.6 fecit *à dextris* ſuis, ſubjunxit de illo quòd *Iudicabit in nationibus.*

Denique ſedes illa Cœleſtis eſt thronus Divinæ Majeſtatis Chriſti: ait
Iſai.66. enim ipſe tanquàm Deus per Iſaiam, *Cœlum ſedes mea.* Pſaltes etiam illum,
v.1. non ſecùs ac Patrem illius, vocat proprio nomine Dominum, ſeu Deum,
Pſ.109.v.1. dicens, *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis.* Et alio in Pſalmo
Pſ.44.v.7. ipſummet Chriſtum alloquens, inquit: *Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi.*

Nonne & hocce capite Apocalypſis audiemus quatuor animalia myſtica
Apoc.4. *dicentia ſedenti ſuper thronum, viventi in ſæcula ſæculorum, Sanctus Domi-*
v.8.9. *nus Deus omnipotens?* En ut Deus ſedet ſuper thronum: additur, *Qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*, nempe ut Judex. Eſt autem ex Apoſtolo,
ad Heb.7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis, ut Pontifex*; & cùm Apocalypſis
v.25. capite quinto, *quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores* eidem Chriſto,
Apoc.5. *qui occiſus eſt, fuit*que *mortuus, & eſt vivens in ſæcula ſæculorum*, dicant,
v.8.9.10. *feciſti nos Deo noſtro regnum*, ſeu reges, Βασιλεῖς, *& regnabimus*; quantò
Apoc.1. magis ipſemet Chriſtus rex eſt; & uti talis inſidet throno cœleſti?
v.18.

Verſ. 3. *Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis Iaſpidis, & Sardinis; & Iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſiom Smaragdinæ.*

Porrò Chriſtus Cœleſti illi throno inſidens, primùm ut Pontifex, viſus eſt Joanni fulgere quaſi lapis pretioſus *Iaſpis, & Sardius*; necnon ambiri *Iride*, in quâ color *Smaragdinus*, ſeu viridis, potiſſimùm elucebat.

Etenim Pontifex Moſaicus in ſanctuario *ſuper pectus ſuum* geſtabat ami-
Exod.28. ctum, *quadratum unius palmi, opere polymito factum*, dictumque *Rationa-*
v.15.16. *le judicii, in quo erant quatuor ordines lapidum. In primo erant lapis Sardius,*
17.18.19. *& Topazius, & Smaragdus. In ſecundo Carbunculus, Sapphyrus, & Iaſpis.*
20.21.29. *In tertio Ligurius, Achates, & Amethyſtus. In quarto Chryſolitus, Onychinus, & Beryllus. Incluſi* autem *erant auro per ordines ſuos.*

Quapro

Quapropter ab authore ſacro libri Eccleſiaſtici, *Simon, Oniæ filius, Sacerdos magnus*, dicitur *quaſi arcus refulgens*, ſcilicet ob varios colores gemmarum, quibus nitebat; & *quaſi vas auri ſolidum, ornatum omni lapide pretioſo, in accipiendo ſtolam gloriæ*, hoc eſt, amictum illuſtrem ſibi ut Pontifici convenientem.

Ecclic. 50. v. 1. 8. 10. 11.

At ornatus ille antiqui Pontificis deſignabat cœleſtes dotes Chriſti Summi Sacerdotis, quemadmodùm colligere eſt ex Apoſtolo. Quocirca Chriſtus, ut Pontifex, apparuit in Cœlo cum ſimili ornatu lapidum pretioſorum, quibus Moſaicus Pontifex refulgebat.

ad Heb. 8. v. 5.

Verùm Sanctus Joannes refert dumtaxat *Iaſpidem, & Sardium*, tùm ut ex parte totum intelligamus; tùm quia illi duo lapides viſi ſunt inſigniores, ac magis congruere dignitati, & officio Sacerdotali Chriſti. *Iaſpis* enim alius eſt ſubviridis; ideoque ſpei ſymbolum; alius aërii, ſeu cœleſtis coloris: Sardius verò aut rubei, & ſanguinei; aut ardentis, & ignei coloris eſt. *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex* in Cœlo *apparet vultui Dei pro nobis* cum ſignis vulnerum cruentorum, & *per proprium ſanguinem*, quem ardenti charitate effudit, & reſumpſit. *Factus* etiam *omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*, ſpem nobis ingerit fore, ut aliquando *rapiamur obviam illi in aëra*; & cum ipſo in cœlum evehamur.

ad Heb 9. v. 11. 12. 24. Ioan. 20. v. 17. ad Heb. 5. v. 9. 1. ad Theſ. 4. v. 17.

Quod ſpectat ad *iridem, quæ erat in circuitu ſedis* Chriſti; ſicuti Deus, placatus holocauſtis ſibi à Noë poſt diluvium oblatis, arcum cœleſtem, cujus curvatura è Cœlo in terram demittitur, dedit in ſignum fœderis, ac pacis inter ſe exiſtentem præcipuè in Cœlo, & inter homines terram incolentes: ita Chriſtus tanquàm Pontifex oſtenſus eſt circundatus iride, quòd ſacrificio corporis ſui placaverit Patrem cœleſtem hominibus iratum, pacemque inter illum, & ipſos inierit; ſeu, ut loquitur Paulus, *pacificaverit per ſanguinem crucis ejus ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis ſunt.* Itaque Jaſpis, Sardius, & Iris decent Chriſtum, tanquam Pontificem; conveniunt etiam ei ut Regi.

Gen. 8. v. 20. 21. C. 9. v. 12. 13. 14. 15. ad Col. 1. v. 20.

Jaſpidis enim viror, qui ſpei ſignum eſt, indicat Chriſtum Regem fuiſſe multis ſæculis expectatum à Judæis; &, poſtquàm ab illis rejectus eſt, *in ipſum gentes ſperaſſe.* Alterius quòque ſpeciei Jaſpidis color aërius, ſive cœleſtis, deſignat *regnum* Chriſti *non eſſe de hoc mundo*, ſeu terrenum, ſed cœleſte; ipſumque Summum Regem tantæ eſſe benignitatis erga fideles ſibi ſubditos, ut eis promittat, & conferat regnum Cœlorum.

Gen. 49. v. 10. Iſai. 42. v. 4. Joan. 18. v. 36. Matth. 5. v. 3.

Ut verò illud aſſequantur, ipſos inflammat ardore charitatis ſuæ, movetque ut ſanguinem illius cauſâ profundant, ſicut & ille pro ipſis ſanguinem fudit: Idque ſignificatum voluit lapidis *Sardii*, quem præ ſe ferebat, colore, tùm ardenti, & igneo, tùm rubeo, ac ſanguineo.

C. 25. v. 34. Iſai. 9. v. 6. Luc. 2. v. 14.

Quis autem in dubium revocaverit iridem, quæ Chriſtum ut regem ambibat, figuram fuiſſe ſpecioſam, quòd ipſe ſit ſecundùm ſcripturas *princeps pacis*; quippe qui naſcens, vivens, moriturus, & à morte revocatus, pacem quàm maximè commendaverit; velitque illam ab iis, qui ipſi ſubſunt, *ſi fieri poteſt, cum omnibus hominibus haberi?*

Matth. 10. v. 12. Ioan. 14. v. 27. C. 20. v. 19. ad Rom. 12. v. 17.

Numquid non iidem lapides pretioſi, & Iris Chriſtum Iudicem
decent?

Pſ.96. Ait de illo Pſalmiſta, *Iuſtitia, & judicium correctio ſedis ejus: Ignis*
v.2 3. *ante ipſum præcedet; & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* En in eo co-
Pſ.109. lor *Sardii* igneus. Alio verò Pſalmo, *Iudicabit in nationibus, implebit rui-*
v.6. *nas; conquaſſabit capita in terrà multorum:* id eſt, multos perimet noxios,
perditorumque hominum ſanguine terram complebit ut Judex. Ita colo-
rem Sardii ſanguineum exhibet.

Pſ.84. Verùm Juſtos glorià cœleſti cumulabit; in eorumque gratiam *Iuſtitia,*
v.11. *& pax ſeſe oſculabuntur*; & in illo effulgebunt; adeò ut, *cùm exarſerit*
Pſ.2.v.13. in malos *ira ejus, beati* futuri ſint qui piè, ac ſanctè viventes *confidant in eo*;
nec niſi in ipſo ſpem ſuam omnem collocant. Undè quis non videat Jaſ-
pidis aërium, & cœleſtem, atque ſubviridem, Iridiſque colores in illo
tanquàm Judice convenienter expreſſos?

Ad Rom. Tandem, cùm *inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpi-*
1.v.20. *ciantur*, Chriſtus, ut Deus, viſui humano congruè ſeſe aptavit, dùm
iiſdem gemmis, & eodem arcu cœleſti refulſit. Etenim Jaſpidis color
cœleſtis movet animum, ut intelligamus Chriſtum tanquàm Deum, etſi
Pſ.8.v.1. *in terrâ mirabilem, magnificentiùs* tamen eſſe *in Cœlo*: viridis autem color
ejuſdem gemmæ mentem excitat ad contemplationem Filii Dei, qui quam-
vis ſit ab æterno, numquam veteraſcit; ſed ſemper habet quodammodò
ſpeciem viridis naſcentis, quandoquidem re ipsâ perpetuò naſcatur à Pa-
tre; primævumque decorem paternæ ſubſtantiæ jugiter in ſeſe manantem
retineat.

Jam verò color Sardii, tùm igneus, tùm ſanguineus, exhibere
etiam mihi videtur Chriſtum Filium Dei, qui cùm ſit ſplendor Patris,
producit ignem Spiritus ſancti; & vita per eſſentiam, omnibus animan-
tibus vitam juxta ſcripturas in ſanguine conſiſtentem confert.

Præclarè etiam Iris ſignificat Filium Dei Incarnatum, Deum, & homi-
nem. Quid enim Iris eſt, niſi nubes rorida, ſole irradiata, arcum va-
riis coloribus diſtinctum, & à Cœlo versùs terram demiſſum, efformans?
Iſai.45. At de Filio Dei carnem humanam ſuſcepturo Iſaias dixit, *Rorate Cæli de-*
v.8. *ſuper; & nubes pluant juſtum*; demiſſuſque eſt è Cœlo in terram, dùm
Homo factus eſt. Virtutibus quòque omnibus mirum in modum fulgenti-
1.ad Cor. bus ornatus eſt à Patre luminum; & Deus manens, Cœlum, & Terram
14.v.33. ambitu ſuo complectitur.

Ad Ep.2. Quòd ſi ſpectemus Iridem, ut ſymbolum pacis, nonne Chriſtus, ut
v.14.16. Deus, eſt *Deus pacis*; *pax noſtra interficiens inimicitias in ſemetipſo*; *&*
2.ad Cor. *Deus erat in illo mundum reconcilians ſibi*; paxque, quam nobis præſtat,
5.v.19. eſt *pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum?* Denique Iris illa mirabilis, quæ
Ad Phi-
lip.4.v.7. Divinæ Majeſtatis Chriſti thronum ambiebat, præ cæteris, quibus ful-
Lam. Jer. gebat, coloribus objiciebat oculis Smaragdinum, cujus virore ſpes ſig-
3. v.25. nificatur, ut indè percipiamus quod dictum eſt per Prophetas, *bonus Do-*
Pſ.72. *minus ſperantibus in eum: mihi adhærere Deo bonum eſt; ponere in Domino*
v.28. *Deo meo ſpem meam.*

Verſ.4.

V erſ. 4. *Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor , & ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes , circumamicti ſtolis albis , & in capitibus eorum corona aurea.*

Dum Pontifex Hebræorum amictus Ephod lapidibus pretioſis reful- Num. 18.
gens aderat in Templo Sacrificium oblaturus , vel primitias ſibi debitas v. 9. 11.
à populo accepturus, aſſiſtebant ei Sacerdotes tanquam comminiſtri , &
ſubminiſtrantes , ſicuti author libri Eccleſiaſtici de Simone Sacerdote ma-
gno teſtatur. *In accipiendo* , inquit , *partes de manu Sacerdotum , & ipſe* Ecclic. 50.
ſtans juxta aram : Circa illum corona fratrum ; & quaſi plantatio Cedri in v. 1. 13. 14.
monte Libano , ſic circa illum ſteterunt quaſi rami palmæ , & omnes filii
Aaron in gloriâ ſuâ , nimirùm habentes *tunicas byſſinas opere textili , &* Exod. 39.
mitras cum coronulis ex byſſo. Diſtincti autem erant à tempore Davidis v. 25.
omnes Sacerdotes in viginti quatuor familias , quæ ſecundùm vices ſuas L. 1. Paral.
alternatim in Templo miniſteria ſua ſub ſummo Pontifice complebant. v. 24.

Eapropter , quando Chriſtus apparuit in Cœlo veluti Pontifex gem-
mis reſplendens , ut ſe ipſum pro nobis offerat hoſtiam viventem , ſan- Ad Heb.
ctam , Deo placentem , & accipiat primitias rerum omnium , quemad- 9. v. 24.
modùm ſub finem hujus capitis patebit, viſi ſunt Sancti ſub ſpecie vigin-
ti quatuor Sacerdotum , qui tanto Pontifici aſtantes , ſe ipſos , & omnia
illi offerrent ; undè dicturi ſunt ei , *feciſti nos Deo noſtro Sacerdotes* ; & Apoc. 5.
procidentes , ac mittentes coronas ſuas ante thronum illius , aſſerent , *dignus* v. 11.
es accipere honorem , quia tu creaſti omnia. Apoc. 4. v. 10. 11.

Interim *ſedent* cum illo , veluti participes ejus poteſtatis.

Senes autem videntur ob prudentiam , quâ præditi fuere , dùm in ter-
ris viverent , & propter Sapientiam Divinam , cujus jam eximiâ partici-
patione venerabiles exiſtunt.

Candor verò veſtimentorum , quibus ſunt amicti , candorem morum,
quo claruerunt inter homines , & lucem gloriæ , quâ fulgent inter Cœli-
tes , demonſtrat.

Poſtremò *corona ex auro* incorruptibili rutilantes , quibus decorantur,
ſignum ſunt ejuſdem gloriæ incorruptibilis , & perpetuæ , quâ eminent.

℣. 5. *Et de throno procedebant fulgura , & voces , & tonitrua.*

Apocalypſis capite octavo dicitur , *facta ſunt tonitrua , & voces, & ful-* Apoc. 8.
gura ; capite autem undecimo , *facta ſunt fulgura , & voces.* Ex quibus v. 5.
locis colligere eſt , per illas *voces* ſignificari tonitruum fragorem. Et ſanè Apoc. 11.
Pſalmiſta unico Pſalmo nuncupat ſepties tonitru vocem Dei. v. 19.

Arbitror verò Chriſtum , throno Cœleſti inſidentem , illis *fulgetris,* Pſ. 28. v. 3.
& tonitruis indicaſſe , ſe eſſe verè Deum fulminantem ; dejecturumque 4. 5. 7. 8. 9.
inanes Deos cum illorum Jove ; omnemque ſuperſtitionem Ethnicam , &
gentes ſibi adverſarias igne ſuæ juſtitiæ conſumpturum ; fideles autem
ſervaturum , quemadmodùm totius Apocalypſis contextu patebit : adeò
ut in hujus ſententiæ , quam diſcutio , explanationem mihi fas ſit attri-
butione quadam transferre hæc verba Prophetæ : *In ſplendore fulgurantis* Habac. 3.
haſtæ tuæ , in fremitu conculcabis terram ; & in furore obſtupefacies gentes : v. 11. 12.
Egreſſus 13.

Digitized by Google

Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo.

Ex verſ.5. *Et ſeptem lampades ardentes ante thronum, qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei.*

Gen.2.v.2. Cùm Deus creaverit mundum ſex diebus, *ſeptimoque* dicatur *requieviſſe ab univerſo opere, quod patrarat*, congruè videntur Angeli ſeptenario numero contineri, quatenùs requiei, & felicitatis Dei ſunt participes.

Apoc.5. v.6. Deinde quia iidem *Septem ſpiritus Dei* poſtmodùm aſſeruntur *miſſi in omnem terram*, conijcio Angelos hoc eodem numero ſeptenario deſignatos, quòd à tribus perſonis divinis in quatuor partes terræ mittantur. Sicut enim Angeli, dùm mittuntur, nomen accipiunt ex iis, quæ peragunt tempore miſſionis ſuæ, ut Raphael ex medelâ, quam Tobiæ largitur; & Gabriel ex fortitudine Dei, cujus Incarnationem annuntiat; ita conſentaneum eſt ut Angelorum mittendorum numerus referatur ad ſeptenarium, tanquàm ad terminum, à quo proficiſcitur, qui quidem trinus eſt in perſonis divinis; & tanquàm ad terminum, ad quem tendit, qui in quatuor oras terræ dividitur. Sic illo ſeptenario numero ſtatim intelliguntur tres perſonæ divinæ, quæ mittunt Angelos, & quatuor loca, quò illi mittuntur.

Iſai.11. v.1.2. ad Heb. 1.v.14. Præthereà, non ſecùs ac Chriſtus, Miſſus à Patre in mundum, habuit in ſeipſo plenariè ſeptem dona Spiritus Sancti, ut miſſione ſuâ perfectiſſimè defungeretur; Angeli *in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem capient ſalutis*, dicuntur ſeptem Spiritus Dei ob eadem dona Spiritus Sancti, quæ mirum in modum acceperunt, ut munia ſibi impoſita, cùm mittuntur, ſanctiſſimè obeant.

Habent *Spiritum ſapientiæ*, ut omnia percipiant, & peragant ſecundùm rationes divinas: *Spiritum intellectus*, quo intelligant clarè quæ ſibi mandantur, eaque ſemper attendant; nec umquam illorum mens ab iis aliò diſtrahatur: *Spiritum conſilii*, ut illis, ad quos mittuntur, ſalutifera dent conſilia: *Spiritum fortitudinis*, quo quævis adverſantia ſuperent: *Spiritum ſcientiæ*, ut doceant quemque pro illius captu, & modulo: *Spiritum pietatis*, ut compatiantur infirmitati hominum, iiſque ſubveniant: denique *Spiritum timoris Domini*, ſeu venerationis erga Deum, cujus authoritate permoti, Majeſtatemque divinam profundè adorantes, ad viliſſima quæque propter homines, more timidorum, abjectiſſimorumque ſervorum, ſeſe demittunt.

Igitur *Angeli, in omnem terram miſſi, numero ſeptenario* comprehenduntur, quia in illis eminent ſeptem dona Spiritus Sancti; quia à tribus perſonis divinis in quatuor partes terræ mittuntur; & quia perpetuâ in Deo fruuntur quiete.

Comparantur autem *Septem lampadibus ardentibus*, quòd divinâ luce perfuſi, illuceſcant; ardeantque amore divino ſuccenſi. Lampades illæ

1.Ioan.1. v.5. Luc.11. v.36. cœleſtes prorsùs inextinguibiles ſunt, ac perennes ante thronum Dei: quia ſicut *Deus lux eſt, in quo tenebræ non ſunt ullæ*; ita cœleſtes illi Spiritus *toti lucidi ſunt, non habentes partem aliquam tenebrarum*; ac quemadmodùm

Digitized by Google

dùm *Deus Charitas eſt* indeficiens, ſic illi in ejus charitate perpetuò manent. 1. Ioan.4. v.16.

An non lampades erant, quæ tenebras noctis fugarent, Angeli illi omnes, qui nuntiantes nativitatem Chriſti, *claritatem Dei circùm paſtores, cuſtodientes vigilias noctis*, ſparſerunt? Quàm verò ardens lampas erat Cœleſtis ille Spiritus, Reſurrectionis Dominicæ nuntius, cujus *aſpectus erat ſicut fulgur!* Quo autem ardore charitatis erga Chriſtum non flagrabat Angelus is qui noctu *aperiens januas carceris*, in quo detinebantur Apoſtoli, *eduxit eos, & dixit: Ite, & ſtantes loquimini in templo plebi verba vitæ hujus?* Numquid non etiam lucebat, ardebatque ut lampas Angelus ille, qui *in ipsâ nocte Petro dormienti inter duos milites, vinctо catenis duabus, aſtitit, & refulſit in habitaculo*; excitatumque Petrum perduxit feliciter extra carcerem, ac Civitatem?

Luc.2.v.9.10.11.13. Matth.28. v.3. Act.5. v.19.20. Act.12. v.6.7.10.11.

Lucent igitur, & ardent quàm maximè Cœleſtes Spiritus ſcientiâ, & Charitate Chriſti.

Sunt autem *ante thronum* illius, ſanctitatem tanti Pontificis ſtupentes; Majeſtatem Regis Regum mirantes; Judicis Summi æquitatem venerantes; eumque hominem Deum adorantes. Paratos verò ſeſe oſtendunt, ut mittantur ab illo in terram, nuntiaturi decreta Pontificis, edicta Regis, ſententias Judicis, & hominis Dei mandata; eaque etiam adversùs impios libenter exequentur, ſicuti manifeſtum fiet plurimis capitibus Apocalypſis.

Secùs ex throno Chriſti, cui aſtant cœleſtes Spiritus, ad fideles perferent gratias tanto Pontifici convenientes; dona cœleſti Rege digna; protectionem Judicis æquitate, & poteſtate ſummâ pollentis; denique ſalutem Filii Dei, qui cùm eſſet Deus, ſalvandorum hominum causâ factus eſt homo.

EXPLANATIO XV.

Exponens ſub ſpecie maris vitrei, & cryſtallini munditiem, quam Chriſtus veluti Pontifex miniſtris ſuis præbet; ac virtutes Sanctorum miniſtrantium in Cœlis illi; & hymnum, quem ejus ſanctitati decantant ſub figurâ quatuor animalium, quibus officia Levitarum quondam tabernaculo, & templo deſervientium

exhibentur, à ſexto verſu ad octavum Capitis quarti Apocalypſis.

VERS. 6. Et in conſpectu ſedis mare vitreum ſimile cryſtallo: & in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis antè, & retrò.

℣. 7. Et animal primum ſimile leoni, & ſecundùm animal ſimile vitulo, & tertium animal habens faciem quaſi hominis, & quartum animal ſimile aquilæ volanti.

℣. 8. Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas, & in circuitu, & intùs plena ſunt oculis, & requiem non habent die, ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.

Verſ. 6. *Et in conſpectu ſedis mare.*

VT explanetur illud *mare* cœlitùs oſtenſum Joanni, operæ pretium eſt adnotare vas magnum, ex ære fabrefactum, continens aquas nitidiſſimas, ex quibus Sacerdotes, officio ſuo perfuncturi, pedes, & manus lavarent, collocatum fuiſſe in tabernaculo, & in templo juxta aram holocauſtorum, propè quam Pontifex Sacerdotibus vallatus perſæpe aderat, & Rex Salomon non longè habuit thronum.

Exod. 30. v. 17. 18. 19. 20. Quippe ſic locutus eſt Dominus ad Moyſem, *facies & labrum æneum cum baſi ſuâ ad lavandum, poneſque illud inter tabernaculum teſtimonii, & altare; & miſſâ aquâ lavabunt Aaron, & filii ejus manus ſuas, ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonii, & quando acceſſuri ad altare ut offerant in eo thymiama Domino, nè fortè moriantur.*

Porrò æs, ex quo factum eſt vas illud in Tabernaculo, lavandis Sacerdotibus deſtinatum, ita politum erat, ac pellucidum, ut anteà mulie-

Exod. 38. v. 8. Philo l. 3. de vitâ Moyſis. ribus eſſet vice ſpeculi: ait enim Scriptura, *Fecit & labrum æneum de ſpeculis mulierum:* quod interpretans Philo inquit, *labrum æneum erat, non ex rudi materiâ, ut ferè fit, fabrefactum ab opifice, ſed ex vaſis antè expolitis: ſpecula enim, ad quæ formam curare ſolitæ fuerant mulieres, ſpontè Deo dicaverant; eaque ad ſe delata opifex in unam maſſam confudit.*

Hæc de labro Tabernaculi Moſaici æneo annotata ſint.

L. 2. Paral. 4. v. 12. 16. 3. Reg. 7. v. 44. 45. Æs verò, ex quo ſimile vas, in Salomonis templo appellatum mare, fuſum eſt, dicitur variis Scripturæ locis *mundiſſimum, & aurichalcum*, ita ut fuerit *æris fulgentis optimi, pulchrum ut aurum. Poſitum* autem erat *ad dexteram*

dexteram partem templi contra orientem ad meridiem , & in eo Sacerdotes la- 1.Eſdræ 8.
vabantur. v.25.27.

Quæ cùm ita in tabernaculo , & in templo fuerint ; conſterque etiam 3. Reg.7. v.39.
ex Scripturâ, exemplaria illorum vaſorum Moyſi, ac Davidi cœlitùs fuiſſe 2. Paral.4.
tradita ; poſtquàm Chriſtus , *finis legis* , legaliumque figurarum veritas, v.6.
apparuit throno Cœleſti inſidens tanquàm Pontifex , ſanctis ſub formâ Exod.25.
viginti quatuor familiarum Sacerdotalium circumdatus , oſtendit *in con-* v.40. 1. Paral.
ſpectu ſedis ſuæ ſpeciem vaſis , quod nuncupatur *mare* , tùm quia videba- 28.v.19.
tur continere aquas : Deus enim initio creationis *congregationes aquarum* ad Rom.
appellavit maria ; tùm quia non abſimile erat vaſi illi æneo , quod voca- 10. v.4.
batur etiam mare , ſive in Tabernaculo Moſaico , ſive in Salomonis Ioan.1. v.17.
Templo. Gen.1.

Ex ✝.6. *Vitreum , ſimile cryſtallo.* v.10.

Vas autem illud in Cœlo monſtratum dicitur *Mare vitreum ſimile cry-ſtallo* , propter pelluciditatem ejus , & ob nitorem aquarum , quas continebat. Simili nomine appellari poterat tabernaculi labrum æneum , cùm æs , ex quo fabrefactum erat, ita pelluceret , ut anteà mulieres in eo , non ſecùs ac in ſpeculo vitreo , ac cryſtallino , vultus ſuos contemplarentur. *Mare* quòque templi confectum ex ære *optimo , mundiſſimo , ac fulgenti ut aurum* , fas erat dicere vitreum , & cryſtallinum ob illius nitorem , ac fulgorem ; & quòd ejus aquæ , ſicuti domum Dei decebat , eſſent clariſ-
ſimæ. Certè ipſe Joannes ſub finem Apocalypſis dicturus eſt , quòd *platea* Apoc.21. v.21.
Civitatis Cœleſtis ſit *aurum mundum , tanquam vitrum perlucidum* ; & quòd Apoc.22.
Dominus *oſtendit* ei *fluvium aquæ vivæ ſplendidum tanquam cryſtallum.* v.1.

Ex ✝.6. *In conſpectu ſedis.*

Propterea verò vas illud fulgidum , & aquas nitidiſſimas continens, appellatum mare , exhibitum fuit ante thronum cœleſtem Chriſti Pontificis , ac Dei , Sanctis veluti Sacerdotibus vallari , ut indè intelligeremus Chriſtum contuliſſe Sanctis ſuis illam animi, ac corporis puritatem , quâ digni fuerunt recipi in templum gloriæ illius; eique *orationes* fidelium tan-
quàm *odoramenta* charitatis igne incenſa offerre ; aliaque cœleſtis ſui Sa- Apoc.5. v.8.
cerdotii munia obire, ſicuti pluribus Apocalypſis locis manifeſtum fiet.

Ex ✝.6. *Et in medio ſedis , & in circuitu ſedis quatuor animalia.*

Statim atque Chriſtus viſus eſt tanquàm Pontifex vallatus Sanctis veluti Sacerdotibus viginti quatuor familiarum Sacerdotalium veteris Teſtamenti , oſtendit ſe circumdatum aliis Beatis ei in Cœlo miniſtrantibus, qui antiquos Levitas aptiſſimè, licet ænigmaticè pro ſtatu præſentis vitæ,
in quâ res cœleſtes *per ſpeculum , & in ænigmate* duntaxat *videmus*, ſignifi- 1 ad Cor.
cant. Etenim ſicut Levitæ ordinis erant inferioris quàm Sacerdotes ; ita 13.v 12. Num.c.18.
Sancti , & Beati , alii aliis ſanctiores ſunt , ac beatiores ; & quamvìs omnes Chriſti Pontificis , ac Dei ſint miniſtri , alii tamen aliis perfectius miniſterium exhibent ipſi Chriſto ; quemadmodùm Angeli , licet ex Paulo
ſint *omnes ſpiritus adminiſtratorii* , nihilominùs alii alios ſuperant miniſterii ad Heb.1. v.14.
ſui dignitate , ac ſanctitate.

Verùm faceſſet alicui difficultatem quod aſſero quatuor Animalibus
myſticis cœlitùs deſignatos fuiſſe Levitas, cùm ipſamet illa quatuor ani-
malia, ſicut & viginti quatuor Seniores dicant ipſimet Chriſto Apo-
Apoc. 5. calypſis quinto capite, *feciſti nos Deo noſtro Sacerdotes.* Sed vox Græca
v. 8. 10. *ἱερεῖς* latiùs intelligenda eſt, ut ſit ſenſus, feciſti nos Dei noſtri ſacros
Miniſtros. Quod quidem Sacerdotibus, & Levitis conveniebat, quamvìs
diverſimodè; eaque diverſitas refertur eodem Apocalypſis loco, cùm
Apoc. 5. dicantur *quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores habere citharas, &*
v. 8. *phialas aureas plenas odoramentorum, & cantare* Domino: Nam ſolis Le-
1. Par. 23. vitis, ideòque quatuor illis animalibus competebat citharis pſallere, &
v. 5. & 30. voce humanâ canere Domino: Solis etiam Sacerdotibus, ac conſequen-
c. 25. v. 1. 6. ter viginti quatuor Senioribus congruebat odoramenta, ſive thymia-
c. 23. v. 13. mata phialis aureis aſſervata ſuper altare aureum offerre; & ſi aliquando
Exod. 30. canebant, nonniſi tubis canebant. Etenim à dedicatione Templi Salomo-
v. 7. 10. nis *Levitæ cantores* ſolebant laudes Domini cantare *cymbalis, pſalteriis, &*
2. Par. 4. *citharis, ſtantes ad Orientalem plagam altaris*, videlicet holocauſtorum;
v. 12. *& cum eis Sacerdotes canebant tubis.* In illâ autem Orientali parte Tem-
2. Par. 5. plo *ad meridiem* erat *mare æneum* prope idem altare.
v. 12.
2. Par. 4.
v. 10.

Quapropter cùm *in conſpectu ſedis* Chriſti, cœlitùs apparentis ut Pontifi-cis, fuerit quòque exhibitum *mare vitreum cryſtallo ſimile*, quo repræſentabatur mare æneum Templi Salomonis, ſequitur ut illa quatuor animalia, quæ poſt Sacerdotes vallantes thronum Chriſti, monſtrata ſunt *in medio, & in circuitu* ejuſdem *ſedis*, deſignaverint antiquos Levitas cantantes laudes Dei in conſpectu tanti Pontificis: & ſanè mox audiemus quatuor illa animalia Myſtica hymnum Divinæ Sanctitati perpetuum decantantia.

Ex ℣. 6. *Plena oculis antè, & retrò.*

Quippe antiqui Levitæ Pſalmis, quos cantabant, oculos mentis obvertebant in beneficia, quæ Patres eorum præteritis ſæculis à Deo acceperant; in bona, quæ ipſimet illius liberalitate fuerant adepti; & in ea, quæ ejus gratiâ ſe conſecuturos ſperabant. Quapropter dici poterant oculati *antè, & retrò*, quatenùs præterita, quæ *retrò* acta fuerant; nec non præſentia, & futura, quæ *ante* illos erant, vel ut exiſtentia, vel tanquam eventura, reſpiciebant.

Sic Sancti, quatuor animalibus myſticis ſignificati, & antiquorum Levitarum Cantorum Officium miro modo implentes, oſtenſi ſunt *pleni oculis antè, & retrò*, quòd, ut Chriſtum perfectè laudent, attendant gratias ſibi, cùm in terris degerent, ab illo collatas; gloriam, quam in cœlo poſſident; quâve in æternum ſunt perfruituri. Contemplantur etiam qualis fuerit Chriſtus in terris; qualis ſit in Cœlis; & qualis futurus ſit ſecundo ſuo adventu: undè laudantes illum dicunt, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui erat, qui eſt, & qui venturus eſt.*

Erant etiam olim Levitæ quodam modo *pleni oculis antè & retrò*, quatenùs excubabant antè & retrò tabernaculum, dùm fixum erat; ac rurſus, dùm Tabernaculum ſex plauſtris boum per deſertum ita vehebant, ut

alij

alii antè, alii retrò illa plauſtra eſſent, quò illa tutiùs ducerent. Erant quòque *oculati antè, & retrò*, dùm candelabrum aureum, menſam propoſitionis, & altare thymiamatis, propriis humeris ſuper vectes portabant; adeò ut unus portitor eſſet antè, alter retrò illa vaſa ſacra, quæ geſtabant; ſicuti hæc variis Scripturæ locis conſtant; & ſequenti quatuor animalium myſticorum explanatione clariùs innoteſcent.

Verſ.7. *Et animal primum ſimile leoni.*

Nam nem arbitror difficilè crediturum, quòd Levitæ Divinæ Majeſtatis miniſtri comparentur Leoni, cùm ipſemet Deus per Prophetas locutus ſit de ſe ipſo ſub eâdem comparatione. *Ego*, inquit, *quaſi leana Ephraim*; Oſee 5. v.14.
& quaſi catulus leonis domui Iuda. Ego capiam, & vadam; tollam, & non eſt qui eruat. Ac iterum, *Ego ero eis quaſi leana; occurram eis quaſi urſa raptis catulis; & dirumpam interiora jecoris eorum; & conſumam eos quaſi leo.* Oſee 13. v.7.8.

Nonnè verò *Leoninam* illam ferocitatem, ad Deum etiam iratum, & ultorem tranſlatam, habuerunt Levitæ, dùm incitati verbis Moyſis pro Deo irati, ſævierunt in Idololatras ex populo Iſraël; & currentes per media caſtra, quoſvis obvios hujuſmodi impios interfecerunt? *Si quis eſt Domini*, ait Moyſes, *jungatur mihi. Congregatique ſunt ad eum omnes filii Levi, quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, ponat vir gladium ſuper femur ſuum. Ite, & redite de portâ uſque ad portam per medium caſtrorum; & occidat unuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum: Feceruntque filii Levi juxta ſermonem Moyſi; cecideruntque in die illâ quaſi tria millia hominum. Et ait Moyſes, conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, unuſquiſque in filio, & fratre ſuo, ut detur vobis benedictio.* Hic primus fuit Levitarum actus piè ſæviens, ac ferox, propter quem meruerunt præ cæteris Iſraëlitis miniſterio ſacro Divinæ Majeſtatis addici. Exod.32. à v.26. ad 30.
Quocirca etiam primùm aſſimilantur Leoni. Sic poſteà *Iudas Machabæus ſimilis factus eſt Leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis rugiens in venatione; & perſecutus eſt iniquos, & perdidit impios.* 1.Machab. 3. v.4.5.8.

Leoninam adhuc, & piam ſævitiem præſeferebant Levitæ, dùm circa Tabernaculum excubantes parati erant juſſu Domini ad occidendum quemvis externum, qui propiùs, quàm oporteret, ad illud acceſſiſſet. *Cùm caſtrametandum fuerit*, ait Moyſes præcipiente Domino, *Levitæ erigent tabernaculum: quiſquis externorum acceſſerit, occidetur. Porrò Levitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, nè fiat indignatio ſuper multitudinem filiorum Iſraël; & excubabunt in cuſtodiis tabernaculi teſtimonii.* Parem fermè ob rationem prædicens Jacob dixerat, *Catulus leonis Iuda: requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leana. Quis ſuſcitabit eum?* Nimirùm, quis ad leonem, etiam accubantem, & ita ad Levitam circa Tabernaculum excubantem, auderet propiùs, quàm oportebat, accedere? Num.1. v.51.53. Gen.49. v.9.

Leoni iterùm comparantur Levitæ conſiderati tanquàm Cantores in Templo Domini. *Leo rugiet; quis non timebit?* inquit Amos; & Oſee, *Quaſi leo rugiet Dominus, & formidabunt.* At, cùm *Sanctum* ſit, *& terribi-* Amos 3. v.8. Oſee 11. v.10. Pſ.110. v.10.

le nomen Domini, ejuſque *timor ſit initium ſapientiæ*, hoc in primis Levitæ, Pſalmorum cantu ſibi proponebant, ut Divinæ Majeſtatis ſanctum, ac ſalutarem timorem populo Iſraël incuterent. Eò certè tendit maxima pars Pſalmorum; ac propterea etiam Levitæ utebantur organis, ac voces edebant, quæ aliquoties rugitum leonis imitarentur; & aures, ac cor, animumque, & corpus audientium ſacro tremore Majeſtatis Divinæ concuterent. Ad quod videtur alluſiſſe Joël dicens, *Dominus de Sion rugiet; & de Hieruſalem dabit vocem ſuam; & movebuntur Cœli, & terra.* Nonne & David pœnitens aſſeruit, *afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei*, nempe peccatorum meorum horrore; & furoris Domini, quem in me ipſum concitaveram, perculſus tremore.

Joel. 3. v. 16. Pſ. 37. v. 9.

Ex verſ. 7. *Et ſecundum animal ſimile vitulo.*

Levitæ autem dicuntur ſimiles vitulo, ſeu bovi, quòd animalia, quæ offerebantur in Sacrificium, erant in vicem ipſorum hominum, qui propter ſua peccata mortifera debuiſſent ipſimet mactari: undè manus imponebantur ſuper caput animalis ſacrificandi; eoque ritu ſignificabatur ipſum animal in locum offerentis ſubſtitui. At *Levitæ*, ut conſecrarentur in miniſterium Domini, *ponebant manus ſuas ſuper capita boum, è quibus* Pontifex *unum faciebat*, hoc eſt, ſacrificabat, *pro peccato, & alterum in holocauſtum.* Quamobrem Levitæ *bobus* comparantur; tanquam ſacrificio boum deſignati, oblati, initiati, & conſecrati Domino.

Num. 8. v. 12.

Præterea ſub figurâ *bovis* indicantur Levitæ, quòd Gerſonitæ, & Meraritæ præcipiebantur vehere *tabernaculum ſex plauſtris cum duodecim bobus.*

Num. 4. à v. 24. c. 7. v. 3. 7. 8.

Ab eo verò tempore, quo Levitæ ſelecti ſunt potiſſimùm ad pſallendum Domino, quia plurimos Pſalmos emittebant ad Deum cum fletu, & ululatu, qui ortus ex calamitatibus, & periculis mortis imminentibus, lacrymas vitulorum morientium, & mugitus boum graviſſimam famem, aut ſitim patientium exhibebat quodammodò, non abs re *bobus* ſunt comparati. *Ululate miniſtri altaris*, inquit Joel; *& clamate ad Dominum, A. A. A. diei, quia prope eſt dies Domini; & quaſi vaſtitas à potente veniet. Numquid non coram oculis veſtris alimenta perierunt? confuſum eſt triticum. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non eſt paſcua eis. Sed & greges pecorum diſperierunt. Ad te, Domine, clamabo, quia ignis comedit ſpecioſa deſerti, & flamma ſuccendit omnia ligna regionis.* Hæc Joel. Et Jeremias contra Babylonem: *Ecce dies veniunt, ait Dominus; & viſitabo ſuper ſculptilia Babylonis; & in omni terrâ ejus mugiet vulneratus.* Mugitibus ergo *boum* famem, vel etiam mortem patientium aſſimilabatur clamor, & ejulatus Levitarum occinentium Pſalmos, quibus calamitates populi ſui peracerbas, & regionis ſuæ vaſtitatem luctuoſam conquerebantur.*

Joel. 1. à v. 13. ad 19.

Jer. 51. v. 52.

His de cauſis Levitæ figurâ vituli, ſeu bovis ſignificati ſunt.

Ex verſ. 7. *Et tertium animal habens faciem hominis.*

Sub ſpecie quidem, ſeu facie humanâ oſtenſi ſunt Levitæ.

Primò

Primò, quòd verè eſſent homines; nec niſi metaphoricè leones, boves, & aquilæ.

Secundò, quia Levitæ Caathitæ vaſa præcipua tabernaculi, nempè *menſam propoſitionis*, *Candelabrum*, *altare aureum* thymiamatis, *&* Num.4.
altare holocauſtorum *involuta portabant propriis humeris ſuper vectes.* à v.7. ad

Tertiò, quòd vocibus verè humanis Pſalmos ad laudem Dei canerent; 15.
atque *orarent pro populo*, cujus etiam vice *ſerviebant Domino in Tabernaculo.* c.7.v.9. 1.Par.23. v.30.

Ex verſ.7. *Et quartum animal ſimile Aquilæ volanti.* Num.8.

Denique ſub Aquilæ volantis figurâ Levitas repræſentatos vidit Joannes, quòd ſicuti Aquila velociter volat, ita & ipſi promptis animis ex pietate juſſa Dei, Moyſis, Pontificis, ac Sacerdotum, à quibus pendebant, exequebantur; atque illuc, quò præcipiebantur, confeſtim pergebant; & ut ita dicam, volabant. Parem ob rationem Iſaias ait: *Qui* v.19. Iſai.40.
ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem; aſſument pennas ſicut aquilæ; v.31.
current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.

Deinde, *ſicut Aquila provocat pullos ſuos ad volandum* verſus ſolem; Deuter.
ita Levitæ populum puſillanimem excitabant ſuo exemplo, ut alacriter 32 v.11. Num.11,
progrederetur quòcumque illum Angelus lucis præcedebat in deſerto. v.1.

Ad hæc, quemadmodùm Pſalmiſta, deſiderio flagrans attollendi ani- Num.10.
mum ſurſùm ad Deum, optabat ſibi *pennas ſicut columbæ*; (aquila au- v.17.21.
tem multò altiùs volat quàm columba:) ſic Levitæ canentes Pſalmos ad Num.9. à v.15.
laudem Dei, *vocem in ſublime tollebant*, ita ut vox illorum penetraret Pſ.54.v.7.
nubes, & ad Deum in Cœlis habitantem perveniret. 2.Par.5.

Tandem non ſecùs ac *aquilæ oculi*, teſtante Scripturâ, *de longè proſpi-* v.13.
ciunt, & contemplantur; Levitæ præ cæteris Iſraëlitis eminebant rerum Job 39.
divinarum, quibus erant addicti, contemplatione. v.29.

Itaque, ut ea, quæ de quatuor animalibus myſticis fuſiùs dixi, paucis reſumam, Levitæ aſſimilantur *leoni* piâ in malos ſævitie; & quòd quibuſvis timorem Domini multipliciter incuterent.

Bovi ſimiles ſunt, ſacrificio boum initiati; bobus utentes ad portandum tabernaculum; & boum fame pereuntium mugitum exprimentes clamore ſuo, atque ejulatu propter calamitates populi intereuntis.

Homines verò ſunt reipsâ, & officio ſuo, præcipua vaſa tabernaculi propriis humeris portantes; vocibus verè humanis pſallentes; & benignitate ſuâ, atque humanitate pro populo orantes.

Denique comparantur *Aquilæ* volanti, quòd promptis animis munia ſua obirent; puſillos ad progrediendum alacriter, quò Deus vocabat, excitarent; voces ſuas, dùm concinebant Deo, in ſublime tollerent; reſque divinas, & altiſſimas mentis oculis contemplarentur.

Certè Salomon *duodecim boves fuſiles ſuppoſuit mari æneo* templi; necnon 3.Reg.7.
leones, *& boves*, *& Cherubim*, *& humerulos* in unâquaque decem baſium v.23.25.
æneatum totidem luteribus æreis ſubjectarum, & adjacentium eidem mari, 27.29.30. 1.Paral.23.
curavit effingi; ut, quia, poſtquàm *requiem dedit Dominus Deus Iſraël* v.25.26.

populo

populo ſuo, & habitationem Hieruſalem, non erat officii Levitarum ultrà portare tabernaculum, & omnia vaſa ejus ad miniſtrandum; leones illi, boves,
Exod.37. humeruli, & Cherubim, ſcilicet cum alis extenſis ad ſimilitudinem
v.8.9. aquilæ volantis, eſſent ſignum, ac monimentum perenne priſcarum actionum Levitarum.

At ſancti, qui jam verſantur in Cœlo, viſi ſunt ſub iiſdem figuris *leonis, bovis, hominis, & aquilæ volantis:* quippe qui Levitarum officia in tabernaculo, & in templo conſueta, ſed nunc antiquata, & obſoleta, modo perfectiſſimo, atque eminenti peragunt in templo Cœleſti gloriæ Chriſti ſub eodem Chriſto, ſummo in æternum Sacerdote.

Etenim, ut Cœleſtia illa Myſteria, quantum Deus dat, breviter exponam; & à figurâ *leonis* incipiam; Qualis eſt adversùs peccatores obduratos, & impœnitentes, ac maximè in idololatras zelus Sanctorum pro Deo, quem ſummè colunt, & diligunt? Quantùm verò efflagitant; & curant ut timeatur ab omnibus terrigenis Dominus præ majeſtate ſuâ, & ſanctitate, & juſtitiâ? Et ſanè nullus eſt ex illis Cœleſtibus Sanctis, qui cum Angelis, uti videbimus poſtmodùm in Apocalypſi, non dicat cunctis terra-
Apoc.14. rum incolis, *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii*
v.7. *ejus; & adorate eum, qui fecit Cælum, & terram, mare, & fontes aquarum.*
Apoc.5. Dicunt etiam cum ipſomet Chriſto, qui & ipſe appellatus eſt *leo de tribu*
v.5. Apoc.22. *Iuda, foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervien-*
v.15. *tes.* Nonne & de Sanctis exultantibus in gloriâ Cœleſti Pſaltes cecinit,
Pſal.149. *gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus?*
v.5.6.7. Hæc, ut explicarem quâ ratione leonis figura Sanctis in Cœlo jam exiſtentibus conveniat, dixi.

Quod ſpectat ad ſimilitudines *bovis, & hominis* congruentes iiſdem Cœ-
ad Eph.2. litibus; Quandoquidem fideles *coædificentur in tabernaculum Dei in Spiritu*
v.22. *ſancto*; ſintque *vaſa ſancta, & in honorem*; non dubium eſt quin Beati, cùm
1.Reg.21. v.5. *firmiores* ſint, *infirmorum hominum*, in terrâ jacentium, *imbecillitates ſuſti-*
ad Rom.9. *neant*; eorumque *portent onera, ut adimpleant legem Chriſti.* Cùm etiam
v.21. *charitas* illorum *non exciderit*, dùm è vivis exceſſerunt, ſed perfecta ſit in
C.15.v.1. ad Gal.6. Cœlo, Deum pro fidelibus in terrâ periclitantibus inſtantiùs orant, quàm
v.2. dùm in terris degerent. Iugiter verò divinas laudes canunt, ſicuti mox referemus.

Poſtremò iiſdem Beatis convenit *aquilæ volantis* figura. Quantâ enim velocitate feruntur ad ea, quæ ſibi vident juxta beneplacitum Dei facien-
Pſ.149.v.9 da? *Ut faciant in eis judicium conſcriptum, gloria hæc eſt omnibus ſanctis ejus,*
Pſ. 118. v.32. ait Pſaltes. Quantùm verò puſillanimes excitant ſuo exemplo, ut *currant viam mandatorum* divinorum, tametſi ardua, & alta videatur? Nunquid non illi, utpote ſummâ in Deum charitate elati, voces in ſublime tollunt ad laudandum Dominum? Et nonnè oculos mentis perpetuò defixos habent in ſolem juſtitiæ, quem perſpicuè intuentur?

Ecclic.48. ℣. 8. *Et quatuor animalia, ſingula eorum habebant alas ſenas.*
v.25. Iſaias *Propheta magnus, & fidelis in conſpectu Dei*, dùm *vidit Dominum in*

in templo ſedentem ſuper ſolium excelſum, perſpexit *duos Seraphim*, quorum quiſque *ſex alas* habebat; & Dominum ter ſanctum laudabat. Sic Evangelicus Propheta ubi *ſpiritu* raptus *vidit ſedem poſitam in Cœlo, ſuper* quam, quemadmodum explicui, Chriſtus, ut Pontifex, ut Rex, ut Iudex, ut Deus *ſedebat*, conſpexit Sanctos ex hominibus aſſumptos, & quatuor animalium, antiquos Levitas ſignificantium, figurâ mirabiliter deſignatos, ſex alas præ ſe ferre, & ſacrum triſagium Divinæ Majeſtati concinere. Nec abs re, cùm ipſemet Chriſtus Angelorum, & hominum Dominus prædixerit homines ſanctos Angelis in Cœlo futuros æquales. Religioſo ſilentio prætereo quid illæ ſex alæ unius Seraphini ſignificarent, cùm non ſit è re mea hocce loco myſteria illa propalare: dicam tantùm, quod ſpectat ad Apocalypſim explanandam. Quandoquidem trito loquendi uſu alarum appellatio tranſlata ſit ad turmas militares; Levitæ verò ſacris miniſteriis addicti, juxta Pauli effatum, *militarent Deo*; & more Seraphinorum, ex Iſaiâ, *Regem Dominum exercituum ſanctum* collaudarent, arbitror non incongruè ſex illis alis animalium myſticorum, antiquos Levitas ſignificantium, deſignari ſex turmas Levitarum Cantorum, variis modis cantantium laudes divinas tempore Davidis in Tabernaculo Jeroſolymitano. Etenim ex libro primo Paralipomenon *Levitæ conſtituti* ſunt *cātores Heman, Aſaph, & Ethan, in cymbalis æneis concrepantes*; ac quiſque illorum trium cum ſuis. *Zacharias autem*, & ſui *in nablis arcana cantabant. Porrò Mathathias*, & qui ei aderant, *in citharis pro octavâ canebant epinicion. Chonenias autem princeps Levitarum Prophetiæ præerat ad præcinendam melodiam.*

Iſai.6.v.1.2.3. Apoc.4. v.2. Luc.20. v.36. 2.ad Tim.2 v.4. Iſai.6.v.4.5. 1.Par.15. v 17.18. 19.20.21.

Cùm verò ſex alæ uniuſcujuſque quatuor animalium ſacrorum ſimul conjunctæ ſint viginti quatuor, nonne videntur ſignificare Levitarum cantorum vices, ac turmas viginti quatuor ſortitò tandem diſtributas juſſu Prophetæ Regis? 1.Par.25.

Verùm, quemadmodùm aves pennarum adminiculo facilè à terrâ ſurſùm feruntur; ita in Levitis attendo ſex alas myſticas, ſeu immunitates, ac dotes ſacras, quibus illorum animi faciliùs à terrenis ad cœleſtia, ab humanis ad divina attollerentur, juxta hæc verba Sancti Leonis: *Charitatis opere, ac nitore pudicitiæ, tanquam duabus elevati alis, de terrenis mereamur eſſe cœleſtes.* S. Leo ſer. 4. de Paſſione Dom.

Quippe illo tempore, quo munia ſua obibant in templo, ſeparati erant à domibus ſuis; ideòque liberi ab omnibus curis familiarum ſuarum; nec pro ſe ipſis ſolliciti erant ullo modo quid manducarent, aut biberent, cùm illorum victui abundè proviſum eſſet ex oblationibus, & ſacrificiis. Quapropter Levita ſui ipſius, ac familiæ ſuæ curâ, quæ illum nonnihil alio tempore gravabat, exemptus, duas alas ſacras ſibi videbatur aſciviſſe, quibus ad Deum ſic ſubveheretur, ut *ſollicitus* eſſet dumtaxat *quæ Domini* erant; *quomodo placeret Deo.* 1.ad Cor. 7. v.32.

Præterea, illo eodem tempore, quo miniſterio templi præcipuè addictus erat, continebat ſe prorsùs ab uxore; ac ideirco faciliùs *vacabat orationi*, & laudibus divinis celebrandis. Abſtinebat etiam penitùs à vino; 1. ad Cor. 7.v.5. Levit.10. v.9.

ad Eph. 5. v. 19. 20. undè aptior erat ut *impleretur Spiritu Sancto*; atque *cantaret, & pſalleret in corde ſuo Domino.* Quamobrem continentia illa, & abſtinentia duas priotibus alis pennas Levitæ addebat, quarum ope faciliùs ſursùm ad Dominum ferretur.

Quanta autem religione, & charitate, veluti duabus ſacris alis Spiritu Dei impulſis, ſubvehebantur ad Deum Sancti Levitæ? Ait Sapiens, Sap. 1. v. 1. *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum*: hoc eſt, religioſè ſentite de Domino, qui ſummè bonus eſt; & ſincerâ illum dilectione in omnibus proſequamini. Tanta certè fuit Levitarum Cantorum, cum Sacerdotibus clangentibus tubis, religio, & charitas in dedicatione templi Salomonis, *ut cùm Dominum laudare cœpiſſent, & dicere, Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia ejus, impleretur domus Dei nube; & compleret gloria Domini domum Dei*, declarantis eo ſigno quàm ſibi grata eſſet religio, & charitas ſacrorum miniſtrorum Divinæ Majeſtatis ſuæ. (2. Par. 5. v. 13. 14.)

Quantò potioribus cauſis Sancti in cœlum aſſumpti, & Chriſto Summo Sacerdoti quaſi Levitæ miniſtrantes in templo gloriæ illius, oſtenſi ſunt præ ſe ferre ſex alas, quibus ad Deum jugiter feruntur, cùm ſint immunes ab omnibus ſolicitudinibus, quibus ſubjacent mortales; non eſuriant, nec ſitiant ampliùs, ſatiati poſſeſſione ſummi boni; puriſſimi ſint; ſitque illis *Deus*, quem ſummè colunt, & diligunt, *omnia?* (1. ad Cor. 15. v. 28.)

Ex ℣. 8. *Et in circuitu, & intus plena ſunt oculis.*

In circuitu quidem, & intùs pleni oculis dici poterant antiqui Levitæ, quatenùs attendebant quàm maximè ut obirent munia ſibi injuncta tùm in tabernaculo; & templo, tùm in circuitu tabernaculi, & templi. Tempore enim, quo ſtabat tabernaculum, hæc fuit lex Levitarum, *à viginti quinque annis, & ſuprà ingrediebantur, ut miniſtrarent in tabernaculo fœderis: Cùmque quinquageſimum annum ætatis impleverant, ſervire ceſſabant, & cuſtodiebant quæ ſibi fuerant commendata.* Ædificato autem templo, alii in ipſo ad ſacrificia miniſtrabant; alii januis ejus circa quatuor partes mundi obverſis præficiebantur, alii cuſtodiebant theſauros domus Domini, & vaſa ſanctorum, quæ in exedris, & cellis circùm templum conſtructis concludebantur. Ii quòque, qui in templo pſallebant, oculos habebant defixos ad ſe ipſos, ad Deum, & ad opera ejus; undè Pſalmos in honorem Divinæ Majeſtatis concinebant. (Num. 8. v. 24. 25. 26. — 1. Par. 26.)

At illa antiqua Levitarum munia eminenter, ac ſanctiſſimè perficiunt Beati in Cœlo ad gloriam Dei. Quàm enim attenti ſunt ſibi ipſis, ut Deum laudent ex beneficiis ſibi ab illo collatis; & quàm verè quiſque dicit quod prælocutus eſt Pſalmiſta, *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus!* Quàm intentos habent oculos in Deum, in quo elucet ſumma veritas, bonitas, pulchritudo, & perfectio immenſa! (Pſ. 102. v. 1.)

Sed &, poſtquàm *bonum depoſitum cuſtodierunt* in ſe ipſis *per Spiritum Sanctum*, qui *habitavit* in illis; proſpiciunt maximopere, ut gratiâ, & poteſtate, quâ pollent apud ipſum, ſervent quos dedit illis Dominus cuſtodiendos, (2. ad Tim. 1. v. 14.)

diendos, & tutandos. Circumfuſas etiam omnes creaturas contuentur, ut de illis, ac pro illis gratiarum actiones Creatori ſuo referant.

Ex ℣.8. *Et requiem non habent die, ac nocte, dicentia, Sanctus.*

Priſci Levitæ certis tantùm horis diei, & noctis laudes concinebant Pſ. 54.
Divinæ Majeſtati, cùm fragilis illorum conditio non poſſet ei perpetuò v.18.
pſallere. Sed Sancti, in Cœlo verſantes, nullis curis diſtenti, nullis laboribus Pſ 133.
defatigati, nulli mutabilitati obnoxii, beatâ verò immortalitate donati, v.1.2.
Deumque perpetuò videntes, ac ſemper amantes, jugiter illum glorificant.
Vacant; vident; amant, laudant: ut, cum Auguſtino loquar; & addam,
In æternitate Dei vigent; in veritate Dei lucent; in bonitate Dei gaudent.

Dies quidem illis nulla eſt, cui nox ſuccedat, cùm luce Divinæ Eſſen-
tiæ, *in quâ tenebræ non ſunt ullæ*, ſint perenniter perfuſi. Quod itaque di- 1.Ioan.1.
cuntur *die, ac nocte* divinam ſanctitatem glorificare, intelligi oportet v.5.
comparatione ad noſtras dies, & noctes, quas æternitas divina, cujus
participes ſunt Beati, comprehendit.

Ex ℣.8. *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus, Deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.*

Exulta, inquit Iſaias; *& lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui* Iſai.2.v.5.
Sanctus Iſraël. Quiſque etiam ex Levitis ſelectus Cantor Citharœdus fa-
ctitabat quod de ſe Pſaltes teſtatur, *Pſallam tibi in citharâ, Sanctus Iſraël.* Pſ.70.
Et profectò, cùm ex omnibus Iſraëlitis Levitas ſibi *ſanctificaſſet*, miniſte- v.22.
rioque ſuo *conſecraſſet* Dominus, juſtum erat, ut præ cuncto populo Le- Num.8. v.15. 17.
vitæ *confiterentur nomini Domini, quoniam Sanctum eſt.* Pſ.98.v.3.

Didicerant verò ex Seraphinis viſis ab Iſaiâ ter Sanctum Dominum
laudare, ſive ob Trinitatem Perſonarum Divinarum, quam haùd dubiè
adorabant Seraphini; ſive in honorem trium inſigniorum Patriarcharum,
quorum Deus ipſe ob illorum eximiam pietatem gloriabatur quodammo-
dò Deus eſſe, dicens de ſe Moyſi, *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus* Exod.3.
Iacob: hoc memoriale meum in generatione, & generationem: Promiſeratque v.15.
illis Deus fore, ut in illorum *Semine*, Chriſto videlicet ex ipſis orituro, Gen.22.
benedicerentur omnes gentes. v.18.

Dilectus autem Diſcipulus in Evangelio innuit trinum illud elogium ſan- C.26.v.4.
ctitatis divinæ à Seraphinis, quos Iſaias vidit, relatum fuiſſe ad ipſummet C.28.v.14.
Chriſtum, quandoquidem aſſerat Iſaiam tùm *vidiſſe gloriam* filii Dei ven- ad Gal.3.
turi in mundum ad hominum ſanctificationem. Quantò magis Sancti, è v.16.
terris in Cœlos ſubvecti, ſanctitatem illius celebrant, poſtquàm venit; Joan.12.
ejuſque gratiâ gloriam animæ jam ſunt conſecuti; & cùm extremo illius v.41.
adventu conſummatam felicitatem corpore, non ſecùs ac animo, ſint per-
cepturi?

Sanctus, igitur, inquiunt, & ſtupentes exclamant, Filius Dei in ſe ipſo: *Sanctus* relatione ad Patrem, à quo gignitur: *Sanctus* relatione ad Spiritum Sanctum, quem cum Patre producit.

Sanctus ab æterno; *Sanctus* in tempore: *Sanctus* in æternum.

Sanctus in Divinitate: *Sanctus* in animâ; *Sanctus* in corpore ſibi in unitatem perſonæ conjunctis.

Pſ. 50. v. 7. ad Eph. 2. v. 3. Symb. Ap. Luc. 1. v. 35. 3. Reg. 8. v. 46. Joan. 8. v. 46. ad Rom. 5. v. 12. C. 4. v. 25. ad Heb. 7. v. 28. C. 5. v. 3. C. 7. v. 26. 28. Zachar 9. v. 9. Dan. 9. v. 24. Pſ. 9. v. 9. ad Phil. 2. v. 7. Act. 10. v. 36. ad Eph. 1. v. 20. Pſ. 113. v. 3. Matth. 28. v. 18. ad Tit. 2. v. 14. ad Rom. 8. v. 11. 1. Joan. 5. v. 20.

Sanctus Chriſtus in nativitate : *Sanctus* in vitâ : *Sanctus* in morte. Etſi enim homines concipiantur in peccato ; & *naturâ ſint filii iræ*, ipſe *conceptus de Spiritu Sancto*, & *natus ex Mariâ Virgine*, conceptus, & natus eſt Sanctus. Sanctus quòque eſt in vitâ ſuâ : nam quamvìs *non ſit homo, qui non peccet, quis* poteſt Chriſtum *arguere de peccato ?* Sanctus etiam in morte : Enimverò licet *mors pertranſeat in omnes, qui peccaverunt in Adam*; tamen Chriſtus *mortuus eſt* dumtaxat *propter peccata noſtra ; & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.*

Sanctus, ut author naturæ : *Sanctus* ut cauſa gratiæ : *Sanctus* ut principium gloriæ.

Sanctus ut Pontifex ; *Lex enim conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes*, qui debeant orare pro ſuis, ſicut & pro populi peccatis ; Chriſtus autem *Pontifex* eſt *in æternum perfectus, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus : Sanctus* ut Rex ; omnes enim, etiam ſanctiores Reges aliquid peccaverunt ; Chriſtus verò *rex juſtus* ; & *unctus eſt Sanctus Sanctorum : Sanctus* denique ut Iudex ; *Iudicabit* enim *orbem terræ in æquitate, & populos in Iuſtitiâ.*

Dominus eſt, licet *in formâ ſervi* ; & quidem *omnium*, non hominum tantùm, ſed etiam Angelorum, *ſupra quos conſtitutus* eſt *Dominus.*

Deus etiam eſt, quamvìs homo ; & *omnipotens* eſt, quippe qui *omnia, quæcumque voluit, fecit*, facit, & facturus eſt : Etſi enim *Crucifixus eſt ex infirmitate*, cui propter nos ultrò ſe ſubjecit ; attamen *vivit ex virtute Dei* omnipotentis, ſibi ut Deo innatâ, & ſuæ communicatâ humanitati.

Erat quidem quondam in terrâ, *ut redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum : Eſt* nunc in Cœlo, ubi animas noſtras clarificat in ipſo viventes ; & *venturus eſt*, ut *propter peccatum mortua corpora noſtra*, propter *inhabitantem ejus ſpiritum* in illis vivificet in æternum ; quippe *hic eſt verus Deus, & vita æterna.*

EXPLANATIO XVI.

Exhibens adorationes, laudes, gratiarum actiones, & oblationes, quas Sancti ſub ſymbolo viginti quatuor Seniorum referunt Chriſto, tribus ultimis verſibus Capitis quarti Apocalypſis.

VERS. 9. Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, &

& benedictionem ſedenti ſuper thronum, viventi in ſæcula ſæculorum,

℣. 10. Procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum; & mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes:

℣. 11. Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.

Verſ. 9. *Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem.*

HONOR, inquiunt Theologi, *eſt teſtimonium excellentiæ alterius: gloria* verò *eſt clara cum laude notitia:* teſtabantur autem Sancti, quatuor animalibus myſticis ſignificati, ſummam Chriſti Domini excellentiam, dùm illum in omnibus ſummè Sanctum, ut explicui, jugiter laudabant; illâque ingenti, & perpetuâ laude ſanctitatis divinæ magnam illius notitiam, quâ omnes Cœlites, uti poſteà patebit, ad ejus venerationem moverentur, diffundebant.

Ex ℣. 9. *Et benedictionem.*

Tritum eſt, in Scripturâ benedictionis nomen uſurpari pro beneficio accepto, & pro gratiarum actione, quæ de eo rependi ur benefacto i. Quapropter jure merito dicuntur animalia myſtica Chriſto, dùm ejus ſanctitatem prædicarunt, benedictionem dediſſe; quippe quæ omnem, quâ refulgent, ſanctimoniam ei acceptam retulere; & quantas potuerunt gratias maximas exhibuerunt: undè in Autographo Ευχαριςίαν, quæ ſignificat gratiarum actionem.

Ex ℣. 9. *Sedenti ſuper thronum.*

Chriſtus ut ſanctus ſedet in throno; namque ait ei Pſalmiſta, *ſedes* Pſ. 44. v. 7.
tua, ſive *thronus tuus in ſæculum ſæculi: dilexiſti juſtitiam, & odiſti ini-* 8.
quitatem: nec non *Iuſtitiâ* illius *firmatur* ejus *ſolium.* ad Heb. 1. v. 8.

Ex verſ. 9. *Viventi in ſæcula ſæculorum.* Prov. 16.

Vitam etiam immortalem, ac perpetuò duraturam Chriſtus ut ſanctus v. 8.
ducit; quandoquidem interfectus impietate Judæorum invidentium virtuti illius, fuerit pietate Patris à morte revocatus ob ſuam ſanctitatem:
Quâ de causâ Patrem alloquens, inquit, *Caro mea requieſcet in ſpe, quo-* Pſ. 15. v. 9.
niam non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Reſurgens autem *ex mor-* 10.
tuis, jam non moritur; quòd enim vivit, vivit Deo, æternæ ejus vitæ con- ad Rom. 6.
ſors. v. 9. 10.

℣. 10. *Procidebant viginti quatuor Seniores ante ſedentem in throno, & adorabant viventem in ſæcula ſæculorum.*

Conquerebatur Deus per Malachiam, quòd, cùm *filius honoret Patrem,* Malach. 1. v. 6.

& ſervus Dominum ſuum, Sacerdotes, qui tunc temporis erant, non *ho-*
norarent, nec *timerent* ipſum, tametſi eſſet *Pater* illorum, ac *Dominus*.
At Sancti, qui ſunt veluti Sacerdotes Templi Cœleſtis Jeruſalem, quoſ-
ve tanquam preſbyteros viginti quatuor familiarum Sacerdotalium Aaro-
nicarum Joannes vidit, cùm ſint obſequentes ſervi, & filii Dei, ſta-
Iſai. 9. v 6. tim atque audiunt ſanctitatem Chriſti Domini, ac *Patris futuri ſeculi*
celebrari, *procidunt* ante thronum illius; ipſumque humillimè *adorant*.
Magni quidem ſunt; ac etiam majores præconibus ſupràdictis Divinæ
Sanctitatis, quemadmodùm Sacerdotes ſuperabant Levitas dignitate: Sed
Prov. 3. implent perfectiſſimè quod ſcriptum eſt, *quanto magnus es, humilia te in*
v. 20. 21. *omnibus, quia potentia Dei ſolius; & ab humilibus honoratur.*

Ex ℣. 10. *Et mittebant coronas ſuas ante thronum.*

Proſtrati illi viginti quatuor Seniores deponebant coronas ſuas ante
thronum Chriſti, tanquàm profitentes ſe nihil habere ſanctitatis, digni-
Eccl. in tatis, ac potentiæ niſi ab illo; & quòd ille *ſolus ſit ſanctus*; ille *ſolus Do-*
Hym. Miſſ. *minus*; ille *ſolus Altiſſimus in gloriâ Patris.* Coronæ etiam, quibus vi-
2. ad Tim. dentur decorari, *Corona* ſunt *juſtitia, corona vita*: Illas autem acceptas
4. v. 8. referunt Chriſto, Pontifici, Regi, Judici, ac Deo, quem ſummè *ſan-*
1. Petr. 5. *ctum, ſedentem in throno, viventem in ſecula ſeculorum*, gratis ani-
v. 4. mis, ac ſubmiſſis venerantur, *dicentes*.
Apoc. 2.
v. 10. ℣. 11. *Dignus es, Domine Deus noſter, accipere gloriam, & hono-
rem, & virtutem, quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem
tuam erant, & creata ſunt.*

Hæc ſententia, quæ juxta Græcum pro his vocibus, *virtutem*, &
erant, habet δύναμιν, potentiam, & εἰσὶ, ſunt, mihi videtur quadru-
pliciter intelligenda.

Num. 18. Primò, *locutus eſt Dominus ad Aaron, quidquid offerunt primitiarum*
v. 8. 12. 13. *Domino, tibi dedi: cedent in uſus tuos; tui juris erit: omne, quod ex vo-*
14. 15. *to reddiderint filii Iſraël, tuum erit.* Dùm verò offerebat primitias illas
Deuter. 26. Iſraëlita, *accedebat ad Sacerdotem, & dicebat ad eum, profiteor hodie*
v. 3. 10. 15. *coram Domino Deo tuo, quòd ingreſſus ſum in terram, pro quâ juravit*
17. 18. 19. *patribus noſtris, ut daret eam nobis; & idcirco nunc offero primitias frugum*
terra, quam Dominus Deus dedit mihi. Tunc *dimittebat eas in conſpectu*
Domini Dei ſui, & adorabat Dominum Deum ſuum. Eligebat quòque *Do-*
minum ut eſſet illi Deus; ejuſque obediret imperio. Eligebat verò *illum Do-*
minus, ut eſſet ei populus peculiaris, & faceret eum excelſiorem cunctis
gentibus, quas creavit, in laudem, & nomen, & gloriam, ut eſſet popu-
lus ſanctus Domini Dei ſui.

Iſtas figuras legales in honorem Chriſti, qui eſt finis legis, viginti
Pſ. 84. quatuor Seniores pro eâ, quâ præditi ſunt, pietate, ad ſeſe transferunt;
v. 13. implentque mirabiliter, ac Sanctiſſimè: Cùm enim *terra* cordis illorum
ad Rom. 8. *benignitate Domini dederit fructum ſuum* uberrimum virtutis; & *primitias*
v. 23. *Spiritus* Salvatoris in ſeſe *habeant*: nec non gratiâ illius ſint *primitivi*
ad Heb. 12. v. 23. *conſcripti in Cœlis*; ſeſeque ei dudùm devoverint; ac tandem conſecuti
ſint

ſint *terram* illam viventium vitâ æternâ, quam *mitibus* promiſit, *adorant* Matth. 5.
illum; & proſtrati coram ipſo, ac *mittentes coronas ſuas ante thronum il-* v. 4.
lius, verè *demittunt* ſe, & omnia ſua tanquam *primitias in conſpectu Do-*
mini Dei ſui. Debentur illi ut Pontifici; ejuſque *juris* ſunt; ac libenter
cedunt in uſus illius. Utatur ipſis ut libuerit, pergratum habebunt. Im-
peret quod ſibi placuerit, obedient. Efflagitant etiam ut populus Chri-
ſtianus prævaleat iis, à quibus perſecutionem patitur; & *cunctis genti-*
bus excelſior, ſit populus *ad laudem, & gloriam* Chriſti numquam non
ei *Domino Deo ſuo ſanctus.*

Secundò, pius Rex David, ex quo Chriſtus prognatus eſt ſecundùm
carnem, filium ſuum Salomonem adhortans ad ædificandum Templum,
aiebat, *ecce diviſiones Sacerdotum, & Levitarum in omne miniſterium do-* 1. Par. 28.
mus Domini aſſiſtent tibi, & parati ſunt; & noverunt tàm principes, quàm v. 21.
populus facere omnia præcepta tua. David etiam, & *proceres tribuum* 1. Par. 29.
Iſrael dederunt in opera domus Domini multa *auri talenta*, aliaque dona v. 6. 7. 10.
quàm plurima; dixitque omnium nomine Rex, *benedictus es, Domine* 11. 14. 20.
Deus Iſraël. Tua eſt, Domine, magnificentia, & potentia, & gloria,
& tibi laus. Cuncta enim, quæ in Cœlo ſunt, & in terrâ, tua ſunt. Tuum,
Domine, regnum; & tu es ſuper omnes principes. Quæ de manu tuâ
accepimus, dedimus tibi. Præcepit autem David univerſæ Eccleſiæ, hoc eſt,
omnibus, quos congregaverat, *benedicite Domino Deo veſtro. Et bene-*
dixit omnis Eccleſia Domino Deo Patrum ſuorum; & inclinaverunt ſe; &
adoraverunt Deum, & deinde Regem.

Ad eum modum viginti quatuor Seniores, quos Chtiſtus Pontifex, &
Rex aſcitos in Regnum ſuum, & templum Cœleſte fecit *reges, & Sa-* Ap. 5. v. 10.
cerdotes, mittunt coronas ſuas aureas ante thronum illius; ſeque, & omnia
ſibi ab illo collata deferunt ci ad ædificium Templi Chriſtiani, quò *con-* Pſ. 21. v. 28
vertantur ad Dominum univerſi fines terræ; & adorent in conſpectu ejus uni- 29.
verſæ familiæ gentium, quoniam Domini eſt regnum. Eapropter ipſimet
procidunt ante illum *ſedentem in throno, & adorant* tanquam Regem, ac
Deum ſuum; & dicunt, *dignus es, Domine Deus noſter, accipere glo-*
riam & honorem, nempe ex omnibus, & ubique, in terrâ, non ſecùs
ac in Cœlo, *quia*, inquiunt, *tu creaſti omnia.*

Tertiò, *vani ſunt*, inquit Sapiens, *omnes homines, in quibus non ſubeſt*
ſcientia Dei; & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, Sap. 13.
qui eſt; neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex: ſed aut v. 1. 2. 10.
ignem, aut Spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam
aquam, aut ſolem, & lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt.
Appellaverunt etiam Deos opera manuum hominum.

Tantam inſcitiam, & impietatem horrent viginti quatuor Seniores,
Deum, qui unus eſt, perſpicuè intuentes, & colentes impenſiſſimè;
optantque propenſis animis, ac pronis coram illo, ut *honorem* ſibi tan-
quam Creatori debitum, quem inſenſati creaturis iniquè deferunt, juſtè Iſai. 42.
vendicet; nec patiatur ampliùs *gloriam ſuam, & laudem* illis, & *ſculp-* v. 8.

tilibus

tilibus dari. Proſtrati quòque rogant ut compleat quod ipſemet dixit,
Iſai. 45. *Numquid non ego Dominus ; & non eſt ultra Deus abſque me ? In memetipſo*
v 11.24. *juravi , quia mihi curvavitur omne genu ; & omnis lingua confitebitur*
Ad Rom. *Deo.*

14.v.11. Sap 12. Quartò , impii detrahunt omnipotentiæ Dei , quandoquidem blaſphe-
v.17. ment illum non creaſſe omnia cùm voluit;nec ejus poteſtati cuncta ſubji-
ci. At viginti quatuor Seniores pietate permoti , effuſis animis percu-
piunt , ut ſummam , quâ pollet in omnes creaturas , potentiam oſtendat;
& quem ingrati beneficiis non agnoſcunt , commentitis pœnis affecti
Sap.5. ſentiant omnipotentem. *Accipiat armaturam zelus illius ; & armet crea-*
v.18.21. *turam ad ultionem inimicorum. Pugnet cum illo orbis terrarum contra inſen-*
Iſai.48. *ſates ; & propter ſe faciat* , ut ſciant omnes ejus hoſtes , quia *Dominus*
v.11. *omnipotens nomen ejus.*

Exod.15. v.3. Exeret certè omnipotentiam ſuam Chriſtus in adverſarios ſuos ; ute-
turque perſæpe creaturis omnibus ſibi ſubjectis , ut illos debitis pœnis
atterat , quemadmodum viſuri ſumus plurimis capitibus Apocalypsis.

Effugiamus verò pietate noſtrâ Divinam vindictam. Chriſtum Do-
minum jugiter veneremur : ſubjiciamus noſmetipſos illi ſemper ; ac om-
nia noſtra ad gloriam illius nunquam non libentiſſimè impendamus.

EXPLANATIO XVII.

Septem primorum verſuum Capitis quinti Apocalypſis, de libro ſeptem ſigillis ſignato, qui viſus eſt in dexterâ Chriſti ; quemve ille ſolus aperire dignus fuit.

VERS. 1. Et vidi in dexterâ ſedentis ſuper thronum librum ſcriptum intùs , & forìs , ſignatum ſigillis ſeptem.

℣. 2. Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magnâ , quis eſt dignus aperire librum , & ſolvere ſignacula ejus ?

℣. 3. Et nemo poterat , neque in Cœlo , neque in terrâ, neque ſubtùs terram , aperire librum , neque reſpicere illum.

℣. 4. Et ego flebam multùm , quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, nec videre eum.

℣. 5.

℣. 5. Et unus de ſenioribus dixit mihi, nè fleveris. Ecce vicit leo de Tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.

℣. 6. Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram.

℣. 7. Et venit, & accepit de dexterâ ſedentis in throno librum.

Verſ. 1. *Et vidi in dexterâ ſedentis ſuper thronum librum ſcriptum intùs, & foris, ſignatum ſigillis ſeptem.*

VBI Ezechiel vidit cœlitùs *quatuor animalia, quatuor pen-* Ezech. c. 1.
nis veſtita, & quadruplicem *faciem, hominis, leonis, bovis, &*
aquilæ præ ſe ferentia, nec non *ſimilitudinem throni*, cui inſidebat
hominis ſimilitudo, audivit loquentem ad ſe, fili hominis, mitto Ezech. 2.
ego te ad filios Iſraël; & ſcient quia Propheta fuerit in medio eorum: Tu v. 2. 3. 5.
autem audi quæcumque loquor ad te. Et vidi, inquit Ezechiel; *& ecce* 8. 9.
manus miſſa ad me, in quâ erat involutus liber; & expandit illum coram Ezech. 3.
me, qui erat ſcriptus intùs, & foris; & dixit ad me, Comede volumen iſtud; v. 1. 3.
& vadens loquere ad filios Iſraël; & comedi illud; & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.

Sic ille liber, ſcriptus intùs, & foris, Ezechieli oſtenſus, primùm involutus, deinde coram illo expanſus, ac tandem in os ejus infuſus, ſignum erat prophetiæ, quæ ei conferebatur; continebatque ea, quæ juſſu Domini dicturus erat filiis Iſraël.

Ita Joannes, poſtquàm conſpexit Chriſtum Dominum inſidentem Apoc. 4.
cœleſti throno, & in circuitu ſedis illius quatuor animalia, ſimilia leoni, bovi, homini, & aquilæ, ſex alas habentia, vidit *in dexterâ* ejuſdem Domini *librum ſcriptum intùs, & foris*; ac primò tantoperè involutum, ut eſſet etiam *ſeptem ſigillis* obſignatus. Sed poſtmodùm, uti patebit ſequentibus capitibus Apocalypſis, ſoluta ſunt coram eo ſingula ſi- Apoc. c. 6.
gilla; & animadvertit quid ſub unoquoque ſcriptum eſſet. Dein, inquit, c. 7. c. 8. c. 9.
audivi vocem de cœlo loquentem mecum, & dicentem, accipe librum aper- Apoc. 10.
tum, & devora illum: & accepi librum; & devoravi illum; & erat in v. 8. 9. 10.
ore meo tanquam mel dulce: & dixit mihi, oportet te iterùm prophetare 11.
gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

Quocirca, nullus, ut arbitror, dubitaverit quin ille liber in dexterâ Domini primùm obſignatus, poſteà coram Joanne ſolutus per partes ſuis ſigillis; ac denique apertus ei traditus, & ab illo intimè receptus,

Hervéus in Apocalypſim.

complectatur Apocalypſim ejuſdem Domini, ſeu revelationem Propheticam ab ipſo collatam Joanni.

Ex ℣. 1. *Librum ſcriptum.*

Liber ille ſcriptus erat, *non atramento*, nec *ſtylo*, vel manu *hominis*,
2. ad Cor. 3. v. 3. *ſed Spiritu Dei*, *digito Dei*, *manu Dei*, hoc eſt, poteſtate Divinâ, quæ
Iſai. 8 v. 1. paſſim in ſcripturis appellatur manus, & brachium Dei, quòd per illam
Exod. 31. v. 18. cuncta, quæ vult Deus, efficiat, ſicuti homo per manum, quod ſibi libet, operatur.
1. Par. 28. v. 19.

Ex ℣. 1. *Intùs, & foris.*

Volumen autem illud conſcriptum erat *intùs, & forìs*, non ſolùm
Apoc. 6. 8. 9. propter multitudinem rerum, quas complectebatur, verùm etiam ob illarum qualitatem. Quippe continebat res gentibus, quæ foris ſunt, im-
Apoc. 10. 11. minentes; & eventus futuros Eccleſiæ, quæ intùs eſt. Sic enim de gentibus, & de Eccleſiâ dudùm locutus eſt Paulus, ad Corinthios ſcribens:
1. ad Cor. 5. v. 12. *Quid mihi*, inquit, *de iis, qui forìs ſunt, judicare? nonne de iis, qui intùs ſunt, vos judicatis? nam eos, qui forìs ſunt, Deus judicabit.*

Præterea in gentibus idololatriæ deditis duo ſunt rerum genera; aliæ exteriores, nimirùm poteſtas, divitiæ, ſanitas, pulchritudo, voluptas; aliæ interiores, nempè ipſamet impietas, cæteraque animi ſcelera. Primas res exteriores externa voluminis ſcriptura indicabit à Chriſto Iuſto Iudice variis plagis delendas: Secundas verò res gentium interiores intima ſcriptura libri penitùs abolendas declarabit.

Eccleſia etiam duabus partibus, extimâ, & intimâ, conſtat. In ex-
Apoc. c. 11. & deinceps. timâ collocantur bona externa; pars autem intima complectitur pietatem, aliaſque virtutes, quas quidem interior præfati libri ſcriptura refert pugnantes in perſecutionibus gentium, vincentes, ac triumphantes Angelorum ope, & Chriſti virtute, ſicuti patebit ex dicendis in Apocalypſi.

Ex ℣. 1. *Signatum ſigillis ſeptem.*

Porrò liber ille plurimis ſigillis erat obſignatus, quòd in eo conſcriptæ eſſent res permagni momenti; eæque eſſent abſtruſæ in conſilio ſecretiſſimo Majeſtatis Divinæ, ita ut ipſemet Deus de illis aſſereret quod
Deuter. 32. v. 34. olim per Moyſem, *nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?*

Septem verò *ſigillis* occluſa erant arcana illa eo in volumine, quòd eſſet veluti teſtamentum ſolemne, totidem ſigillis obſignari ſolitum, &
Ad Eph. 5. v. 26. 27. à Chriſto moriente confectum ſecretò in gratiam Eccleſiæ, *pro quâ ſe ipſum tradidit, ut exhiberet illam ſibi glorioſam.* Undè volumen illud non
Apoc. 5. v. 5. 8. aperitur niſi ab ipſomet Chriſto redivivo, poſtquàm *occiſus eſt* tanquam
Ad Heb. 9. v. 16. 17. *agnus*: quippe *teſtamentum in morte* teſtatoris *confirmatur*; nec alius præter Chriſtum invenitur dignus, qui ipſum aperiat; ſicuti nec repertus eſt
Ap. 5. v. 4. quiſquam præter eum, qui illud conderet.

Sigillis etiam ſeptem obſignatur illud volumen, & teſtamentum, quòd
Apoc. c. 6. & 8. ſeptem res præcipuas, poſtea referendas, & unamquamque ſuo peculiari ſigillo occluſam, veluti ſeptem articulos, & clauſulas contineat.

Liceat,

Liceat, quæſo, ex eâ pietate, quâ quiſque Chriſtianus moveri debet in Deum ſuum, omnia prævidentem, addere, quòd, teſte Lactantio, *Domitius Ethnicus, juris peritiam profitens, ſeptem libris reſcripta Principum nefaria collegit, ut doceret quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confitentur.* Domitius de officio proconſulis, apud Lactant. inſtitut.

Propterea igitur Chriſtus, *Rex regum, & Dominus dominantium*, verus Legiſlator, & juſtus Judex, rerum omnium præſcius, ac ſcelerum vindex, collegit & ipſe in volumine ſeptem ſigillis obſignato, quaſi ſeptem libris diſtincto, pœnas juſtiſſimas, quas paganis oſoribus unius Divinæ Majeſtatis inflicturus eſt in gratiam Chriſtianorum, qui Deum unum religioſiſſimè colunt. Hinc tandem omnes agnoſcent Chriſtum *unum eſſe legiſlatorem, & judicem, qui poteſt perdere* impios; & pios *liberare.* l. 5. c. 11. Apoc. 19. v. 16. Ep. Iac. 4. v. 12.

℣. 2. *Et vidi Angelum fortem, prædicantem voce magnâ.*

Angelorum quidem nemo eſt, qui non ſit præditus multis viribus; eòque majoribus, quò eæ magis collectæ ſunt in eſſentiâ illius merè ſpirituali: vis enim unita fortior eſt diſperſâ. Sed Angelus ille tùm apparens, viſus eſt prævalidus, tanquàm præco illius, qui eſt *fortis, & potens*; atque ut poſteà vocem emittat ingentem, quæ à ſuperis, terrigenis, & inferis audiatur. Pſ. 23. v. 8.

Ex ℣. 2. *Quis eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſignacula ejus?*

Quis tantâ eminet, vel ſanctitate, vel poteſtate, ut dignus ſit evolvere volumen tàm inſigne, quod eſt in dexterâ illius, quem Cœlites laudant ſummè Sanctum, & omnipotentem? Sigilla quidem Judæorum perfidorum impia, quibus obſignatum fuerat ſepulchrum Domini, Angelus facillimè diſrupit, ut monumento aperto pateret omnibus Chriſtum Dominum reſurrexiſſe. At quis reſignabit ſigilla ſacra, quibus obſtrictus eſt liber ille, quem Dominus ter Sanctus, & vivens in ſæcula ſæculorum, manu dexterâ præfert? Videtur certè benignitate ſuâ ita illum porrigere, ut velit ipſum ab aliquo accipi, & aperiri. Verùm, cùm Angelus, Divinæ Majeſtatis præco, imparem ſe ſentiat tantæ rei, poſtulat ex deſiderio vehementi, & quantâ poteſt, voce proclamat, quis vel hominum, vel Angelorum, *eſt dignus aperire librum* illum, *& ſolvere ſignacula ejus?* Matth. 27. v. 66. C. 28. v. 2. 6.

℣. 3. *Et nemo poterat, neque in Cœlo, neque in terrâ, neque ſubtùs terram, aperire librum, neque reſpicere illum.*

Nullus, nec ſpirituum beatorum in Cœlo degentium, nec hominum juſtorum in terrâ commorantium, nec animarum Sanctarum ſuis corporibus exutarum, & expectantium ſubtùs terram libertatem perfectam filiorum Dei in fruitione cœleſtis hereditatis, valuit volumen illud evolvere, & inſpicere quid ſcriptis ſuis complectatur. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*, reconditarum eo in libro tot ſigillis obſignato! *Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia* ſummi Iudicis inibi conſcripta! Quàmve *inveſtigabiles viæ*, quibus illic Divina Majeſtas progreditur ad evertendum imperium idololatriæ deditum, & ad ſtabiliendum ſuum Sanctum regnum! *Quis cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?* Dubio procul, ad Rom. 11. v. 33. 34.

1.ad Cor. 2. v. 11. ſicuti *nullus hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt; ita & quæ Dei ſunt, nemo cognovit, niſi Spiritus Dei.*

℣. 4. *Et ego flebam multùm, quoniam nemo dignus inventus eſt aperire librum, & videre eum.*

Dan. 10. v. 2. 5. 11. 12. Teſtatur Daniel, poſtquàm *luxiſſet trium hebdomadarum diebus*, Angelum ei apparuiſſe, & dixiſſe: *Vir deſideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te. Ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua; & veni propter ſermones tuos.* Pari deſiderio ſciendi, quæ in libro ſibi cœlitùs monſtrato continebantur, correptus Joannes, uberes lacrymas profundebat, quòd nemo inventus eſſet dignus arcana illa aperire: fletu autem ſuo promeruit, ut unus ex Beatis, Chriſti thronum ambientibus, ſpem ei daret cognoſcendi myſteria libro illo contenta.

Verſ. 5. *Et unus de ſenioribus dixit mihi, nè fleveris.*

Malach. 2. v. 7. Cùm *labia Sacerdotis cuſtodiant ſcientiam*; ejuſque ſit officii imperitos docere quæ Dei ſunt, *unus ex ſenioribus*, munia priſcorum Sacerdotum eminenter, ac perfectiſſimè complentibus in Cœlo, deſtinatur ab ipſomet Chriſto, ut erudiat Dilectum Diſcipulum, quâ ratione ſcientiam arcanorum libri cœleſtis à ſe viſi ſit conſecuturus.

Luc. 7. v. 13. 15. Quemadmodùm verò Dominus, cùm *vidiſſet viduam flentem, miſericordiâ motus ſuper eam dixit illi, noli flere*; ac ſtatìm conſolatus eſt illam, filium ejus, quem ipſa lugebat, à morte revocans: Ita Magiſter bonus Diſcipuli, quem diligebat, commotus lacrymis, voluit ut *unus*, ac fortaſſis, juxta vim nominis illius in Scripturâ uſitatam, primatius viginti quatuor Seniorum, qui ipſi aſtabant, diceret ei, *nè fleveris*; cauſamque protinùs adderet magnæ lætitiæ, declarans illi, quis explicaret librum cœleſtem, quem inexplicabilem putabat, & deflebat.

Ex verſ. 5. *Ecce vicit Leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.*

Omnes quidem homines, & Angeli, quantâcumque polleant poteſtate, impares ſunt, ut librum illum, arcana Dei complectentem, evolvant.

ad Eph. 1. v. 20. 21. Sed Chriſtus, qui *conſtitutus eſt ſuper omnem principatum, & poteſtatem*,
Gen. 49. v. 9. quique ortus eſt ex tribu Juda, & proſapiâ David, necnon dictus fuit Leo, quòd ſicuti *Leo fortiſſimus* eſt *beſtiarum*, ſic homo Deus omnes
Prov. 30. v. 30. creaturas viribus ſuperat, prævaluit omnibus eo in concurſu, & certamine ad aperiendum mirabilem illum librum propoſito.

Verſ. 6. *Et vidi; & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio ſeniorum, agnum ſtantem tanquam occiſum.*

Ioan. 1. v. 29. Notum eſt Chriſtum à Joanne Baptiſtâ nuncupatum *Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi*; & longè antè Iſaias de illo vaticinatus eſt, *Poſuit*
Iſai. 53. v. 6. 7. *Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm; oblatus eſt quia ipſe voluit: ſicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Ita prævidit Iſaias, Agnum illum innocuum, & manſuetum, ut peccata noſtra ſanguine ſuo elueret, occidendum.

At Joannes illum vidit in Cœlo *tanquam occiſum*, non quidem reipsâ tunc mortuum, cùm jam dudum reſurrexerit, non ampliùs moriturus; & ille ipſe agnus in cœlo exhibitus acceſſerit ſtatìm ad ſedentem in throno; ab eoque librum acceperit, quod non poſſet, niſi vivus eſſet. Dicitur tamen *viſus tanquàm occiſus*, quòd vivens præ ſe ferret ſigna præcedentis ſuæ immolationis, & mortis; non ſecùs ac ipſemet Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolis ſeſe præbuit cum cicatricibus crucifixionis ſuæ, & aperturâ lateris ſui poſt obitum etiam ſuum lanceâ transfixi. Joan.20. v.15.17.

Ex verſ. 6. *Habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem ſpiritus miſſi in omnem terram.*

Quandoquidem cornua fortitudinem animalium deſignent, facile eſt conjicere, ſeptem cornibus Agni Cœleſtis ſignificari vim ipſius ad ſolvenda ſeptem ſignacula libri cœlitùs oſtenſi; oculis verò ſeptem ejuſdem Agni indicatur illius animi acies ad videndum quidquid eo in libro ſub illis ſigillis continetur: *Chriſtus* enim, etiam *crucifixus*, eſt *Dei virtus*, & *Dei ſapientia.* 1.ad Cor. 1.v.23 24.

Quare anima illius, quæ præcipuam ſedem habet in capite, ubi vigent in animalibus cornua, & oculi, Verbo Divino hypoſtaticè conjuncta, poſſidet eminenter omnem fortitudinem, atque intelligentiam cunctorum Cœleſtium Spirituum, numero ſeptenario ſignificatorum, quos ipſemet *mittit*, cùm vult, *in omnem terram*, ut eam ipſius authoritate viſitent, ac regant: undè ſunt veluti ejus *oculi*, inſpicientes quo quæque res ſit in ſtatu; necnon quaſi *cornua* illius Cœleſtis Agni, fortiter efficientia quod ei apud homines, ac in terris libet.

Verſ. 7. *Et venit, & accepit de dexterâ ſedentis in throno librum.*

Quemadmodùm Moyſes accepit à Deo legem; & Rex ſuſcipiebat volumen legis à Sacerdote Aaronico; necnon Salomon excepit de manu David Patris ſui exemplar templi ædificandi: Sic Agnus ille Cœleſtis, quondam pro nobis occiſus, videlicet Chriſtus, ut homo, ut rex, & ut filius David, ſuſcepit à ſe ipſo, ut Deo, ut Pontifice, & ut æterno Dei filio, rerum omnium Creatore, volumen cœleſte, in quo præſcriptæ ſunt leges pœnarum impiis infligendarum; rationes belli ſacri Ethnicis inferendi; & ideæ effectrices templi ad gloriam Divinæ Majeſtatis toto orbe conſtruendi. Exod.32. v.15.16. Deuter.17. v.18. 1.Par.28. v.11.19.

Neque verò ille, quem protuli de Chriſto variè conſiderato, loquendi modus eſt inuſitatus in Scripturâ, cùm ipſemet Chriſtus illum nobis propoſuerit, dùm aſſeruit, *pro eis ego ſanctifico me ipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate*: nempe ego, ut Deus, mihi, ut homini, ſanctitatem tribuo; ac rurſùs ego, ut *Pontifex Sanctus, innocens, impollutus*, ſacrifico me ipſum tanquàm hoſtiam; non tantùm Patri, ſed etiam mihi ut Deo, gratiſſimam pro peccatis hominum, ut & ipſi ſint verè gratiâ meâ Sancti; & aſſiduâ mortificatione carnis ſuæ ſeipſos *offerant hoſtias ſpirituales, acceptabiles Deo.* Ioan.17. v.19. ad Heb.7. v.26. 1.Petr.2. v.5.

Digitized by Google

EXPLANATIO XVIII.

Adorationis, & laudis, quæ à quatuor Animalibus Myſticis cum citharis, & à viginti quatuor Senioribus cum phialis thymiamatum, redditur Chriſto Redemptori ſub ſpecie Agni, quòd librum ſeptem ſigillis obſignatum aperturus acceperit, ab octavo ad decimum verſum Capitis quinti Apocalypſis.

VERS. 8. Et cùm aperuiſſet librum, quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.

℣. 9. Et cantabant canticum novum, dicentes, dignus es, Domine, accipere librum, & aperire ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione.

℣. 10. Et feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.

Verſ. 8. *Et cùm aperuiſſet librum.*

Amelottus notis ſuis Gallicis in Apocalypſim.

DIONYSIVS Amelottus ex obſervatione autographi, ἔλαβε, necnon exemplarium Syrorum, Arabum, Æthiopum, & Primaſii antiquiſſimi Interpretis Latini, non immeritò ſuſpicatur in locum illius vocis, *accepiſſet*, quæ apponenda erat, intruſum fuiſſe hoc vocabulum, *aperuiſſet*. Etenim patet ex Apocalypſis contextu, librum illum cœleſtem, de quo agitur, non fuiſſe apertum, niſi poſtquàm ſeptem illius ſigilla, nec quidem omnia ſimul, ſed unum poſt alterum, ſublata ſunt. Illa autem ſignaculorum reſignatio non incipit niſi capite ſequenti. Quapropter ſatius eſt ut legamus *cùm accepiſſet*, quàm *cùm aperuiſſet*; niſi fortè intelligamus hocce ultimum verbum

idem

idem ſignificare ac cùm aperturus eſſet : Quippe ille Agnus Dei, Chriſtus Dominus, non accepit librum illum, niſi ut eum paulò poſt aperiret ; ac myſteria in eo recondita in lucem proferret.

Ex ℣.8. *Quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores ceciderunt coram Agno.*

Cùm igitur accepiſſet Chriſtus librum ab ipſo aperiendum, Sancti qui ſub figurâ ſacrâ quatuor animalium implent eminenter, uti anteà diximus, officia priſcorum Levitarum ; & viginti quatuor Seniores, quibus exhibentur antiquæ familiæ Sacerdotales viginti quatuor, proni adoraverunt ſummam poteſtatem Chriſti ; eique ſuopte nutu gratulati ſunt.

Ex verſ.8. *Habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum*, Græcè θυμιαμάτων.

Ex verſ.8. *Et cantabant.*

Sacrâ Scripturâ docemur antiquitùs in templo ſolitos immolari ſingulis
diebus *duos agnos, unum mane, & alterum veſpere. Thymiama* etiam *adole-* Exod.29.
batur à Sacerdote ſuper altare aureum antè matutinum, & poſt veſpertinum v.38.
illud agnorum *juge ſacrificium.* Antequàm verò adoleretur, repoſitum Exod 30.
erat in phialis aureis : Undè dicitur Salomon feciſſe *in domo Domini thy-* Philo. l.de Victimis.
miamateria, & thuribula, & phialas, & mortariola ex auro puriſſimo. Exod.30.
Quippe in mortariolis aromata tundebantur : thymiama autem ex illis v.36.
confectum aſſervabatur in vaſis, quæ dicebantur thymiamateria : Indè 2.Par.4.
verò nonnulla pars thymiamatis ſumpta reponebatur in phialis ; & ex v.22.
eis injiciebatur aliquid thymiamatis in thuribulum ſuper ignem ex alta- Levit.6.
ri holocauſtorum anteà arreptum ; atque ſic *adolebatur thymiama ſuper* v.12. c.10.
altare aureum citra velum, quod pendebat antè arcam. v.1.

Præterea *Levitæ ſtabant mane ad confitendum, & canendum Domino, ſi-* Num.16. v.46.
militerque ad veſperam, dùm offerebatur juge ſacrificium agnorum, & Exod. 30.
thymiama. *Cantabant* verò plerique Levitæ *cum citharis* ; multique *Sa-* v 6.
cerdotes tùm *canebant tubis.* 1.Par.23.

Quapropter ut pateret ritus illos Moſaicos, qui erant figuræ Cœle- v.30. 1.Par.25.
ſtium, miro modo in Cœlis perfici, poſtquàm Chriſtus apparuit veluti v.6.
agnus olim in terris immolatus, viſi ſunt ex Sanctis alii, qui antiquos Levi- 2.Par.5.
tas ſub quatuor Animalium Myſticorum ſigno exhibent, cantaturi cum v.12.
citharis ad laudem ejuſdem Agni, omnium Redemptoris : alii autem ſub Ad Heb.8.
ſpecie viginti quatuor Seniorum, viginti quatuor familias Sacerdotales v.5.
Aaronicas repræſentantium, oſtenſi ſunt cum phialis aureis, plenis thy-
miamatum ſacrorum, quæ poſteà *ſuper altare aureum, quod eſt antè thro-* Apoc.8.
num Dei, adolebuntur ab Angelo *habente thuribulum aureum impletum* v.2.3.4. 5.
igne altaris holocauſtorum. Tunc verò dabuntur *tubæ*, quibus alii *Angeli* & dein-
canent. ceps.

At quamvìs dicatur nunc in textu, quòd *quatuor animalia, & viginti quatuor Seniores haberent ſinguli citharas, & phialas aureas plenas thymiamatum*, & quòd *cantarent*, non id intelligendum eſt, quaſi ſinguli Sancti quatuor illis animalibus deſignati haberent citharas, & phialas aureas

aureas, atque canerent : Manifeſtum eſt enim eum, qui canit citharâ,
tenere unâ manu citharam , & alterâ illam pulſare : quare neutrâ manu
poteſt tùm phialam geſtare. Idem dicendum eſt de unoquoque viginti Se-
niorum. Itaque hæc verba, *habentes ſinguli citharas, & phialas aureas*,
referenda ſunt, non conjunctim, ſed diviſim, ad quatuor animalia, &
ad viginti quatuor Seniores; ita ut ſenſus ſit, quòd ſinguli Sancti ex qua-
tuor animalibus myſticis haberent citharam, & ſinguli Sancti ex viginti
quatuor Senioribus haberent phialam auream.

Exemplum illius formulæ loquendi Apocalypſis, & hujus noſtræ ex-
plicationis perſpicuum, & valdè conſentaneum præbet nobis textus libri
2.Par.5. ſecundi Paralipomenon capite quinto, ubi ſic legitur; *Tam Levitæ, quàm*
v.12.13. *Cantores cimbalis, & pſalteriis, & citharis concrepabant; & cum eis Sa-*
cerdotes centum viginti canentes tubis. Igitur cunctis pariter & tubis, &
voce, & cimbalis, & organis, & diverſi generis muſicorum concinentibus
ſonitus audiebatur. En apponitur vox illa, *cunctis*, quæ tamen non de-
bet intelligi de Sacerdotibus, & de Levitis conjunctim, ſed dumtaxat
diviſim, hoc ſenſu, *cunctis* prædictis *Sacerdotibus canentibus tubis*: item
cunctis præfatis *Levitis, & cantoribus concinentibus voce, & diverſi ge-*
neris muſicorum organis.

Porrò, etſi hoc Apacalypſis loco ſubintelligeremus, quòd ſinguli vi-
ginti quatuor Seniores, ſicuti ſolebant Sacerdotes antiqui, canerent tu-
bis, quamvìs id non ſit neceſſe, cùm textus Apocalypſis hoc non expri-
mat; nihilominus poſſet unuſquiſque illorum viginti quatuor Seniorum
unâ manu habere phialam auream, & alterâ manu tenere tubam; eâque
inſonare idem canticum, quod ſingula quatuor animalia myſtica cane-
L.Judic.7. rent citharâ; quemadmodùm legimus quòd *trecenti viri Gedeonis tenuerunt*
v.16.20. Act.9. *ſiniſtris manibus lampades ardentes; & dextris ſonantes tubas; clamave-*
v.15. *runtque, gladius Domini, & Gedeonis.*

Ad Rom. Ex verſ.8. *phialas aureas.*

9.v.21. Profectò corpora juſtorum in terrâ degentium, & ſursùm cor haben-
1.Reg.21. v.5. rium ad Dominum, ſunt *vaſa electionis, vaſa in honorem, & vaſa ſancta*,
2.ad Tim. Divinæ Majeſtatis obſequio conſecrata. *Phialæ* etiam ſunt *aureæ*, pretio-
2.v.20.21. ſæ, & incorruptibiles tanquàm aurum, utpote *emptæ pretio magno* à
1.ad Cor. Chriſto Redemptore; *fugienteſque ejus; quæ in mundo eſt, concupiſentiæ*
6.v.20. *corruptionem*, æternam in Cœlis *incorruptionem poſſidebunt.* Illis quòque
2.Petr.1. v.4. infuſæ ſunt animæ *diligentes Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in incorrup-*
1.ad Cor. *tione*; eaumque *fides multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, in-*
15.v.53. *venietur in laudem, & gloriam, & honorem in revelatione Ieſu Chriſti.*

Ad Eph.6. v.24. Ex verſ.8. *Plenas odoramentorum.*

1.Petr.1. Hujuſmodi autem phialæ aureæ, ſacræ, ac myſticæ, *plenæ* ſunt
v.7. *odoramentis*; quippe Sanctorum corpora, & animæ ſunt *Chriſti bonus*
2.ad Cor. *odor*; iſque reconditus eſt, quia *vita* juſtorum *adſcondita eſt cum Chriſto*
2.v.15. Ad Col.3. v.3. *in Deo.*

Ex

Ex ℣. 8. *Quæ ſunt orationes Sanctorum.*

Nonnè verò orationes juſtorum, ut ait Tertullianus, *de carne pudicâ, de* Tertul. in
animâ innocenti, & de Spiritu Sancto profecta, ſunt *thymiama ſanctum Do-* Apol.
mino, & ſuaviſſimi odoris præ fragrantiâ virtutum, quibus ſunt compoſi- c. 30.
tæ? cùm è contrà *guttur, & os* peccatorum ſint *ſepulchrum patens* præ fœ- Exod. 30. v. 37.
tore vitiorum, quibus inficiuntur. C. 35.

Velim etiam notare aromata, quibus conficiebatur thymiama, fuiſſe v. 28.
æqualis ponderis: at Sancti, tùm pro ſe, tùm pro aliis orantes, ſectantur Pſ. 13. v. 3.
juſtitiam, & æquitatem; nec diverſa habent pondera, quibus ſe, & pro- Exod. 30.
ximum appendant, quandoquidem ſciant *pondus, & pondus eſſe abomina-* v. 34. Prov. 20.
tionem apud Dominum; & *diligant proximum ſuum ſicut ſemetipſos.* v. 23.

Denique *contundebantur in tenuiſſimum pulverem aromata ad compoſitio-* Matt. 19.
nem Thymiamatis puri, & ſanctificatione digniſſimi. Sed numquid non juſti v. 19.
caſtigant corpora ſua; & in ſervitutem redigunt; ac *mortificantur totâ die*, ut Exod. 30.
orationes puras, & ſanctas conficiant? v. 35. 36. 1. ad Cor.

Tales *phialas aureas, plenas thymiamatis, quæ orationes Sanctorum* in ter- 9. v. 27.
ris degentium ſignificabant, viginti quatuor Seniores in templo cœleſti ad Rom. 8.
fungentes officio Sacerdotali, cujus eſt non tantùm precari pro populo, v. 36.
ſed etiam fuſas populi orationes Deo offerre, præ ſe ferebant, tanquàm
illas oblaturi Divinæ Majeſtati.

℣. 9. *Et cantabant canticum novum.*

Concinebant olim Levitæ, & Sacerdotes in dedicatione templi pſal-
mum hunc, *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſeri-* 2. Par. 5.
cordia ejus, gratias agentes de beneficiis ſibi à Domino collatis. At novi v. 13.
illi Levitæ, & Sacerdotes in cœlo peragentes divina, & conſummati in
charitate, quâ Chriſtum magìs quàm ſeipſos attendunt, decantant *can-*
ticum novum præ gaudio gloriæ traditæ ipſi Chriſto, novo homini, ſuprà ad Heb. 2.
quoſvis homines, & Angelos in cœlis tantùm exaltato, quantùm in v. 9.
terris infrà illos ad honorem Patris, & hominum ſalutem ſeſe demiſit.

Ex ℣. 9. *Dicentes, dignus es, Domine, accipere librum, & ſolvere ſi-*
gnacula ejus, quoniam occiſus es.

Chriſtus ut Pontifex, ut Rex, ut Judex, & ut Filius Dei, morte ſuâ ſanctiſſimâ promeruit accipere librum cœleſtem, arcana divina complectentem; & illa patefacere.

Siquidem, ut Pontifex, ac ſummus Sacerdos, ſeipſum, quod antiqui Sacerdotes non præſtitere, in victimam obtulit, quò ſupremum Divinæ Majeſtati honorem, quem homines peccatis ſuis ei ſurripuerant, reſtitueret: illâ autem ſui ipſius oblatione divinâ meritò conſecutus eſt, ut juxta præfati libri cœleſtis præſcripta, idololatriam toto orbe deleat; & cultum unius Dei in omnes nationes diffundat, quod nequaquàm potuere Sacerdotes Moſaici imperfectis ſuis ritibus, & victimis: undè ipſemet
Paſſionis ſuæ mox futuræ meritum juſtis laudibus extollens, inquit, *Nunc* Joan. 12.
Princeps hujus mundi ejicietur foras. v. 31.

Chriſtus etiam ut Rex, perpeſſus eſt ab iniquo rege, & impiis militi-

Luc.23. bus ludibrio haberi, & occidi pro ſubditorum ſalute: tanta verò humili-
v.11. tate, & patientiâ, & charitate adeptus eſt imperium in quoſvis reges, &
Matth.27. populos; eoſque ſibi ſubjiciet, quemadmodùm patebit ex reſignatione
v.27.& deinceps. libri cœleſtis; & prævidit Propheta Regius, cùm dixit, *Gentes, & po-*
Pſ.2. *pulos fremuiſſe; reges, & principes conveniſſe adversùs Dominum, & Chriſtum ejus:* fore autem ut *Dominus ſubſannaret illos*, & *Chriſtus* poſſideret omnes *Gentes*; ac *reges* ſervirent ipſi.

Matth.26. v.66. Chriſtus quoque ut judex, judicatus perperàm veluti *reus* & *malefa-*
Joan.18. *ctor*, poſtpoſitus etiam *latroni*, & *cum iniquis deputatus* ad ſupplicium cru-
v.30.40. cis, meruit judicare omnes; & pœnis temporalibus, ac æternis impios, &
Luc.22. quoſvis nefarios afficere, ſicuti videbimus libro cœleſti, quem apertu-
v.37. rus eſt; quamobrem dixit Caiphæ iniquè illum judicanti, *amodò videbitis*
Matth.26. v.64. *filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus*
Matth.26. *Cæli.*

v.65. Denique Chriſtus, ut Filius Dei, condemnatus eſt, quaſi eſſet blaſ-
C.27.v.41. phemus; & illuſus eſt in cruce à Principibus Sacerdotum, & Senioribus,
42.43. quòd Filium Dei ſe dixiſſet: at tam graves injurias patientiſſimè ferens
Joan.12. meruit à cunctis coli ut Deus: undè prædixerat, *ſi exaltatus fuero à terrâ,*
v.32. *omnia traham ad me ipſum*, nempè ad mei cultum, & venerationem; idque perſpicuum faciet, cùm librum Cœleſtem ſibi datum aperuerit.

Ex ℣.9. *Et redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & linguâ, & populo, & natione.*

Verſ. 10. *Et feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terram.*

Sacra ſuadet Scriptura filios Iſraël, eorumque nomine Sacerdotes, & Levitas, qui pro illis miniſtrabant Domino, potuiſſe dicere Moyſi; tu, ſerve Dei, Moyſes, præ cæteris dignus es accipere à Deo volumen legis;
Exod.12. ejuſque nobis evolvere, & explicare mandata, & judicia, cùm in *San-*
v.5.6.22. 23. *guine agni immolati decimâ quartâ die primi menſis ad veſperam, eduxeris*
Deuter.7. *nos* ex omnibus tribubus filiorum Iſraël *de domo ſervitutis*, ac *de manu*
v.6.8. *Pharaonis Regis Ægypti, ut eſſemus Domino Deo noſtro populus peculiaris*,
Exod.19. atque *in regnum Sacerdotale, & gens Sancta*; regnemuſque ſuper terram,
v.6. quam à Deo Patribus noſtris promiſſam poſſidebimus; poſteaquàm re-
Exod.23. à v.23. ges, & populos terræ illius nequiſſimos, idololatriæ, ac quibuſlibet fla-
Deuter.7. gitiis obnoxios vicerimus.

à v.16. Hanc procul dubio laudem promerebatur Moyſes; eamque illi tribuere poterant, immò & grato animo debebant, filii Iſraël, ac eorum nomine Levitæ, & Sacerdotes perſpicaces, atque pietatem ſectantes: plerique tamen ex illis adversùs hominem Dei perſæpè murmurarunt, & obgannierunt.

Verùm Sancti, qui in Cœlo veterum illorum officia Sacerdotum, ac Levitarum mirabiliter implent, ſupplentque ipſorum defectus, erga Chriſtum, qui finis eſt legis, libenter, tàm ſuo, quàm fidelium in terris verſantium nomine, grates ei perſolvunt, quòd ipſemet tanquàm agnus ſine

maculâ

maculâ voluerit mactari, & pretioſo ſanguine ſuo ipſos, non ex Judæis tantùm, ſed etiam ex quibuſvis populis, & nationibus, eruere è ſervitute peccati, & captivitate Diaboli.

Verſ. 10. *Et feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes*, Græcè *βασιλεῖς, καὶ ἱερεῖς, & regnabimus ſuper terram.*

Gratias etiam agunt Chriſto, quòd ſegregans ipſos à peccatoribus, atque ſubjiciens ſuæ ſanctæ ditioni, aſciverit in regnum ſuum Cœleſte; & ſactos miniſtros æterno cultui Divinæ Majeſtatis ſuæ addixerit.

Tandem immortales ei gratias rependunt, quòd in ejus confeſſione nominis morientes, poteſtatem Regiam conſecuti ſint in eos, à quibus perſecutionem fuere perpeſſi. *Oportet* quidem *illum regnare, donec ponat inimicos ſub pedibus ejus.* At ea ipſius eſt bonitas, ut quemadmodùm ſocios paſſionum ſuarum illos effecit, ita velit eſſe conſortes regni ſui; & quia tantiſper propter ipſum deſpecti ſunt ab impiis, non modicos à fidelibus honores conſequantur: dixit enim, *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum.* 1. ad Cor. 15. v. 25. 1. Reg. 2. v. 30.

EXPLANATIO XIX.

De laude, quæ tribuitur ab Angelis Chriſto tanquam agno Dei pro hominibus immolato, ex verſu undecimo, & duodecimo Capitis quinti Apocalypſis.

VERS. 11. Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & ſeniorum; & erat numerus eorum millia millium.

℣. 12. Dicentium voce magnâ, dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Divinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.

Verſ. 11. *Et vidi, & audivi vocem Angelorum multorum.*

QVEMADMODÙM inſignis inter Prophetas Majores Daniel vidit aliquando plurimos Angelos *Miniſtrantes, & aſſiſtentes* Domino ſuper ſolium ſedenti, in cujus conſpectu *aperti ſunt libri*, quibus continebantur judicandorum, præſertim Regum impiorum, cauſæ: ita Dilectus Diſcipulus intuitus eſt legiones Cœleſtium Daniel. 7. v. 9. 10.

Spirituum aſtantium Chriſto, ſimul ac conſpexit ipſum inſidentem throno cœleſti, & accipientem librum, in quo conſcriptæ ſunt variæ ſententiæ, quas editurus eſt in gratiam fidelium adversùs infideles populos, & Imperatores.

Ex verſ. 11. *In circuitu throni.*

Quantùm fas eſt ex Scriptura allegoricè explicatâ conjicere, dixerat quidem Lucifer tumidus ſuperbiâ cum Angelis ſuis Deo rebellibus, *in*
Iſai. 14. *Cœlum conſcendam; ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum; ſimilis ero Altiſſi-*
v. 13. 14. *mo:* ſed Sancti illi Angeli, quos Joannes vidit, humiles, & Deo ſubjecti, non alium ſibi honorem vendicant, quàm ut thronum Chriſti Domini, velut ejus miniſtri, ac ſatellites, circumambiant, paratiſſimi omnia ipſius mandata, & judicia exequi.

Ex verſ. 11. *Et animalium, & Seniorum.*

Tanta etiam illorum eſt humilitas, & reverentia erga Chriſtum, quem hominem Deum norunt, ut locum dent libenter animabus hominum ab ipſo in Cœlum aſſumptis; concedantque illas throno Chriſti propiùs
ad Heb. 2. conſiſtere quàm ipſoſmet, propterea quòd Filius Dei *non Angelos, ſed ſe-*
v. 16. *men Abrahæ apprehenderit*; fueritque natura humana, non Angelica, ad thronum Divinitatis in ipſo Chriſto evecta.

Præterea ſciunt Chriſtum, quamvìs eſſet *Rex gloriæ*, eò uſque ſe deje-
Iſai. 53. ciſſe, ut fieret *noviſſimus virorum*; & ut extremam illam ipſius hu-
v. 3. militatem colant, ac imitentur Angeli, ſeipſos ultrò poſt homines in Cœlum à Chriſto vocatos collocant.

Tanto quòque Angeli paſſiones Chriſti Domini habent in honore, ut æquum ducant homines, qui ei diù multùmque, & magnâ pietate compaſſi ſunt, glorificari cum eo multò magis quàm ipſos, qui, quia ſpiritus incorporei ſunt, & beati, ſemper impaſſibiles fuere.

ad Heb. 1. Denique glorian tur Cœleſtes illi Spiritus, quòd *adminiſtratorii* fuerint
v. 14. Sanctorum illorum, *qui hereditatem ceperunt ſalutis*; eoſque maximâ jucunditate circumambiunt coram Chriſto, quaſi dicentes ei, Ecce, quos dediſti nobis cuſtodiendos, cuſtodivimus; atque benignitate tuâ, & noſtrâ qualicumque ope vallavimus, ut ad te tandem in æternam gloriam tuam pervenerint.

Ex verſ. 11. *Et erat numerus millia millium.*

Dan. 7. Ea eſt Angelorum multitudo, ut propemodùm ſit innumerabilis: tamen
v. 10. illorum ab hominibus indefinitum numerum Daniel in primis, ac deinde Joannes ad *millia millium* revocat, quò perfectionem illorum expletam, &, ut ita dicam, numeris ſuis reſpectu hominum abſolutam indicet. Etenim numerus ille millia millium, ſeu millies mille, coaleſcit, primò ex decem unitatibus quæ efficiunt denarium, perfectionis indicium; ſecundò ex decies decem, quibus conficiuntur centum; tertiò ex decies centum, quibus oriuntur mille; quartò ex decies mille, quibus exurgunt decem millia; quintò ex decies decem millibus, quæ producunt centum millia; ſextò ex decies centum millibus, quæ myriadem, ſeu millionem complent. Sic

Digitized by Google

ex illis ſex multiplicationibus, ab unitate per decem profectis, & millionem conficientibus, deſignatur multitudo Angelorum ab uno Deo creatorũ, tàm perfecta, ut nihil illi deſit ad regendũ ſub unius Dei ſummè perfecti authoritate homines, quos ipſemet Deus produxit die creationis ſexto.

Verſ. 12. *Dicentium voce magnâ.*

Tot & tàm perfecti Spiritus Cœleſtes eximiâ charitate, & *voce magnâ*, tanquàm exultantes de gloriâ Chriſti, & congaudentes Sanctis illis animabus, quas in Regnum Cœleſte ſuis præſidiis, & gratiâ Salvatoris perduxerunt, eumdem Chriſtum Dominum, quantis poſſunt laudibus, proſequuntur, ac dicunt,

Ex verſ. 12. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & Divinitatem.*

Autographum habet λαβεῖν τὴν δύναμιν, καὶ πλοῦτον, accipere poteſtatem, & divitias. Quare Fromondus eruditè notat *duas illas voces θειότης, quæ Divinitatem, & πλοῦτος, quæ divitias ſignificat, longiſſimè diſtare, ut una in aliam propter vicinitatem non facilè commutari potuerit. Vndè Barth. Petrus credit noſtrum Interpretem vertiſſe divitatem vocabulo abſtracto, & ficto à dives: Quod poſteà librarii non intelligentes, unâ ſyllabâ additâ, mutaverint in Divinitatem. Vixiſſe enim videtur noſter Interpres ſub Imperatoribus Antoninis, quandò multi eruditi, veteris eloquentiæ amore, verba Latinæ linguæ obſoleta revocabant in uſum; aut etiam nova interdùm, ad expreſſiùs aliquid ſignificandum, liberiùs fingebant, ut in Suetonio, A. Gellio, Apuleio, Tertulliano, & aliis illorum temporum ſcriptoribus eſt videre. Aut certè pro, Divitias, Interpres conſultò vertit Divinitatem, ut ſignificaret fontem omnium, tàm temporalium, quàm ſpiritualium divitiarum, quæ in creaturas rationales manant, eſſe Divinitatem, & infinitum illud boni pelagus undiqueſui diffuſivum.* Hæc Fromondus. Fromondus in Apocalyp.

Ex verſ. 12. *Et Sapientiam, & fortitudinem.*

Cùm Chriſtus tàm verè ſit Deus, quàm verè homo, habebat in ſe *Divinitatem*, & *Sapientiam*, & *poteſtatem*, & *fortitudinem*, quæ Deo convenit, infinitam; ſed videbatur vires illius reprimere, & ſic quodammodo eam non habere, dùm Ethnicam perſecutionem Deo uni quàm maximè adverſantem tolerabat; & perſecutores Eccleſiæ ſuæ infenſiſſimos diutiùs patiebatur. Quamobrem zelo Divinæ Majeſtatis Chriſti, & amore Chriſtianæ Religionis flagrantes Angeli peroptant, ut Chriſtus *Divinitatem*, *ſapientiam*, *fortitudinem*, *poteſtatem*, ſibi convenientem exerat; ac quâdam ratione ſibi ab impiis ereptam vendicet, tùm in ipſoſmet impios, quos dejiciat; tùm in gratiam piorum ejus cultorum, quos potentiſſimè tueatur, & ſupra quoſvis adverſarios evehat.

Crucifixus eſt ex infirmitate ultrò ſuſceptâ; nec voluit *rogare Patrem, qui exhibuiſſet illi pluſquàm duodecim legiones Angelorum* adversùs turbam Iudæorum, & cohortem gentium; ejuſque Crucis prædicatio *Iudæis ſcandalum* videtur, *gentibus autem ſtultitia*: Sed dignus eſt tùm Divinitate ſuâ, ejuſque perfectionibus immenſis, tùm merito patientiæ ſuæ infinito 2. ad Cor. 13. v. 4. Matth. 26. v. 53. 1. ad Cor. 1. v. 23.

re ipſâ oſtendere Judæis, & gentibus, quòd, etſi voluntariè crucifixus
1. ad Cor. 1. v. 24. ſit, tamen reverà eſt Dei filius, *Dei virtus, & Dei ſapientia.*

Ad Col. 2. v. 15. *Expoliet fortitudine* ſuâ *principatus, & poteſtates* nequam, everſis illorum delubris, aris, & idolis; ac omnes divitiæ profundantur in cultum illius, qui omnes homines ſanguine ſuo pretioſo redemit.

Ex ℣. 12. *Et honorem, & gloriam, & benedictionem.*

Lament. 3. v. 30. *Saturatus eſt opprobriis* in paſſione ſuâ; & *factus maledictum pendens in*
Ad Gal. 3. v. 10. *ligno:* Verùm pro rantis contumeliis, ac blaſphemiis, quas perpeſſus eſt, ut afficeret honore, gloriâ, & benedictione genus humanum, meretur &
Ad Philip. 2. v. 11. ipſe ab omnibus hominibus omnem *honorem, gloriam, & benedictionem;* adeò ut *omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei Patris.*

EXPLANATIO XX.

Laudis, quæ redditur ab omnibus creaturis Chriſto; aſſenſus quatuor Animalium myſticorum in illam laudem; & adorationis profundæ viginti quatuor Seniorum erga eumdem Dominum, duobus ultimis verſibus Capitis quinti Apocalypſis.

VERS. 13. Et omnem creaturam, quæ in Cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terrâ, & quæ ſunt in mari, & quæ in eo, omnes audivi dicentes.

Græcè *τὰ ἐν αὐτοῖς πάντα*, quæ in illis omnia.

Ex verſ. 13. *Sedenti in throno, & agno, benedictio, & honor, & gloria.*

Pſ. 145. v. 5. PSALTES Regius perſæpè miratus eſt *Cælum, & Terram, Mare, & omnia, quæ in eis ſunt;* cunctarumque rerum illarum laudavit Creatorem.

Pſ. 148. Invitavit etiam nonnumquàm ſingulas illas creaturas ad laudandum eum, qui mirabili bonitate, & ſapientiâ ſingulari, ac ſtupendâ potentiâ ipſas condidit.

Pſ. 18. v. 2. & 5. Divinâ quòque luce illuſtratus, & raptus Spiritu Dei, cecinit *Cælos enarrare gloriam Dei; eorumque verba pervenire in fines orbis terræ;* nec eſſe ullam

Digitized by Google

ullam gentem tàm barbaram, aut rudem, quæ, ſi advertat, non percipiat *voces eorum.*

Porrò voces Cœlorum, cæterarumque creaturarum, in laudem ſui Creatoris effuſæ, ſunt perſpicuitas, & evidentia conditionis illarum, quâ convincunt cujuſvis animum probè affectum, quòd ipſæ non ſemetipſas fecerint, ſed alius ſummè ſapiens, & potens illas condiderit.

Conſimili fermè modo Joannes, raptus divino Spiritu, audivit mirabilem concentum *Cœli, & terræ, maris, & omnium, quæ in eis ſunt*, laudantium Chriſtum, ut Deum Creatorem omnium, inſidentem throno Cœleſti, ac ut hominem, qui occiſus, veluti agnus, patientiâ mortis ſuæ ſanctiſſimæ meruit *inſtaurare omnia, quæ in Cœlis, & quæ in terrâ ſunt*; quæque peccato primorum hominum, quibus ſubjacebant, fuere corrupta. ad Eph. 1. v. 10.

Sanè, dùm Adamus erat innocens, dominabatur ſanctè omnibus creaturis; eæque ipſi libenter ſerviebant ad gloriam ſui Conditoris: ſed poſteaquàm peccavit Adam, ejuſque peccatum *in omnes homines pertranſiit, vanitati filiorum* Adæ ſceleſtorum *ſubjecta eſt non volens omnis creatura*; *ingemiſcit*que; & vim *parturienti* ſimilem patitur, donec *liberetur à ſervitute* illâ *corruptionis* peccati hominum; atque ita vendicetur *in libertatem gloriæ filiorum Dei*, ut quemadmodùm Sancti, ac Filii Dei ſerviunt uni Deo, Patri Cœleſti; ſic ipſa nonniſi Deo, ejuſque filiis obſequatur propter illum. Eam in ſpem omnis creatura ſuo modo, quem Conditor ejus novit, Chriſtum Deum & hominem, Creatorem, & inſtauratorem ſuum, *honorat*, *benedicit*, ſeu laudat, *& glorificat.* ad Rom. 5. v. 12. ad Rom. 8. v. 20. 21. 22.

Ægrè etiam ferunt Cœlum, ſidera, tellus, & mare, quòd adorentur ab Ethnicis tanquàm Dii, impendaturque illis cultus ſacer, qui uni Deo Creatori illorum debetur. Quapropter, quantùm in illis eſt, efflagitant, ut illi uni ſit *benedictio, honor, & gloria.*

Ex ℣. 13. *Et poteſtas in ſæcula ſæculorum.*

Summam in omnia poteſtatem exerceat Summus omnium Dominus; eique omnes creaturæ, tàm rationis compotes, quàm aliæ quæcumque, Sanctiſſimæ ejus voluntati ſubſint. Quod ſi nationes idola, quibus ſerviunt, non rejiciant, & illum unum Deum non adorent, *armet omnem creaturam zelus illius, ad ultionem inimicorum*; & efficiat *ut pugnet cum illo orbis contrà inſenſatos.* Sap. 5. v. 18. 21.

Impotens judicatur ab impiis, quòd non ſtatim puniat illos, qui ipſum graviter offendunt: oſtendat in eos, niſi ſe emendent, omnipotentiam ſuam, injurias ſibi illatas vendicaturus; domineturque illis cum ſeveritate, niſi benignitatem illius agnoſcant; eique ultrò ſeſe ſubjiciant.

℣. 14. *Et quatuor animalia dicebant, Amen.*

Beati illi, ex hominibus in Cœlum aſſumpti, qui tanquàm Levitæ Cœleſtes ſunt in templo gloriæ Chriſti, juſta illa omnium Creaturarum erga Creatorem ſuum, & reparatorem deſideria approbant; confirmant; & exhibent ipſimet Chriſto, ut ea accepta habeat, & opere compleat.

Digitized by Google

Ex verſ.14. *Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas, & adoraverunt viventem in ſæcula ſæculorum.*

Sancti verò, qui officium Sacerdotale miro modo peragunt in Cœlo, quamvìs ſuperiores ſint Levitis dignitate, ac ſanctitate; tamen, ut majorem Chriſto deferant honorem, magìs ſeſe humiliant coram illo, juxta
Ecclic.3. Sapientis conſilium, *Quantò magnus es, humilia te in omnibus; & coram*
v.20. *Deo invenies gratiam; quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.*

Non loquuntur, quia Dominus novit corda illorum effuſa in conſpectu
Luc.1. ipſius: ſed adorant eum redivivum à morte, & *viventem in ſæcula ſæculorum,*
v.32. ut *regnet in æternum. Humiliant* ſe ei; *& expectant manum ejus*, in adver-
Ecclic.13. ſarios Divinæ Majeſtatis illius. Non *diſcedent* ab illâ ſuâ humili proſtra-
v.9. Ecclic.35. tione, *donec Altiſſimus aſpiciat: & Dominus non elongabit; ſed judicabit*
v.21. 22. *juſtos, & faciet judicium. Et fortiſſimus non habebit in illis patientiam; & gen-*
23. *tibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem ſuperborum, & ſceptra iniquorum contribulet*, ſicuti patebit ex reſignatione ſigillorum libri cœleſtis, quæ jamjam explicaturus ſum Deo dante ad æternam ejus gloriam.

EXPLANATIO XXI.

Quâ duobus primis verſibus Capitis ſexti Apocalypſis, primi ſigilli libri cœleſtis reſignatio, inſidentem equo albo, habentem arcum, & coronam, ac vincentem exhibens, explicatur de inſigni victoriâ ab Agarenis mirabiliter reportatâ, ſub ſpecie arcus inſoliti, aliorumque ſupernorum portentorum, adversùs equitatum, & exercitum Trajani Chriſtianorum perſecutoris, & ſuperbi innumerarum gentium victoris.

VERS. 1. Et vidi quòd aperuiſſet agnus unum de ſeptem ſigillis; & audivi unum de quatuor animalibus dicens, tanquam vocem tonitrui, veni, & vide.

℣. 2. Et vidi; & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper

illum,

illum, habebat arcum; & data eſt ei corona; & exivit vincens ut vinceret.

Verſ. 1. *Et vidi quòd aperuiſſet agnus unum de ſeptem ſigillis; & audivi unum de quatuor animalibus.*

STATÌM atque Chriſtus Dominus ſolvît ſignaculum primum libri cœleſtis, primus ex illis quatuor Sanctis, antiquorum Levitarum officia mirificè complentibus in Cœlo, quique ſub figurâ quatuor animalium myſticorum oſtenſi ſunt Joanni, compellavit eum; excitavitque mentem ipſius ad contuendum ea, quæ ſub illo ſigillo continerentur.

Ex ℣. 1. *Tanquam vocem tonitrui.*

Cùm autem ſacratum illud animal ſpeciem leoninam præ ſe ferret, irrugiit vehementer; vocemque emiſit tàm ingentem, ut non abſimilis eſſet fragori tonitrui. Quippe indicaturus erat Dominum *tendentem arcum ſuum, & mittentem ſagittas ſuas; fulgura multiplicantem, & conturbantem* impios. Apoc. 4. v. 7. Pſ. 7. v. 13. Pſ. 17. v. 15.

Ex verſ. 1. *Dicens, veni, & vide.*

Dixerat olim Regius Propheta, *conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna. Dedit vocem ſuam, mota eſt terra. Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella uſque ad finem terræ. Arcum conteret, & confringet arma; & ſcuta comburet igni. Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus: Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terrâ.* Pſ. 45. v. 7. 9. 10. 11.

Ita primus ille Sanctus, tanquam præcentor inter Cœleſtes Levitas, qui quondam aſſueverant Pſalmos decantare, intonans voce forti, quæ eſſet indicium vocis Domini, conturbaturi Ethnicos, eorumque regna dejecturi, dixit Joanni, *Veni, & vide* mira, quæ facturus eſt Dominus, perſecutorem populi ſui profligans, & oſtendens ſe eſſe Deum ab omnibus gentibus colendum.

Verſ. 2. *Et vidi; & ecce equus.*

Equus apparet ad prælium, quo vincatur, ut poſtea patebit, Imperator Chriſtianorum perſecutor. Etenim ex deſcriptione luculentâ, quæ videtur libro Job, *Equus exultat audacter; in occurſum pergit armatis; contemnit pavorem; nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & clypeus. Ubi audierit buccinam, dicit Vah. Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus.* Job 39. v. 19. 21. 22. 23. 25.

Ex verſ. 2. *Albus.*

Equus autem ille, quo vehitur præliaturus nomine Domini, eſt *albus*, in ſignum lætitiæ, quâ exultat ad currendam viam tùm ſtadii, tùm campi ſibi propoſiti ad certamen. Candor quòque, qui ex omnibus coloribus eſt puriſſima lucis participatio, ſinceritatem, & juſtitiam apprimè fulgentem pugnantis indicat. Quamobrem alio Apocalypſis loco, ubi Imperator

Hervéus in Apocalypſim.

Chriſtianus Tyrannos Ethnicis faventes vincit, perſpiciemus, quòd is, Apoc. 19. v. 11. *qui ſedebat ſuper equum album, vocabatur verax, & cùm iuſtitiâ pugnat.* Albedo etiam omen eſt felicis ſucceſſus, & victoriæ: undè ſequenti capite, Sancti *Stantes ante thronum Chriſti, apparent amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Apoc. 7. v. 9.

Ex verſ. 2. *Et qui ſedebat ſuper illum.*

Zachar. 9. v. 9. Matth. 21. v. 5. 7. 10. ad Heb. 2. v. 9. Chriſtus, qui, cùm eſſet in terris *pauper, & manſuetus*, tametſi *Rex, intrans Ieroſolymam* plurimo cum comitatu, *ſuper aſinam ſedit*; nunc in Cœlis degens, *gloriâ, & honore coronatus*, apparet ſub ſpecie Angeli inſidens equo, tanquàm pugnaturus victrici ſua virtute adversùs hoſtes ſuos, equis ferociſſimis gloriantes.

Ex verſ. 2. *Habebat arcum.*

Juſtè Chriſtus Dominus, qui pro ſalute ſubditorum paſſus eſt funibus Ioan. 18. v. 12. *ligari*, & ligno crucis, manibus in eo hinc, & indè extentis, affigi, ſumit arcum, chordâ, & ligno, cui illa utrinque obtenditur, conſiſtentem. Ioan. 19. v. 34. 37. Præterea, cùm propter iniquitates hominum *latus ejus transfixum fuerit lanceâ*, meritò adeptus eſt vim, ſicuti prævidit Propheta Regius, *ſagittis* Pſ. 44. v. 6. *acutis* transfigendi *corda inimicorum* ſuorum.

Ex verſ. 2. *Et data eſt ei corona.*

Quia Chriſtus *ſpinis* coronatus fuit ex ludibrio Regiæ ſuæ Majeſtatis, dignus eſt, qui coronam eximiam accipiat velut ornamentum ſuæ ſummæ poteſtatis, quam omnes in honore habeant, & in ſignum præclaræ victoriæ à ſe reportandæ.

Ex verſ. 2. *Et exivit vincens ut vinceret.*

Dudùm ſuperavit Chriſtus pietate ſuâ tentationes Diaboli in deſerto; profligavit fortitudine divinâ dæmones, quos ejecit è corporibus energumenorum; vicit virtute ſuâ, & ſanctitate calumnias impiorum, ac blaſphemias; devictâque morte triumphum egit de Judæis, qui illum in crucem adegerant. Nonnè etiam tempore, quo Apocalypſim dabat Joanni, ad Col. 1. v. 13. jam ſubjecerat ſibi magnam partem gentium, quas *ereptas de poteſtate tenebrarum tranſtulerat in regnum ſuum?* Quidni tot, tantiſque victoriis reportatis adipiſcatur cognomen victoris; dicaturque *vincens*, utpote aſſuetus vincere? Præviæ autem illæ victoriæ futurarum ſunt præſagia non dubia. Quapropter prodivit ut novas de hoſtibus ſuis victorias compararet.

Cùm verò ille equo albo inſidens, habens arcum, & progreſſus ut vincat, viſus fuerit ex reſignatione primi ſigilli libri cœleſtis, arbitror eo ſigno ſignificatam fuiſſe victoriam primam, quam Chriſtus Dominus laturus erat de Trajano Chriſtianorum perſecutore, qui de ſuis adversùs innumeras nationes victoriis ſuperbiebat.

Confirmor in illâ ſententiâ, quòd aperturam ſecundi ſigilli, proximis Apoc. 6. v. 4. verſibus teferendam, quâ dicuntur homines *ſe invicem interficere*, explicaturus ſim perſpicuè de Romanorum, & Judæorum, qui ambo Chriſtianos perſecuti ſunt, alternis cædibus, quæ contigere ſub Trajano, & Adriano.

Animadverto

Animadverto itaque ex Dione Caſſio, quòd *Trajanus jactabat ſe ultrà, quàm Alexander penetraſſet, progreſſurum: id quod Senatui per Epiſtolam ſignificavit. Nomina prætereà victarum à ſe gentium Senatui nuntiavit, quarum numerus tantus erat, ut vix recenſeri, aut numerari poſſent. Triumphalis tunc arcus, præter alia multa, quæ in honorem ejus, & decreta, & facta fuerant, in illius foro ſubſtructus eſt.*

Dion Caſſius de Trajano.

At, inquit Baronius, *magna profectò tentatio Chriſtianis, qui fide nutarent, ejuſmodi Trajani immenſa felicitas fuit: Cujus quidem rei exemplum perſpicuum ſatis apud Lucianum extat in Dialogo illo, qui inſcriptus eſt Philopater; in quo cùm multa inſumpſiſſet verba Triephon quidam, ut Critiam redderet Chriſtianum, ad extremum perlatum eſt nuncium ejuſmodi de rebus benè geſtis à Romano Imperatore adversùs hoſtes. Quod cùm accepiſſet Triephon ille, de Chriſtianâ fide nihil loqui auſus eſt ampliùs; ſed factus eſt planè deſertor.* Hæc Baronius.

Baron. an. Chr. 114. n. 11.

Verùm ex Dione Caſſio, *Trajanus* paulò poſt *Arabiam petiit; Agarenoſque rebellantes adortus eſt. Erat illorum Civitas parva; neque admodùm copioſa. Equites Trajani juſſu ſemel murum ſubeuntes, gravi detrimento affecti in caſtra continuo rediere. Ipſe etiam Trajanus urbi ſine regio ornatu oberrans, ut hoſtem falleret, penè vulneratus fuit. Generoſa canities, & oris Majeſtas Principem prodidit; & quis foret in ementito habitu facilè oſtendebat. In eum igitur, quem Regem ſuſpicati erant, ſagittas frequentes conjecere, quarum tanta fuit vis, ut qui ponè Cæſarem ſequebatur, transfixus fuerit.*

Dion. Caſſius de Trajano.

Prodigia ibi multa facta ſunt, tonitrua, atque fulgetra; arcus ingens in Cœlo viſus; tempeſtas, & grandines immenſæ. Præterea, quod monſtro ſimile exiſtimatum eſt, quoties Romanus cum hoſte manus conſereret, ictu fulminis avertebatur. Orta ſubitò muſcarum vis, eduliis, & poculis inſidens, fœda contactu cuncta, Romano gravia, & moleſta faciebat.

Digrediens itaque indè Trajanus, morbo primùm tentatur. Expeditionem in Meſopotamiam parabat, à quâ ingraveſcente morbo deterritus eſt. Ælio Adriano in Syriâ cum legionibus relicto, ipſe in Italiam navigare cœpit. Eum gravior morbus oppreſſit. Stupore ita membra reſoluta ſunt, ut pars corporis defecta ſenſu aliquandiù manſerit. Mox apud Selinuntem Ciliciæ urbem defectus, ibique ſtatìm extinctus eſt.

Quæ cùm ita ſint, oſtenditur Sancto Joanni Angelus, authoritate Chriſti, *equo albo inſidens,* qui inviſibili virtute, & viſibili effectu equitatum Trajani à muris Agarenorum repelleret; cumque *gravi detrimento afficeret.*

Angelus is videtur *habere arcum:* undè & in illâ propugnatione civitatis Agarenorum contra Trajanum *arcus ingens in Cœlo viſus eſt,* haùd dubiè præter naturam, & ſolito major, cùm tanquàm aliquid inſolitum, & inter portenta referatur; & Caſſius ſingulariter notet fuiſſe *ingentem.* Adde quòd ex contextu verborum ejuſdem Hiſtoriographi veriſimile ſit *arcum illum cœleſtem tonitruo, fulgetris, tempeſtati, & grandinibus immenſis* conjunctum fuiſſe; vel ſaltem paulò antè præceſſiſſe: Quod certè præter na-

Dion Caſſius de Trajano.

turam eſt : Nam iris nonniſi in nubeculâ roridâ Soli placidè irradianti
oppoſitâ conſuevit apparere.

Sed & Angelus à Beato Joanne videtur *arcum habere*, ut ſignificet ſe
plurimas per manus Agarenorum in exercitum Trajanicum *ſagittas conje-
cturum*; ad idque eos excitaturum.

Præterea, referente Dione, *quoties Romanus cum hoſte manus conſereret,
ictu fulminis avertebatur* : atque iccirco *monſtro* illo, uti tale *exiſtimatum*
Pſ.17.v.15. *eſt*, Dominus oſtendit ſe juxta verba Prophetæ Regii *miſiſſe ſagittas ſuas*;
& diſſipaſſe adverſarios; *fulgura multiplicaſſe*, *& conturbaſſe eos.*

Dion Caſſius in Trajano. Nec prætereundum eſt, cùm *Trajanus nomina victarum à ſe gentium Se-
natui nuntiavit*, *arcum triumphalem in ejus honorem fuiſſe ſubſtructum.* At
Cœli, & terræ Creator, ac Dominus ſuperbiam illius Imperatoris im-
pii deſpectam voluit à populo Chriſtiano ſibi addicto; ac propterea mi-
rabilem extulit in Cœlo arcum, victoriæ ſuæ, ac triumphi de Trajano
præclarum ſignum; ut quiſque illum religioſâ mente conſpiciens ſibi ipſi
Ecclic.43. v.12.13. diceret, *vide arcum*; *& benedic eum*, *qui fecit illum : Valdè ſpecioſus eſt
in ſplendore ſuo. Gyravit Cœlum in circuitu gloriæ ſuæ : manus Excelſi
aperuerunt illum.*

Poſtremò, Trajanus arcu illo Cœleſti, ac iis, quæ vel conjuncta, vel
conſecuta ſunt, tonitruis, fulgetris, & grandinibus immenſis, expugna-
Dion Caſſius de Trajano. tus, ac coactus indè *digredi*, *morbo primùm tentatur*, *quo deinceps ingra-
veſcente oppreſſus eſt*, *& extinctus*; ita ut ad gloriam Domini fas ſit dice-
Pſ.57.v.8. re quod de illo Pſaltes cecinit, *ad nihilum devenient*; *intendit arcum ſuum*,
donec infirmentur.

Corona autem ei, qui Chriſtum Regem regum exhibebat, *data eſt*, ut
ſignificaretur illum meritò conſecuturum gloriam coronæ, quam cum
2.Reg.12. v.30. imperio, & vitâ adimeret Trajano, quemadmodùm *David Regis* Ammo-
nitarum à ſe devicti tulit diadema, *& impoſuit ſuper caput* ſuum.

Propterea Angelus is nomine Chriſti dicitur *exiviſſe vincens*, *ut vin-
ceret.* Quem quæſo? non militem, aut Ducem qualemcumque, ſed Im-
peratorem; & Imperatorem hactenùs invictum, deque victoriis immen-
ſis à ſe reportatis ſuperbientem. Ubinam verò illum vicit? ad *Civita-
tem parvam*, *neque admodum copioſam* ſuperavit Trajanum, qui ut gentes,
ita & urbes innumeras, magnas, opulentiſſimas, ac validiſſimas expu-
gnaſſe gloriabatur.

Gen.16. v.1.10. c.25. à v.12. Non parva ſanè cenſenda eſt illa Chriſti Domini victoria de Trajano;
juſtèque ad Civitatem, à filiis Agar ancillæ Abrahæ denominatam, re-
preſſa fuit, atque edomita ſuperbia Imperatoris impii, qui Chriſtianos,
veros Dei ſervos, & ſecundùm fidem, ac ſpiritum filios Abrahæ, perſe-
cutus fuerat.

Certè Principem hujus mundi Dæmonem, innumerorum hominum
ſuperbum victorem, habemus hoſtem infenſiſſimum : tenues autem, &
infirmi ſumus : Sed confidamus in Chriſto; cjuſque præceptis adhærea-
mus : Ipſe pro nobis expugnabit horrendum adverſarium; cumque divinâ
virtute

Digitized by Google

virtute Salvatoris corroborati ſubigemus, modò nobis ſit præ manibus arcus amoris Dei: ait enim Paulus, *ſi Deus pro nobis, quis contra nos? In his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos.* Ad Rom. 8.v.31.37.

EXPLANATIO XXII.

Secundi ſigilli libri cœleſtis, tertio, & quarto verſu Capitis ſexti Apocalypſis, ſumptam pacem de terrâ, & gladium magnum, quo ſe invicem interficiant, innuentis, de alternis Romanorum, & Iudæorum cædibus ſub Trajano, & Adriano.

Vers. 3. Et cùm aperuiſſet ſigillum ſecundum, audivi ſecundum animal, dicens, Veni, & vide.

ỷ. 4. Et exivit alius equus rufus; & qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei ut ſumeret pacem de terrâ, & ut invicem ſe interficiant; & datus eſt ei gladius magnus.

Verſ. 3. *Et cùm aperuiſſet ſigillum ſecundum, audivi ſecundum animal, dicens, Veni, & vide.*

Cum Salvator *aperuiſſet ſigillum ſecundum* libri Cœleſtis, alter Cœlitum viſus ſub ſpecie bovis, hortatus eſt Joannem ut mentem attolleret; & quid ſub illo ſigillo contineretur animadverteret. Apoc.4. v.7.

Ideò verò Spiritus ille Cœleſtis ſub ſpecie bovis, ſive tauri, excitavit Joannem, ut conſpiceret clades futuras ex bellis mox orituris, uti ſtatim explicabo, quòd taurus exaſperatus ferociſſimus ſit; & cornibus ſuis obvios quoſque ſibi adverſantes labefactet. Undè Zacharias Propheta viſis *equis albis*, *& rufis*, quorum illi proſperos ſucceſſus Jeruſalem, hi verò funeſtos exitus Iſraëlis ſignificabant, conſpexit cœlitùs *quatuor cornua*, deſignantia quatuor Reges, ſive Aſſyriorum, ſive Babylonis, nempè Phul, Theglatphalaſar, Salmanaſar, & Nabuchodonoſor, à quibus duodecim tribus Iſraël fuerant dejectæ. *Hæc ſunt*, inquit Angelus Zachariæ, *cornua, quæ ventilaverunt Iudam, & Iſraël, & Ieruſalem.* Chri- Zach.1. v.8.14. 15.16.17. Zach.1. v.18.19.

ſtus autem Rex regum, & Dominus dominantium, ſummâ ſuâ poteſtate populos omnes, & Principes ſibi infenſos evertet; indèque, ut aiebat olim ſancta mulier Propheti ſſa, *ſublimabitur cornu Chriſti*, hoc eſt potentia, & fortitudo illius.

1.Reg.2. v.10.

✠.4. *Et exivit alius equus rufus.*

Equus ille colore ſuo rufo, ſeu rubro copioſum ſanguinem acerrimis præliis fundendum indicat.

Ex verſ.4. *Et qui ſedebat ſuper illum, datum eſt ei ut ſumeret pacem de terrâ, & ut invicem ſe interficiant.*

Quippe movenda ſunt bella atrociſſima, quibus nationes anteà pacis vinculo connexæ, & authoritatis, ac obedientiæ jure conſociatæ, ſeſe mutuò perimant.

Ex verſ.4. *Et datus eſt ei gladius magnus.*

Quo ſignificabatur magna hominum multitudo, magnâ parte orbis, trucidanda.

Illa autem viſio prophetica Joannis effectum conſecuta eſt alternis Romanorum, & Judæorum cædibus, quæ juſto Dei judicio, quòd Chriſtianos perſecuti eſſent, contigere ſub Trajano, & Adriano.

Etenim Dion Caſſius, ubi narravit quomodo Trajanus coactus fuerit digredi è Civitate Agarenorum, quam expugnare tentaverat, ſubjungit: *Per quod ſanè tempus Iudæi, qui circa Cyrenem incolebant, Andreâ duce conſtituto, Romanos, & Græcos ſine diſcrimine ſtatìm obtruncant; nec cæde contenti, humanis carnibus veſci cœpere. Horum inteſtinis ſtillante adhuc ſanguine cincti, tùm pellibus obvoluti, multos per medium uſque ad verticem diſſecuere; plures beſtiis dilaniandos objecere; alios inter ſe digladiari coëgere, ut ducenta & ampliùs hominum millia eo furore, & armis Iudæorum interiere.*

Dion Caſſius in Trajan.

Ingens item cædes ab eiſdem in Ægypto patrata fuit.

Nec minore clade Cyprii affecti fuere; ſi quidem in eâ inſulâ, duce Artemione, conſpirantes Iudæi, circiter ducenta, & quadraginta capitum millia trucidarunt.

Sed inulta clades non manſit. Nam Trajanus miſſo cum exercitu Luſio, tùm antecedentibus aliis ducibus, Iudæos, qui per univerſum ferè terrarum orbem tantùm cædis ediderant, profligavit.

Sic patet ex Dione alterna cædes horribilis Romanorum, & Judæorum ſub Trajano.

Euſeb.in Chron. ad an. Chr.118.

Euſebius etiam in Chronico refert, quòd *Iudæis Meſopotamiæ rebellantibus, præcepit Imperator Trajanus Lyſiæ Quieto, ut eos Provinciâ exterminaret, adversùs quos Quietus aciem inſtruens infinita millia eorum interfecit.*

Dion Caſſius in Adriano.

De Adriano autem ſcribit Dion, ipſum *Hieroſolymam pridem everſam rursùs habitari juſſiſſe, atque urbem Æliam Capitolinam appellaſſe, Iovi item ex adverſo Templi ædem excitaſſe. Bellum hinc, & grave, & diutinum natum eſt. Quievere tamen Iudæi ab armis, & cædibus, Adrianum veriti,*

qui

Digitized by Google

qui per ea tempora vicinis in locis conſtiterat. Poſtquàm verò longiùs Adrianus abſuit, palam in arma vertuntur. Impetus eorum Romani primùm contempſere. Verùm poſteàquam univerſa Provincia tumultuata eſt, & qui ubique gentium erant, cum eis conſpiraverunt, tunc cognovere quàm grave, & periculoſum bellum exortum foret: Multa enim mala in Romanos, partim clàm, partim apertè edebant. Aſciſcere etiam multos externorum prædæ, & lucri cupiditate; & ferè, ut ita dixerim, univerſus terrarum orbis ex motu Iudæorum concuſſus fuit.

Tunc ergo Adrianus minimè cunctatus, præcipuos Romanorum duces adversùs eos miſit; quorum primus Iulius Severus in Iudæam ex Britanniâ vocatus. Hic diviſos adortus, carptim, ut quoſque poterat, comprehendens, pro multitudine militum, atque Tribunorum, tùm ab alimentis, & commeatu intercluſos, tardiùs quidem, ſed minore cum periculo penitùs oppreſſit. Pauci admodùm evaſere, atque à cæde ſuperfuerunt. Arces eorum quinquaginta celeberrimæ dirutæ ſunt. Vici ad nongentos, & octoginta quinque, qui ſanè frequentes, & nominatiſſimi erant, direpti, & mox igne conſumpti ſunt. Viri in excurſionibus, & præliis ipſis, ad quinquaginta millia cæſi fuere. Fame, morbis, ac igni ingens multitudo abſumpta eſt. Sic ferè omnis Judæa deſolata eſt.

Non fuit incruenta victoria Romanis: ſiquidem multi eorum occubuere. Quare Adrianus ad Senatum ſcribens, eo minimè uſus eſt principio, quo cæteri Imperatores conſueverant, ad hunc ſcilicet modum, Si vos, & filii veſtri valent, ego, & exercitus valemus. Hæc Dion.

Liquet igitur Judæos, atque Ethnicos Romanos, Chriſtianorum hoſtes infenſiſſimos, ſub Trajano, & Adriano mutuis cladibus ſeſe vehementer afflixiſſe, ac *invicem* interfeciſſe, ſicuti Chriſtus credentium in ſe pius, & juſtus vindex Dilecto Diſcipulo revelarat futurum.

Nam Religio Chriſtiana, non tantum ab Imperatoribus dæmonum
cultui addictis, verùm etiam à Judæis, qui Chriſtum impiè in crucem 1.ad Theſ-
adegerant, graves perſecutiones perpeſſa eſt. Id certè conſtat ex Actis, ſal.2.v.15.
& Epiſtolis Apoſtolorum, nec non pluribus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ moni- 16.
mentis, hoc præcipuè inſigni teſtimonio Juſtini Martyris, dialogo cum
Tryphone Judæo, uti etiam illud refert Euſebius. *Non ſolùm*, inquit, *vos* Juſtin.
veſtrorum improbè factorum, quæ patraſtis, non pœnituit, ſed viros tandem Martyr
ab Hieruſalem ad hoc ipſum delectos in omnes terræ oras emiſiſtis, qui pa- Dialog.
làm dicerent, ſectam quandam impiorum Chriſtianorum nuper exortam eſſe; cum Try-
aliaque recenſerent, quæ, qui nos, noſtramque vitæ rationem omninò igno- phone.
rant, nobis tanquam probra objiciant. Quare non ſolùm vobis ipſis, ſed om- Euſeb.
ninò etiam omnibus aliis hominibus damnum attuliſſe videmini. hiſt.Eccl.
l.4.c.17.

Chriſtiani autem illorum temporum tales erant, & utinam noſtri ſem- Ad Rom.
per ſine, quales deſcribit Apoſtolus, *nulli malum pro malo reddentes:* 12.v.17.
providentes bona, non tantùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus 18.19.
hominibus. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem
habentes

habentes. Non voſmetipſos defendentes , ſed date locum iræ : ſcriptum eſt enim , mihi vindicta : ego retribuam , dicit Dominus.

EXPLANATIO XXIII.

Tertii ſigilli libri Cæleſtis quinto , & ſexto verſu Capitis ſexti Apocalypſis , de penuriâ ſolius panis , non autem vini , & olei , ſub Marco Antonino , & Lucio Vero.

VERS. 5. Et cùm aperuiſſet ſigillum tertium , audivi tertium animal dicens , Veni , & vide. Et ecce equus niger ; & qui ſedebat ſuper illum , habebat ſtateram in manu ſuâ.

℣. 6. Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium , Bilibris tritici denario ; & & vinum , & oleum nè læſeris.

Verſ.6. ***Et cùm aperuiſſet ſigillum tertium , audivi tertium animal , dicens , veni , & vide.***

SIMUL ac Chriſtus reſignavit ſignaculum tertium libri Cæ-
Apoc.4. v.7. leſtis , tertium animal , anteà viſum ſub ſpecie hominis , pellexit Joannem , ut quid ſub eo ſigillo reconderetur , inſpiceret.

Nec vacat myſterio , quòd illud animal , faciem humanam præferens potiùs quàm aliud ex quatuor animalibus myſticis , prælocutum fuerit , ut oſtenderet futuræ famis ſignum. Etenim fames illa moderata erit , utpote ex ſolâ caritate *tritici , & hordei* , non autem ex penuriâ
Ad Tit. 3. v.4. *vini , & olei.* Quâ in re *apparet benignitas , & humanitas Salvatoris noſtri Dei* , miro cum moderamine plectentis graviſſimos etiam peccatores, ut libentiùs facinora ſua confiteantur , & citiùs ſeſe emendent. Illam autem eximiam benignitatem , & humanitatem hominis Dei , in Cœlo jam verſantis , quis convenientiùs quàm Cœleſtis Spiritus ſub ſpecie hominis apparens indicare potuit ?

Ex ℣. 5. *Et ecce equus niger.*

Protinùs exhibitus eſt equus , ex cujus nigredine conjicere eſt denigrandas facies ex fame ſubſecuturâ. Jeremias enim Jeroſolymitanorum famem

famem ſic deſcribit: *Parvuli petierunt panem ; & non erat qui frangeret eis. Candidiores nive, nitidiores lacte; denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Lament. 4.v.4.7.8.

Ex ℣.5. *Et qui ſedebat ſuper illum, habebat ſtateram in manu ſuâ.*

Statera illa, quam præ ſe fert ſeſſor prædicti equi, ſignificat eam fore penuriam tritici, & hordei, ut, quamvìs hujuſmodi grana, dùm abundant, ſoleant vendi copioſiſſimè per modios, aliaſque conſimiles magnas menſuras, tamen vix ſuppetant in eâ raritate ad vendendum per libras; ac propterea futurum ut vendentes, non modium, ſicuti anteà, ſed ſtateram habeant in manu. Præterea oſtendere voluit cœleſtis ille Spiritus, quòd, etſi Dominus, qui omnia poteſt, valeat Ethnicos graviter peccantes illicò perimere, nihilominus illos plectat paulatim; pœnaſque illis infligendas *diſponat in numero, & pondere.* Sap.11. v.21.

℣.6. *Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animalium dicentium.*

Animalia illa myſtica, veluti præcones Chriſti, cujus thronum circumambiunt, conjunctis animis, viribus, & vocibus proclamant ſententiam, quam juſtus Iudex adversùs Ethnicos tulit; & declarant pœnam, cui illos ſubjecit.

Ex ℣.6. *Bilibris tritici denario, & tres bilibres hordei denario.*

Ea futura eſt caritas annonæ, ut duæ libræ tritici, & ſex hordei triplo vilioris, veneant denario, ſeu decem aſſibus.

Denarius autem erat merces diurna operarii, ut conſtat ex parabolâ Chriſti de Patrefamilias, qui *conventionem fecit cum operariis ex denario diurno*; & opere illorum tranſacto juſſit diſtribui ſingulis *ſingulos denarios.* Matth.20. v.2.9.10. Chœnix autem tritici, juxta Græcum, æquivalens duabus libris, & pendens viginti quatuor uncias, efficiebat panem ſolitum comedi uno die ab operario, ſicuti adnotarunt Interpretes in hunc locum. Quare ſenſus eſt eam fore penuriam, ut diurnum lucrum operarii ſufficiat ei dumtaxat ad emendum ſibi panem diurnum; nec quicquam illi indè ſuppetat ad alendam familiam: undè futurum eſt ut plerique fame premantur, ac deficiant.

Profectò Chriſtus Dominus, cùm in terris degeret, *convocatis Diſcipulis ſuis dixit, Miſereor turbæ, quia triduo jam perſeverant mecum; & non habent quod manducent; & dimittere eos jejunos nolo, nè deficiant in viâ.* Matth.15. v.32.36. 37.38. Quamobrem ita multiplicavit divinâ ſuâ benignitate *ſeptem panes, & paucos piſciculos, ut ex eis ſaturaverit quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres.* Anteà etiam *ex quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiaverat quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.* Matth.14. v.19.20. 21. Nunc verò in Cœlis conſidens ad eam penuriam adegit Ethnicos, ut neceſſe ſit pleraſque ex eis mulieres, plures parvulos, multoſque viros torqueri fame; deficere; & interire. Undè tanta commutatio Chriſti; & tantum malum Paganis? Quia refugiunt Chriſtum Salvatorem; & falſos Deos colunt; nec volunt audire verbum Dei, ut vitam habeant.

Verùm tantæ bonitatis eſt Salvator, ut, *cùm iratus fuerit* adversùs peccatores,

peccatores , etiam tunc *miſericordiæ ſuæ recordetur.* Quocirca comminatus penuriam *tritici , & hordei* , ſubjungit :

Ex verſ.6. *Et vinum , & oleum nè læſeris.*

Cave , Cœleſtis Spiritus , Iuſtitiæ meæ miniſter, & injuriarum mihi illatarum vindex , nè , dùm triticum , & hordeum vaſtaveris , quicquam detrimenti vites , & oliveta patiantur.

Hoc præcepit juſtus , & miſericors Dominus ; fidemque faciunt hiſtoriæ monimenta id eveniſſe tempore Marci Antonini , & Lucii Veri Imperatorum.

Julii Capitolini Marcus Anton. Philoſop.

Quippe Julius Capitolinus de illis hæc refert. *Dabat ſe Marcus totum & Philoſophiæ, civium amorem affectans. Sed interpellavit iſtam felicitatem , ſecuritatemque Imperatoris , prima Tiberis inundatio , quæ ſub illis graviſſima fuit : Quæ res , & multa Vrbis ædificia vexavit ; & plurimùm animalium interemit ; & famem graviſſimam peperit. Quæ omnia mala Marcus , & Verus ſuâ curâ , & præſentiâ temperarunt.* Iſta Julius Capitolinus in Marco Antonino Philoſopho.

Julii Capitolini Antonius Pius.

Idem Author in Antonino Pio , prædeceſſore Marci Antonini , ſcripſerat hæc : *Vini , olei , & tritici penuriam, per Ærarii ſui damna , emendo , & gratis populo dando, ſedavit.*

Itaque , cùm Julius Capitolinus *vini , olei , & tritici penuriam* diſtinctis verbis expreſſerit ortam ſub Antonino Pio ; famem verò ſolùm nominaverit ſub Marco Antonino , colligo famem hanc tempore Marci fuiſſe dumtaxat ex defectu tritici , non autem ex penuriâ etiam vini , & olei ; aliòquin citatus Author ad gloriam Imperatorum Marci , & Veri expreſſiſſet tria illa , utpote quorum penuria fuiſſet ab illis Imperatoribus temperata ; quemadmodùm diſtinctè retulit ad laudem Antonini Pii iſtorum trium penuriam ſedatam.

Joël.1. v.10.

Simile quidpiam legimus apud antiquos Prophetas. Joël enim ait, *devaſtatum eſt triticum , confuſum eſt vinum , elanguit oleum.* En ſimul penuria tritici , vini , & olei , qualis fuit primùm deſcripta à Julio Capitolino ſub Antonino Pio.

Amos 4. v.6.

Amos autem Joële poſterior : *Ego* , inquit per eum Dominus , *dedi vobis ſtuporem dentium in cunctis urbibus veſtris , & indigentiam panum in omnibus locis veſtris ; & non eſtis reverſi ad me.* Ecce fames orta ſolùm ex indigentiâ panum , qualis fuit relata à Iulio Capitolino ſub Marco, & Vero ; & prædicta eſt in Apocalypſi abſque penuriâ vini, & olei.

Amos 4. v.9.

Nam idem Amos recenſet alias aliis temporibus immiſſas plagas à Deo, inter quas refert diſtinctè vinearum , & olivetorum inanitatem : *Percuſſi vos* , inquit , *in vento urente , & in aurugine multitudinem hortorum veſtrorum , & vinearum veſtrarum. Oliveta veſtra , & ficeta veſtra comedit eruca ; & non rediſtis ad me , dicit Dominus.*

Sed nec redierunt , aut converſi ſunt ad Dominum Ethnici , licèt primùm vexati penuriâ tritici , vini , & olei ſub Antonino Pio ; & poſteà mulctati tantùm indigentiâ panum tempore Marci, & Veri Imperatorum.

Quapropter

Quapropter Chriſtus ſummus, & æquiſſimus Iudex multiplicari jubet flagella, quibus attriti Pagani, vel emendentur; vel ſi in ſuâ perſiſtant impietate, prorsùs deleantur, ſicuti patebit ex ſequentium ſigillorum, libri Cœleſtis reſignatione.

Beatus homo, qui corripitur à Deo. Increpationem ergo Domini nè reprobes. L. Job. 5. v. 17.

EXPLANATIO XXIV.

Quarti ſigilli libri Cœleſtis, ſeptimo, & octavo verſu Capitis ſexti Apocalypſis, de bello, fame, & peſte tempore Galli, & Voluſiani.

Vers. 7. Et cùm aperuiſſet ſigillum quartum, audivi vocem quarti animalis, dicentis, Veni, & vide.

℣. 8. Et ecce equus pallidus; & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors; & infernus ſequebatur eum; & data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & beſtiis terræ.

Verſ. 7. *Et cùm aperuiſſet ſigillum quartum, audivi vocem quarti animalis, dicentis, veni, & vide.*

Resignato quarto ſigillo libri Cœleſtis, quartum animal myſticum, anteà viſum ſub ſpecie Aquilæ, evocavit mentem Ioannis, ut conſpiceret contenta ſub illo ſigillo ſigna belli, famis, peſtis, & belluarum in ipſos homines ſævientium. Apoc. 4. v. 7.

Congruum ſanè Cœleſti Spiritui ſub Aquilæ Symbolo delegatum munus. Rapax enim eſt aquila; & ad prædam, ut miles in *bello* currit, ſic illa volat. Roſtro, & unguibus aves, aliaque multa animalia, ſicuti miles hominem gladio, perimit, & dilacerat. *Fames*, non ſecùs ac aquila, inteſtina viſcerum corrodit; atque corpus comminuit. Vix effugit mortem quiſquis *peſte* corripitur: rara etiam avis eſt, quæ non intereat arrepta ab aquilâ. Denique, ut à canibus, lupis, aliiſque *belluis*, ſic ab aquilis vorantur cadavera; nec ferocitas leonum, aliarumque ferarum vivos homines atrociter perimentium, potuit convenientiùs exhiberi, quàm feritate aquilæ columbas, & agnos enecantis.

Digitized by Google

Verſ.8. *Et ecce equus pallidus; & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi Mors.*

Quandoquidem corpora morte palleſcant, decebat ut equus, cui inſidebat is, qui mortem plurimis erat illaturus, eodem colore livido tingeretur.

Ex ℣.8. *Et infernus ſequebatur eum.*

Sequebatur hujuſmodi ſeſſorem lethiferum *Infernus*, hoſt eſt, figura quædam horrenda immanis ſepulchri, quo conderetur hominum innumera multitudo, fame, gladio, peſte, ac belluis interimenda. Nam tumulus frequentet in Scripturis appellatur Infernus, quòd corpora, quæ, cùm viverent, ſuper terram degebant, poſt mortem infra ſuperficiem terræ collocentur; ac ſic, juxta ſententiam Dei adversùs omnes homines prolatam, *revertantur in terram, de quâ ſumpta ſunt.*

Gen. 3. v. 19.

Fortaſſis etiam apparuit damnatorum Infernus, profundiſſimâ foveâ repræſentatus cum ardentiſſimis ignibus: Siquidem in illud barathrum plurimi infideles protrudendi erant bellorum impetu, vi perurgente famis, & ardore peſtis inflammante.

Ex ℣.8. *Et data eſt illi poteſtas ſuper quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte.*

Cœleſtis ille Spiritus Chriſti ſummi Judicis miniſter juſſus eſt ſceleſtiſſimos dæmonum cultores, toto terrarum orbe diffuſos, tribus plagis, bello, fame, & peſte interimere: Sic enim Iſaias, gladii nomine bellum exprimit: *Fugerunt*, inquit, *à facie gladii imminentis, à facie gravis prælii.* Dominus autem per Ieremiam ait, *gladio, & fame, & peſte conſumam eos*; ac paulò poſt, *egredientur, qui ad mortem, ad mortem; & qui ad gladium, ad gladium; & qui ad famem, ad famem.* En hoc ſecundo Ieremiæ loco Dominus appellat *mortem*, quam priori loco *peſtem* vocaverat.

Iſai. 21. v. 15. Ier. 14. v. 13. C. 15. v. 1. 2.

Ex ℣.8. *Et beſtiis terræ.*

Sed præter illas tres plagas *gladii*, ſeu belli; *famis*; *& mortis*, ſive peſtis, ſignificatum eſt Ethnicos interficiendos etiam eſſe *à beſtiis terræ.* Idque dupliciter intelligitur: primò, quòd multi devorentur vivi à belluis: Secundò, quòd plurimi gladio, fame, ac peſte enecati carebunt ſepulturâ; comedenturque illorum à feris cadavera.

Docent me duplicem illum ſenſum antiqui Prophetæ.

Primum quidem Ezechiel his verbis: *Si quatuor judicia mea, gladium, & famem, ac beſtias malas, & peſtilentiam immiſero in Ieruſalem, ut interficiam in eâ hominem.* Secundùm verò Ieremias, cùm ait: *Mortibus ægrotationum morientur: non plangentur, & non ſepelientur; in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt; & gladio, & fame conſumentur; & erit cadaver eorum in eſcam volatilibus Cœli, & beſtiis terræ.*

Ezech. 14. v. 21. Ier. 16. v. 4.

Porrò plagæ illæ, quæ Joanni revelantur infligendæ toto orbe, contigiſſe mihi videntur tempore Galli, & Voluſiani Imperatorum Ethnicorum, & Chriſtianæ Religionis perſecutorum.

Gallus,

Gallus, inquit Zonaras, *rerum potitus filium Voluſianum Cæſarem declaravit. Fuit & hic Chriſtianis gravis, non minore, quàm Decius, perſecutione inchoatâ, multiſque interfectis.*

Zonaras t. 2. de Imperio Galli, & Voluſiani.

Sub hoc motus Perſarum recruduit, quo Armeniam occuparunt. Scytharum quòque multitudo penè innumerabilis in Italiam impreſſionem fecit; ijdemque Macedoniam, Theſſalonicam, & Græciam incurſarunt: eorum quòque pars Mœotide palude ſuperatâ, per Boſphorum in pontem Euxinum irrupiſſe fertur; ac multas vaſtaſſe provincias. Sunt & aliæ plures gentes contra ditiones Romanas concitatæ.

Peſtis quòque tùm provincias invaſit, quæ ab Æthiopiâ orta, totumque penè Orientem, & Occidentem pervagata, multas urbes civibus deſolavit. Hæc Zonaras.

Teſte etiam Euſebio, *Sub Gallo, & Voluſiano peſtilens morbus totius orbis multas provincias occupavit.*

Euſeb. in Chron. ad an. Chr. 255.

Sed & Sanctus Cyprianus bellum, peſtem, & famem refert, ſcribens ad Demetrianum ſub præfatis Imperatoribus Africæ Proconſulem; probatque illa infligi Ethnicis propter illorum idololatriam, aliaque multa ſcelera, & injuſtam adversùs Chriſtianos perſecutionem.

Quòd, inquit, *crebriùs bella continuant; quòd ſterilitas, & fames ſollicitudinem cumulant; quòd humanum genus luis populatione vaſtatur, non, ſicut tua falſa querimonia, & imperitia veritatis ignara jactat, & clamitat, iſta accidunt quòd Dii veſtri à nobis non colantur, ſed quòd à vobis non colatur Deus.*

S. Cyprian. ad Demetrian.

Et aliquantò poſt; *Parùm eſt quòd furentium varietate vitiorum vita veſtra maculatur; quòd ſuperſtitionibus falſis Religio vera ſubvertitur; quòd Deus omninò nec quæritur, nec timetur; adhuc inſuper Dei ſervos, & Majeſtati, ac nomini ejus dicatos injuſtis perſecutionibus agitatis.*

Concludit Sanctus Cyprianus, *Lædere ſervos Dei, & Chriſti perſecutionibus tuis deſine, quos ultio divina deſendit; nec umquam impiorum ſcelere in noſtrum nomen exurgitur, ut non ſtatim divinitùs vindicta comitetur.*

Sic Chriſtus verus Deus, & ſummus Judex immittebat peſtem, famem, & bellum in pœnam Ethnicorum.

Quod de beſtiis eſt, quibus etiam vexandos paganos Sanctus Joannes prædixit, nemo eſt, qui non facilè ſibi perſuadeat id inter illas tantas clades eveniſſe, ut complures, alii à belluis vivi vorarentur, alii inſepulti abſumerentur à feris.

Juſto autem Dei judicio pœnam utramque ſubierunt Ethnici, tùm quòd pleraſque belluas inter Deos ſuos colerent; tùm quia multos Chriſtianos feris dilacerandos exponebant perſæpè in Amphitheatris; alios verò Sanctos Martyres, aliis ſupplicus interemptos, privabant plerùmque honore ſepulturæ, ut à feris dilaniarentur.

Eâ de impietate, necnon de hâc atrocitate conqueritur Sanctus Cyprianus ad Demetrianum his verbis, *Crocodilli, & cynocephali, & ſerpentes à vobis coluntur; & Deus ſolus in terris non colitur; aut non eſt im-*

S. Cyprian. ad Demetrian.

punè, quòd colitur. Innoxios Deo charos domo privas; patrimonio ſpolias; catenis premis; carcere includis; beſtiis, gladio, ignibus punis.

1. Petr. 3. v. 14. Attamen aiebat princeps Apoſtolorum Chriſtianis: *Et quis eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati.*

EXPLANATIO XXV.

Referens in reſignatione quinti ſigilli rationes, cur animæ Martyrum videantur ſub altari; Quæ ſit vindicta, quam poſtulant à Deo; Quamobrem datæ ſint illis ſtolæ albæ; Et cur interficiendi ſint adhuc causâ religionis multi Chriſtiani, à nono ad undecimum verſum Capitis ſexti Apocalypſis.

Verſ. 9. Et cùm aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtùs altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimodium, quod habebant.

℣. 10. Et clamabant voce magnâ, dicentes, Uſquequò, Domine, ſanctus, & verus, non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terrâ?

℣. 11. Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ; & dictum eſt illis ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi.

Verſ. 9. *Et cùm aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtùs altare animas interfectorum propter verbum Dei.*

Exod 40. v. 24. 27. ad Heb. 8. v. 5. Ap. 8. v. 3. 5. DUPLEX erat in templo altare: altare thymiamatis, & altare holocauſtorum. Cùm verò hæc eſſent *umbra cæleſtium*, utrumque Joannes videt in Cœlo mirabiliter ſibi repræſentatum, uti refert capite octavo. Altare quidem thymiamatis, dùm conſpicit *Angelum, cui data ſunt incenſa multa, ut daret de orationibus*

Sanctorum

Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei: Altare
verò holocauſtorum, cùm videt *Angelum implentem thuribulum de igne*
altaris; ignis enim in altari holocauſtorum ſemper ardebat; & ex ejus Levit. 6.
prunis Sacerdos implebat thuribulum, in quod deinde injectum thymia- v. 9. 13.
ma adolebat ante Arcam, ut patet variis Scripturæ locis. C. 16. v. 12.

At ubi ſolutum eſt ſigillum quintum libri cœleſtis, animæ Sanctorum 13.
Martyrum apparent in Cœlo *ſubtùs altare* holocauſtorum tabernaculi, &
templi Cœleſtis. Etenim Sancti illi conſenſerunt *immolari* ad gloriam Dei, ad Philip.
quem colebant; & ipſe *quaſi holocauſti hoſtiam* igne divinæ charitatis ſuc- 2. v. 17.
cenſam *accepit illos*; ſicuti quondam ſuſcipiebat, & gratas habebat vi- Sap. 3. v. 6.
ctimas mactatas juxta altare holocauſtorum; in eoque ad honorem divi-
næ Majeſtatis ſuæ religioſè crematas.

Adnotandum etiam eſt illas animas videri, non ſuper, ſed *ſubtùs alta-*
re, ut indè percipiamus ſacrificium vitæ terreſtris illarum completum eſſe
martyrio, & aſcenſione in Cœlum; quemadmodùm cenſebatur expletum
ſacrificium holocauſti, quando vapor ejus omnis ſursùm aſcendebat; & Levit. 6.
quidquid in eo fuerat magìs terrenum abſceſſerat in cineres per craticulam v. 9. 10. 11.
ſub concavum altare tabernaculi, vel templi. Exod. 27.

Juvat hanc explicationem confirmare verbis, & exemplis præclaris v. 4. 5. 8.
Sanctorum Martyrum, ſub Diocletiano, & Maximiano Nicomediæ paſſo-
rum, quorum acta refert Baronius. Baron. an.

Glycerius Sacerdos, cùm Chriſti ſignum ſuo adhibuiſſet corpori, fuit affi- Chr. 301.
xus ligno ſacra victima, aries carens omni vitio, ei, qui ligno propter nos n. XXVI.
fuit affixus. Igne autem ſubtùs accenſo, Ieſu fuit oblatum holocauſtum, & XXVIII.
ſacrificium acceptabile, & divina hoſtia aræ ſupernæ conveniens.

Ac poſteà de multis Martyribus ibidem. *Quotidiè ei, qui ſeipſum pro* n. XL.
nobis ſacrificavit, rationabilia offerebantur ſacrificia, piè martyrio effecta
holocauſta.

Oportebat autem feſtorum maximum, Chriſti natalem, ei, qui naſceba- n. XLI.
tur, copioſa efferre ſacrificia: Nam ortus quidem Chriſti dies feſtus ageba-
tur; quidquid autem eſt pium, congregabatur ad glorificationem.

Maximianus verò jubet, ut aut diis ſacrificent; aut ſi non pareant, om- n. XLII.
nes ſimul cum ipſo templo pereant; & ab igne conſumantur.

Eccleſia autem Archidiaconus, cùm ei eſſet cor accenſum igne divina gra- n. XLIV.
tia, ſtans ad cornu altaris, oratione, brevi quidem, ſed prorsùs admira-
bili, quam habuit ad populum, *mementote*, inquit, *immò vero aſpicite ad* n. XLV.
aram: verus enim noſter Dominus fuit pro nobis ſacrificatus. Non nos quò-
que pro eo in loco ſancto animas profundemus; & veluti quoddam ſacrificium
eas illi igni offeremus in holocauſtum?

Illi intùs canebant canticum Puerorum; neque priùs ceſſarunt, quàm obla- n. XLVII.
ta eſſent accepta ſacrificia, caſta hoſtia agno, qui fuit pro mundo mactatus.
Cùm verò flamma jam ceſſaſſet, ex corporibus, & ex fumo ſpirabat ſuavis,
& mirè fragrans odor.

Porrò ex hoc Apocalypſis loco Sanctus Auguſtinus obſervat Eccleſiam
juſtè

Digitized by Google

juſtè conſueviſſe martyrum corpora ſepelire ſub altari, ſuper quod Chriſtus, cui commortui ſunt, offertur in memoriam mortis, quam pro illis perpeſſus eſt. *Rectè*, inquit, *ſub altari juſtorum animæ requieſcunt; quia ſuper altare corpus Domini offertur. Convenienter, & quaſi pro quodam conſortio ibi Martyribus ſepultura decreta eſt, ubi mors Domini quotidiè celebratur, ſicut ipſe ait, Quotieſcumque hæc feceritis, mortem meam annuntiabitis, donec veniam, ſcilicet, ut qui propter mortem ejus mortui fuerant, ſub Sacramenti ejus myſterio requieſcant.*

S. Auguſt. Ser. 11. de Sanctis.

Nonnunquàm etiam erigebatur altare eo in loco, ubi Martyr paſſus fuerat. Hinc apud Auguſtinum, *menſa Cypriani, ubi eſt immolatus; & ſacrificium Deo, cui & ipſe oblatus eſt, offertur.*

Aug. de diverſ. ſer. 113.

Ex ℣. 9. *Interfectorum propter verbum Dei, & teſtimonium, quod habebant.*

Sanctus Auguſtinus loco primùm citato addit majoris explicationis causâ, *Et propter teſtimonium Ieſu*; eâque additione ſectatur ipſummet Joannem, qui alio Apocalypſis loco aſſerit, *Draconem facere prælium cum reliquis, qui cuſtodiunt mandatà Dei, & habent teſtimonium Ieſu Chriſti.*

S. Auguſt. Ser. 11. de Sanctis. Apoc. 12. v. 17.

Quid verò ſit *habere teſtimonium Ieſu*, ipſemet Joannes declarat ſequenti capite, cùm ait, *hic patientia Sanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu:* nempe fides in Jeſum, eſt teſtimonium de Jeſu perhibitum.

Ap. 14. v. 12.

Teſtimonium autem, & fides de Jeſu eſt quòd ſit Filius Dei, ut docemur ab ipſo Joanne in Epiſtolâ: *Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Ieſus eſt filius Dei? Hoc eſt teſtimonium Dei, quoniam teſtificatus eſt de filio ſuo. Qui credit in filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe:* nam Deus ſæpe teſtatus eſt Jeſum eſſe filium ſuum dilectum.

1. Joan. 5. v. 5. 9. 10. Matth. 3. v. 17. C. 17. v. 5.

Itaque Sancti Martyres interfecti ſunt, propterea quòd verbum Dei ſibi traditum conſtanter tenuerint; ac crediderint Jeſum eſſe Filium Dei; pluriſque fecerunt illum quàm ſe ipſos, & quæcumque peritura: undè dicuntur poſtmodùm in Apocalypſi, *Et ipſi vicerunt eum, videlicet Draconem, propter ſanguinem Agni, & propter verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.*

Apoc. 12. v. 9. 11.

Verſ. 10. *Et clamabant voce magnâ, dicentes, Uſquequò, Domine, ſanctus, & verus, non judicas.*

Sancti illi Spiritus Martyrum, zelo gloriæ divinæ flagrantes, enixè, & magnis vocibus interpellabant Chriſtum tanquam judicem omnium, ut ſibi, & illis jus redderet adversùs impios, qui majeſtatem illius graviter offendere non deſiſtunt; & eos atrociter enecarunt propter ipſum.

Uſquequò, Domine, aiebant, *non judicas* cauſam tuam, & noſtram, cùm penès te ſit ſumma poteſtas juris dicundi omnibus, & faciundi?

Sanctus es, *& verus*, immò ipſamet ſanctitas, ac veritas: tamen blaſphemaris ab infidelibus, quòd pependeris in Cruce tanquam *malefactor, & ſeductor.* Linguas illorum blaſphemas comprime; & fac ut omnes gentes, rejectis ſuis erroribus, & iniquitatibus, te *verum* Dei filium, & *Sanctum* colant.

Joan. 18. v. 30. Matth. 27. v. 63.

Certè

Certè paulò antequàm patereris, ut peccata hominum elueres, dixiſti:
Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras; & ego, ſi Ioan. 12.
exultatus fuero à terrà, omnia traham ad me ipſum. At quamvìs reipsâ exal- v. 31. 32.
tatus fueris in cruce, atque etiam evectus ſis in Cœlum; ab eoque tempore plurimi anni effluxerint; nihilominùs major pars orbis terrarum in ſuâ perſiſtit impietate; & dæmones humani generis hoſtes veluti Deos adorat; te verò clementiſſimum Salvatorem deſpicit. Quouſque igitur, ſumme Iudex, ſententiæ tuæ veritas, ac ſanctitas non patebit omnibus; & cunctos abjuratâ dæmonum ſuperſtitione ad tui cultum non compelles?

Ex ℣. 10. *Et non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terrà?*

Nos, (ſi quid ſumus, gratià tuâ, & benignitate ſumus,) ea propter vitam noſtram profudimus, ut falſorum Deorum impietas prorsùs everteretur; & Chriſtianæ Religionis ſanctitas ubique ſtabiliretur. Hoc noſtrum propoſitum, & votum confirma, & perfice. Subjice tibi citò omnes nationes; & toto terrarum orbe protinùs regna. Hæc una eſt vindicta, quam de iis, qui nos tui causâ interfecerunt, expoſcimus, nempe omnium gentium ad te converſio. Ruat penitùs Ethnicorum impietas; & quod moriendo concupivimus, aſſequemur. Chara quidem nobis ſunt noſtra corpora; nec diffitemur quin vellemus, ſi tibi placitum eſſet, illa brevi reſumere, ut in noſtræ felicitatis communionem, ſicuti antè ad ſocietatem paſſionum admiſſa ſunt, vocarentur: ſed multò charior eſt Divinæ Majeſtatis tuæ veritas, ac ſanctitas; pluriſque facimus clarificationem tui nominis apud omnes, quàm corporum noſtrorum gloriam. Cuncti te tanquam verum Dei Filium adorent, repudiato inanium Deorum cultu: hoc eſt judicium, quod à te poſtulamus: hæc noſtri ſanguinis ultio, pro quâ æquitatem tuam magnis vocibus, & toto animi affectu interpellamus, juſte Iudex, Salvator noſter, & Deus noſter.

Eas à me relatas explicationes confirmare lubet ex aliis Apocalypſis Apoc. 11.
locis. v. 15. 16.
17. 18.

Capite undecimo, *factæ ſunt voces magnæ in Cœlo, dicentes, Factum eſt regnum hujus mundi, Domini noſtri, & Chriſti ejus:* ac ſtatim de illâ mutatione mirabili viginti quatuor Seniores gratias agunt ipſimet Chriſto, *quia*, inquiunt, *accepiſti virtutem*, hoc eſt, poteſtatem, *tuam magnam, & regnaſti. Et advenit tempus mortuorum*, ſcilicet propter te, *judicari; & reddere mercedem ſervis tuis Sanctis, & timentibus nomen tuum; & exterminandi eos, qui corruperunt terram,* nempe ſpurcitiis idololatriæ.

Capite autem decimo quinto, *Omnes gentes venient, & adorabunt in con-* Apoc. 15.
ſpectu tuo, quoniam judicia tua manifeſta ſunt. v. 4.

Poſtremò, poſtquàm everſa eſt Babylon impietatis Ethnicæ caput, di-
citur: *Exulta ſuper eam Cœlum, & Sancti Apoſtoli, & Prophetæ, quoniam* Apoc. 19.
judicavit Deus judicium veſtrum de illà. v. 20.

Quapropter ex illis tribus locis Apocalypſis patet judicium, quod

nunc poſtulant, & vindictam, quam expetunt Sanctorum Martyrum animæ, eſſe ruinam impietatis Ethnicæ, & converſionem omnium gentium ad Chriſtum: In eum enim finem, ut everteretur cultus Dæmonum, & unus Deus ubique coleretur, ſanguinem ſuum fuderunt.

Verſ. 10. *Et data ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ.*

Induuntur veſtibus albis Sanctorum Martyrum animæ, in ſignum perennis gloriæ, quâ perfruuntur; in pignus claritatis corporibus ſuis communicandæ; & in ſpem futuræ lætitiæ, quâ perfundentur, cùm viderint ſuperſtitionem Ethnicam abolitam; Chriſtianam verò Religionem toto orbe florere.

ad Philip. 3. v. 21.

Ex ỳ. 10. *Et dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum.*

Hoc eſt, aliquot ſæculis expectarent, ut ſuperſtitionis Ethnicæ ruinam, quam poſtularunt, & ſolius Chriſtianæ Religionis decus, ac regnum, quod popoſcerunt, perſpiciant: Duo enim, vel tria ſæcula, quæ ad illam mirabilem mutationem peragendam volventur, Æternitati Divinæ comparata videntur *modicum tempus*, quandoquidem, teſte Regio Prophetâ, *mille anni tanquam dies unus apud Deum cenſeantur.*

Pſ. 89. v. 4.

Ex ỳ. 10. *Donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi.*

Interim plurimi ſervi, ac filii Dei, ideòque Sanctorum Martyrum in Cœlo jam repoſitorum conſervi, & fratres, cauſâ Fidei Chriſtianæ, quam profitentur, ab infidelibus ſunt enecandi. Etenim, ſi *Salomon immolavit Domino hoſtias pacificas, boum viginti millia, & ovium centum viginti millia, ut dedicaretur templum Domini* Hieroſolymis; multò plures Fideles, qui *pacifici ſunt Filii Dei*, immolandi ſunt tanquam victimæ Deo gratiſſimæ, ut totus orbis conſecretur Templum, in quo cuncti homines, Ethnicâ impietate rejectâ, *oblationem mundam* ſoli Deo, Creatori, & Salvatori ſuo *offerant.*

3. Reg 8. v. 63. Matth. 5. v. 9. Malach. 1. v. 11.

Itaque, concludam verbis Sancti Petri, *& hi, qui patiuntur ſecundùm voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas ſuas in benefactis.*

1. Petr. 4. v. 19.

EXPLANATIO XXVI.

Sigilli ſexti libri Cæleſtis, à duodecimo ad decimum ſeptimum verſum Capitis ſexti Apocalypſis, de horribili terræ motu, qui Antiochiam, cùm in eâ Trajanus degeret, ſubvertit.

VERS. 11. Et vidi, cùm aperuiſſet ſigillum ſextum, & ecce terræ motus magnus factus eſt; & ſol factus eſt niger

niger tanquam ſaccus cilicinus; & luna tota facta eſt ſicut ſanguis.

℣. 13. Et ſtellæ de Cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos, cùm à vento magno movetur.

℣. 14. Et cœlum receſſit ſicut liber involutus; & omnis mons, & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt.

℣. 15. Et reges terræ, & principes, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium.

℣. 16. Et dicunt montibus, & petris, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab irâ agni.

℣. 17. Quoniam venit dies magnus iræ ipſorum: & quis poterit ſtare?

Verſ. 12. *Et vidi, cùm aperuiſſet ſigillum ſextum; & ecce terræ motus.*

Quisquis veteris Teſtamenti Prophetas legerit, fatebitur illos, utpote à Deo, cujus Æternitati omnia tempora præſentia ſunt, non ſemper res prædixiſſe eo ordine, quo erant eventuræ; ac rurſùs non diffitebitur ipſos de eâdem re multoties, pluribus interjectis, fuiſſe locutos, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Quare non mirum ſit Evangelicum Prophetam Joannem vidiſſe, & exhibuiſſe nobis nonnulla, non eâ viciſſitudine temporum, quâ erant futura; ſed illâ ſerie illuſtrationum cœleſtium, quibus animus ejus reſplendebat. Patebunt hæc multis Apocalypſis locis, quæ, Deo dante, explanaturus ſum; & nè diutiùs immorer, quamvìs reſignatione primi ſigilli oſtenſa ſit Joanni victoria ab Agarenis de Trajano Chriſtianorum perſecutore reportanda; & poſtmodùm ex ſolutione trium ſigillorum ſequentium perſpexerit clades futuras ſub eodem Trajano, & deindè ſub Adriano; necnon ſub Marco Antonino, & Lucio Vero; atque ſub Gallo, & Voluſiano, tamen ex aperturâ ſigilli ſexti, quod jam nobis proponitur, animadvertit, ac refert ingentem terræ motum, qui contigit tempore Trajani; quique procul dubio Antiochiam, ubi tùm ille Imperator degebat, ſubvertit, antequàm idem Chriſtianorum perſecutor urbem Agarenorum tentaret expugnare, ſicuti liquet ex hiſtoriâ Dionis Caſſii.

Ut verò ſingula, & ænigmatica verba, quibus Sanctus Joannes terræ motum illum ex ſigillo ſexto obortum deſcripſit, clariùs innoteſcant, juvat referre conſcriptam à celeberrimo Hiſtoriographo Dione Caſſio narrationem illius terræ motus Antiocheni ſub Trajano.

Dion Caſſius in Trajano.

Dùm Antiochia Trajanus ageret, inquit Dion, *atrox, & funeſtus motus terra accidit, vicinis urbibus, atque populis cladem etiam afferens, quamquàm ipſa Antiochia inſigni, ac publicâ ſtrage vaſtata fuit. Hiemabat in eâ Trajanus; atque illuc milites frequentor, & privati complures convenerant: alii præterea ut jura acciperent: Quoſdam legationis officium; merces, & privata compendia alios traxerant: Quàm plurimi viſendi Imperatoris, & ſpectandorum ludorum gratiâ confluxerant. Ita vix ulla natio, aut Civitas à detrimento, & clade immunis extitit; ut planè univerſus terrarum orbis, & populi, qui Romano parebant Imperio, calamitatem ingentem acceperint.*

Motum terra fulmina primùm anteceſſerunt: Tùm venti inſoliti, atque peregrini vehementiùs ſpiravere: Tùm magno & repentino oborto fragore, maria ferveſcere; fluctus intumeſcere, adhuc æſtus vehementiùs, & violentiùs inſurgere; terra omnis ſuccuti; domus ædificia contrario ictu quaſſari, diſſilire alia; & supernè aſſultantia tecta concidere. Crepitus audiebatur ingens, & horribilis. Mœnia contrario pulſu, modò hûc, modò illûc nutantia confringi, & ruere. Mare ipſum turbine contorquebatur: Terra autem, ubi ædificia non erant, maxime compulſa motu aſſultabat.

Tetra omnia erant. Pulvis denſus, atque concretus excitari; tantaque obducta caligo cuncta oppreſſerat, ut alterum videre, alloqui, & audire minimè cuiquam, immò nè ſpirare quidem, ingruente vento, ac pulvere liceret.

Multi mortales extrâ domos vitæ periculum adiere. Præcipites tectis erumpebant; & veluti agmine fugientes in acervos cogebantur, qui omnes, ſeu à præcipiti loco dejecti, eliſi ſunt: non pauci adhuc mutilato corpore abiere. Arbores radicitùs convulſæ procubuerunt. Ingentem turbam proſtrata tecta, & ſubverſi muri obruere. Primo impetu denſi alius ſuper alium incidentes extinguebantur.

Si qui verò lacero corpore, aut lapide, vel ligno converberati ceſſiſſent, hi profectò omnium miſerrimi erant, utpote quibus, aut vivere, aut ſubitò mori negaretur.

Non ſimplex fuit clades: ſiquidem de tanto mortalium numero vix ſine noxâ unus, & alter evaſit. Videre erat hunc confracto humero; illum amiſſis brachiis fugere: complures capite adempto jacebant. Quidam eliſo pectore ſanguinem evomebant, inter quos Pedo Conſul, qui tamen haùd ita multò poſt animam emiſit: atque, ut ſemel omnia complectar, nullum non calamitatis, & miſeriæ genus mortales illi ſuſtinuere.

Sed diutiùs noctu, & interdiu terra contremuit. Tunc vitæ dubii, & pavore conſternati miſeri, tanto malo remedium, aut effugium invenire non poterant.

Oblæſi tectorum caſu paſſim moriebantur; & quanquàm fornices, & concamerata, & vacua loca, prout caſus adegerat, tùm periſtylia, penſileſque horti, intercedente ligno, à morte quoſdam ſervaſſent: hi tamen omnes, durante motu, fame, & inediâ, prinſquàm opem quiſquam ferre poſſet, confecti fuere.

Hâc

Hàc communi, & miſerandâ populorum ſtrage, miſerrima, & infeliciſſima tunc Antiochia afflicta fuit.

Trajanus verò à tàm fœdo, diroque periculo per feneſtram domus, quam inhabitabat, vix ablatus eſt. Sed tanta deinceps Cæſarem formido tenuit, ut, cùm jam aliquot dies tremor quieviſſet, in hippodromo ſub dio, & in publicis tabernaculis vitam ageret.

Mons item Caſius ita concuſſus eſt, ut, nutante cacumine, quaſi convulſus in ſubjectas urbes labi exiſtimaretur. Subſedere & alii montes. à Xiphilino dicitur Coraſius.

Quin etiam aquarum fontes, non antè viſi, emicuere: fluvii quoque defecerunt. Hæc Dion.

Xiphilinus autem Dionis abbreviator, eumdem terræ motum Antiochenum referens, ait, *quòd eorum, qui in urbe remanſerant, infinita multitudo periit; & quòd nulla fuit gravis calamitas, quæ non ſit illis hominibus illata, propterea quòd in hoc terra motu facto Divinitùs homines inopes conſilii neſciebant huic malo mederi.* Xiphilin. in Trajano.

Eo terræ motu à præfatis Hiſtoriographis ſic deſcripto, perſpicua erit, Sacrarum Scripturarum ope, explanatio ſingulorum verborum ſancti Joannis de eodem terræ motu.

Ex verſ. 12. *Et ecce terra motus magnus factus eſt.*

In primis nemo dubitaverit quin ille motus Antiochenus juxta narrationem præcedentium Authorum fuerit *terræ motus magnus*, præſertim cùm ex illâ commotione, ut ait Xiphilinus, *infinita hominum multitudo perierit*; & teſte Dione, *vix ulla natio, aut civitas à detrimento, & clade immunis extiterit; ut planè univerſus orbis, & populi, qui Romano parebant imperio, calamitatem ingentem acceperint.*

Ex verſ. 12. *Et ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus.*

Non abs re *ſol* in illo terræ motu oſtenſus eſt ſancto Joanni maximè *niger*; quandoquidem nigredo ex omnibus coloribus ſit maxima lucis privatio; ſol autem in illo motu Antiocheno, qui *duravit interdiù*, nè vel minimum radium lucis illuc emiſerit; quippe *pulvis tàm denſus, atque concretus excitatus eſt; tantaque obducta caligo cuncta oppreſſit, ut alterum videre minimè cuiquam liceret.* Expreſſa ſunt verba Dionis. Dion Caſſius in Trajano.

Ex ỷ. 12. *Et Luna tota facta eſt ſicut ſanguis.*

Quòd autem *Luna* præviſa ſit à Dilecto Diſcipulo colorem ſanguineum referre, arbitror id ortum ex *ventis inſolitis, & peregrinis vehementiùs ſpirantibus, qui motum terræ anteceſſerunt*, ut ait Dion: verus eſt enim hic verſiculus ratione, & experientiâ confirmatus. Dion Caſſius.

Pallida luna pluit; rubicunda flat; alba ſerenat.

ỷ. 13. *Et ſtellæ de Cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos, cùm à vento magno movetur.*

Iſaias de excidio Babylonis loquens, inquit: *Ecce dies Domini veniet indignationis plenus ad ponendum terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterendos de eâ: quoniam ſtellæ Cœli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum. Obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo; & luna non ſplendebit in lumine ſuo.* Iſai. 13. ỷ. 9. 10.

Digitized by Google

Ezechiel autem interitum Pharaonis ultimi Regis Ægypti prædicens,
Ezech.32. v.7.8. ait: *Operiam, cùm extinctus fueris, Cœlum; & nigreſcere faciam ſtellas ejus. Solem nube tegam; & Luna non dabit lumen ſuum. Omnia luminaria Cœli mœrere faciam ſuper te, & dabo tenebras ſuper terram tuam, cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ.*

Iſaias iterùm futuram Idumæorum internecionem deſcribens, inquit:
Iſai.34. v.4.5. *Tabeſcet omnis militia Cœlorum; & complicabuntur, ſicut liber, Cœli; & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vineâ, & de ficu, quoniam inebriatus eſt in Cœlo gladius meus: Ecce ſuper Idumæam deſcendet.*

His Iſaiæ, & Ezechielis verbis Evangelicus Propheta alludens aſſeruit terræ motu cœlitùs ſibi oſtenſo, Solem obſcuritate aëri obductâ denigrandum; & Lunam ventorum afflatu vehementi rubricandam. Nunc verò declarat exhibitas ſibi in viſione propheticâ ſtellas cadentes è cœlo, non ſecus ac groſſi decidunt è ficu fortiter commota, quatenùs motu illo terræ Antiocheno durante noctu, ſtellæ non magis illucerent, quàm ſi nullæ prorsùs eſſent in Cœlo: Quippe tùm nequicquam illarum lucis perveniret ad oculos hominum propter nimiam caliginem aëri intermedio offuſam ex denſiſſimo pulvere, quem terræ motus ingens excitaret, ita ut
Dion Caſſius. *nemo, alter alterum videre poſſet*, ſicuti jam ex Dione prænotatum eſt.

℣.14. *Et Cœlum receſſit ſicut liber involutus.*

Iſai. 34. v.4.5. Relatam Iſaiæ de Idumæorum excidio phraſim, quòd *omnis militia Cœlorum deflueret, ſicut defluit folium de vineâ, & de ficu*; & quòd *complicarentur Cœli ſicut liber*, proſequitur Joannes. Nempe quando volumen expanſum eſt, facilè videri poſſunt ea, quæ in ipſo conſcripta ſunt; ſed dùm involutum eſt, & plicatum, nequicquam videtur ex iis, quæ intra ſe continet exarata. Sic nocte, ac die, quibus duravit motus terræ Antiochenus, *Cœlum receſſiſſe* dicitur, quatenùs eo tempore non eſt viſum; nec conſpectus eſt ſol; nec apparuerunt ſtellæ, nec etiam ullæ in aëre, qui ſæpe in Scripturis appellatur Cœlum, nubes tantillum perſpicuæ propter eam, quæ toto illo tempore obducta eſt, denſiſſimam caliginem.

Ex ℣.14. *Et omnis mons, & inſula de ſuis locis motæ ſunt.*

Indè patet quàm *magnus* fuerit ille *terræ motus*, ſiquidem eo non ſolùm camporum planities, quæ molliores ſunt, erant concutiendæ; verùm etiam *montes* altiſſimi, quorum partes arctiſſimè ſibi cohærent, quorumve pondus ferè eſt immenſum, agitandi erant; ac propemodùm funditùs evertendi.

Tanta quòque futura erat vis illius terræ motus, ut non ſiſteretur in continenti terræ ſolo; ſed flumina, & Maria permearet; horrendas commotiones in eis excitaret; *Inſulas* ibi conſiſtentes variè commoveret, mutationeſque inviſas, ac ſtupendas paſſim induceret.

At talis fuit terræ motus Antiochenus, de quo hæc vidimus à Dione
Dion Caſſius in Trajano. relata. *Magno, & repentino oborto fragore, maria ferveſcere; terra omnis ſuccuti. Mare ipſum turbine contorquebatur. Mons item Caſius ita concuſ-*

ſus

ſus eſt, ut nutante cacumine quaſi convulſus, in ſubjectas urbes labi exiſtimaretur. Subſedere alii montes. Quin etiam fluvii defecerunt.

Quod verò ait ſanctus Ioannes, *omnis mons, & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt*, non id intelligendum eſt abſolutè de omnibus, & ſingulis montibus, atque inſulis totius orbis, ſed dumtaxat de omnibus montibus, & inſulis circumſtantibus, ac vicinis Antiochiæ, quæ præcipuè vexata eſt illo terræ motu.

Sic hæc verba Iſaiæ relata à ſancto Luca, *omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur*, non intelliguntur de omnibus omninò, ſeu de ſingulis montibus, & vallibus totius terræ, ſed tantùm de omnibus circumadjacentibus, & proximis. Iſai.40. v.4. Luc.3.v.5.

Etenim juxta varias Interpretum explicationes Propheta, vel redeuntibus è captivitate Babylonica in patriam ſuam Iudæis optat, quâcumque tranſierint, percommodum iter, quale ſolet eſſe planum; non autem moleſtum, cujuſmodi eſt id, quod conficitur aſcenſu montium, & vallium deſcenſu: vel prædicit fore ut omne genus hominum, præparaturum ſe ad recipiendum Dominum, deponat ſuperbiam, & elationem animi, deſignatam altitudine montium; humilitatem verò, vallium depreſſo, & infimo ſitu adumbratam, ſectetur.

Præterea, quod ſanctus Lucas Iſaiam interpretans addit, *Et videbit omnis caro ſalutare Dei*, non id intelligitur de omnibus omninò, & ſingulis hominibus, ſed de omni genere hominum, ac præcipuè circumſtantium, & vicinorum: ita ut populi omnes, per quos Iudæi tranſituri ſunt è captivitate Babylonis, vel inter quos habitabunt, poſtquàm in patriam ſuam advenerint, videbunt incolumem, ac ſalutarem eorumdem Iudæorum reditum illis Dei benignitate conceſſum; nec non omnis conditio hominum in Iudæâ, vel propè Iudæam, in quâ Salvator apparebit, ſit ipſum viſura.

Ulteriùs hæc verba Evangelici Prophetæ Ioannis, *de locis ſuis motæ ſunt*, non eſt neceſſe intelligere, quaſi terræ motus is, de quo agitur, inſulas, & montes ita concuſſerit, ut aliò tranſtulerit. Notum enim in Phyſicis eruditi diverſa eſſe motuum terræ genera: unum, quo res ſupernè collocatæ excutiuntur, & dejiciuntur; alterum, quo tantùm nutant; vel ita ſursùm commoventur, ut nihilominùs ſuis in locis priſtinis tandem reſideant: quemadmodùm nonnunquam contingit in turribus, ſub quibus inflammatur pulvis tormentarius non ſatis copioſus, ut ſufficiat illas disjicere. Sic ex Antiocheno terræ motu, *mons Caſius ita concuſſus eſt, ut nutante cacumine, quaſi convulſus in ſubjectas urbes labi exiſtimaretur: ſubſedere & alii montes.* Dion Caſſius in Trajano.

℣. 15. *Et reges terræ; & principes*, ſeu ex Græco, οἱ μεγιστᾶνες, magnates, *& Tribuni*, ſcilicet militum, ex Græco, οἱ χιλίαρχοι, *& divites*, & *fortes*, ſeu potentes, juxta Græcum, οἱ δυνατοὶ, *& omnis ſervus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium.*

Nimirùm

Nimirùm omne genus hominum, qui, teſte Dione, erant tunc temporis Antiochiæ numeroſiſſimi ex univerſo orbe propter Imperatorem Trajanum, occultarunt ſe, quantùm potuere, in cavernis, & fornicibus, aliiſque hujuſmodi locis ſubterraneis, ut tuti eſſe poſſent à ruinis mœnium, tectorum, ædificiorumque huc & illuc ex vi terræ motus longè lateque disjectorum. Id ſanè ratio naturalis quibuſvis ſuadebat. Undè Iſaias ſubſannans Idololatras, quorum corpora Dominus interempturus erat,& urbes everſurus vi exercituum,quos immiſſurus erat adversùs ipſos, prædicebat, quòd, ut effugium, ſi poſſit, quærant, *introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ, in ſciſſuras petrarum, & in cavernas ſaxorum, à facie formidinis Domini, cùm ſurrexerit percutere terram.* (Iſai. 2. ℣. 19. 21.)

Verſ. 16. *Et dicunt montibus, & petris, cadite ſuper nos, & abſcondite nos.*

Ita quondam Oſee prædixit futurum, ut populus Samariæ, partim interficiendus, partim abducendus in captivitatem à Salmanaſar rege Aſſyriorum, *diceret montibus, operite nos; & collibus, cadite ſuper nos.* (Oſee 10. ℣. 8.) Quippe is eſt hominum erga ſeipſos amor, ut quandò moriendum illis eſt, mitiorem exoptent mortem; & tamen, dùm id deſiderant, mallent, ſi fieri poſſet, vivere quàm mori. Hoc autem utroque, & vitæ, & mitioris mortis deſiderio agitatæ quondàm Tribus Iſraël, obſeſſæ à Salmanaſar, dicebant primùm montibus, *operite nos*; & in antra veſtra, ſi poſſibile eſt, nos recipite, ut ibi incolumes ſimus ab Aſſyrio Tyranno; aut, ſi in manus illius oportet nos incidere, *cadite ſuper nos*, ut veſtrâ mole obruti, ſtatim, & vix ſine ullo dolore moriamur, potiùs quàm à crudeli hoſte diutiùs cruciemur; vel calamitates ipsâ morte atrociores perpetiamur.

At ex Dione Caſſio, cùm Antiochia terræ motu ingenti ſuccutiebatur, *ſi qui lacero corpore, aut lapide, vel ligno converberati, ceſſiſſent, hi profectò omnium miſerrimi erant, utpote quibus, aut vivere, aut ſubitò mori negaretur; & quanquam fornices, & concamerata, & vacua loca, prout caſus adegerat, à morte quoſdam ſervaſſent, hi tamen omnes durante motu, fame, & inediâ confecti fuere.* (Dion Caſſius in Trajano.)

Undè facile colligere eſt pleroſque, qui tùm Antiochiæ degebant, variis, tùm vitæ, tùm mortis mitioris deſideriis incitatos, optaſſe primùm, ut *montes caderent ſuper illos*; quaſi dicerent, cùm ex tàm vehementi, & tàm diuturno terræ motu videamus nos non poſſe mortem effugere, optamus à vobis repentè obrui, ut illicò intereamus, vix quicquam patientes, quàm diutinis, & graviſſimis, qui intolerandi eſſent, doloribus torqueamur: aut ſi factu poſſibile eſt, ut tot hominibus jam enecatis, vivamus, *abſcondite nos, montes*; & date aditum in ſpeluncas veſtras, quò cupimus confugere, ut tuti ſimus: alibi enim non ſperamus poſſe ſervari, cùm quævis alia loca plana multò faciliùs, quàm veſtræ moles ingentes, & ſolidiſſimæ, queant illo terræ motu labefactari.

Ex ℣. 16. *Et abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum,& ab irâ Agni.*

Non quidem diſtinctè proferebant ea verba Ethnici, cùm non noſſent

Apoca

Apocalypſim, in quâ Sanctus Apoſtolus, & Propheta vidit Chriſtum, ut Deum, inſidentem throno, & humanitatem ejus ſub ſymbolo agni mactati: Sed ſignificare voluit Apoſtolicus Vates Ethnicos deſideraturos *abſcondi à facie Dei*, quem ipſe conſpexit inſidentem throno; & liberari *ab irâ* Chriſti, quem vidit ſub ſpecie agni. Apoc. c. 4. & 5.

Certè Trajanus, ſub quo ingens ille terræ motus Antiochenus contigit, & magna pars Imperii Romani, quamvìs Ethnicæ ſuperſtitioni addicti, noverant Deum unum, & Chriſtum à Chriſtianis coli. Nam Plinius ſecundus, proconſul Bithyniæ ſcripſerat aliquot annis anteà ad Trajanum, ſe *in Chriſtianis comperiſſe antelucanos cœtus ad canendum Deo, & Chriſto.* Etſi autem, inquit Euſebius, *promulgato Trajani edicto, Chriſtianos à nemine quidem inquirendos eſſe, oblatos verò puniri oportere, ardor perſecutionis in nos intentatæ quodammodo extinctus fuit; tamen his, qui nobis aliquid mali ingerere cupiebant, non minor relicta videbatur occaſio, dùm hîc quidem populus, illîc autem cujuſque regionis magiſtratus contra nos parabat inſidias; ſic, ut quamvìs non palàm, & apertè nos perſequerentur, ſigillatim tamen, in quâque provinciâ ſuam in nos redintegrarent crudelitatem; & complures fideles pro Chriſto decertantes, variis Martyrii generibus occumberent.* Ex Baron. an. 5. imper. Trajani. Plin. ſecund. l. 10. ep. 97. Tertull. in Apolog. c. 2. Euſeb. hiſt. l. 3. c. 27.

Quamobrem, cùm Ethnici, ex variis Imperii Romani provinciis congregati Antiochiæ, ſentirent ſe inſolito, & horrendo terræ motu vehementer vexari, agnoverunt ſe divinitùs puniri, quòd Chriſtianos Deum, & Chriſtum colentes, fuiſſent perſecuti.

Sic olim impius Antiochus, in extremo vitæ periculo conſtitutus, faſſus eſt ſe torqueri propter mala, quæ populo Dei Judæo intulerat; *orabatque ſceleſtus ille Dominum, à quo non erat miſericordiam conſecuturus.* 2. Machab. 9. v. 11. 12. 13.

Verſ. 17. *Quoniam venit dies magnus iræ ipſorum; & quis poterit ſtare?*

Ethnici, non ſolùm terræ motu, ſed etiam aculeis conſcientiæ ſuæ agitati, ſentiunt Deum, & Chriſtum ejus, ſibi, quòd illos ſpreverint, eorumque cultores fuerint perſecuti, vehementer iratos: Tantam autem iram Dei, & Chriſti, durante eâ commotione terræ, quis noſtrûm, aiebant, poterit effugere? Dies quidem, quibus Pagani Chriſtianos vexabant, erant dies patientiæ Dei, & Chriſti: verùm dies ille tàm horrendi terræ motus, eſt dies magnus iræ ipſiuſmet Dei, & Chriſti, cùm innumeram Ethnicorum multitudinem debitis pœnis afficiant tunc temporis. Ita quondam Ioël loquens de adventu hoſtium in terram Juda: *Dominus*, inquit, *dedit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui: magnus enim dies Domini, & terribilis valde; & quis ſuſtinebit eum?* Ioël. 2. v. 11.

In eandem ſententiam loquitur Sophonias, dùm ait, *juxta eſt dies Domini magnus, dies iræ; & tribulabo homines, quia Domino peccaverunt, & effundetur ſanguis eorum ſicut humus.* Sophon. 1. v. 14. 15. 17.

Nahum quòque, *ante faciem indignationis ejus quis ſtabit? & quis reſiſtet in ira furoris ejus.* Nahum 1. v. 6.

Hanc de illo terræ motu Antiocheno explicationem abſolvam his ver-

Digitized by Google

bis Pſalmiſtæ, ut omnes unà mecum ex occaſione illius portenti ad ſaluberrimum timorem Domini cohorter: *Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. Dominus diſſipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum; & reprobat conſilia principum. Conſilium autem Domini in æternum manet. Beata gens, cujus eſt Dominus Deus ejus; populus, quem elegit in hereditatem ſibi. Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, quemadmodùm ſperavimus in te.*

Pſ. 32. v. 8. 10. 11. 12. 22.

EXPLANATIO XXVII.

Trium primorum verſuum Capitis ſeptimi Apocalypſis, de quinque Angelis, quorum quatuor cohibent quatuor præcipuos ventos; quintus verò præcipit cæleſtibus illis ſpiritibus nè noceant terræ, & mari, antequàm ſignentur ſervi Dei ſigno Dei vivi.

Verſ. 1. Poſt hæc vidi quatuor Angelos, ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, nè flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem.

℣. 2. Et vidi alterum Angelum, aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi; & clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari:

℣. 3. Dicens, nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoad uſque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.

Verſ. 1. *Poſt hæc.*

POSTEAQUÀM Chriſtus ſummus Judex oſtendit varias plagas, quas inflicturus eſt Ethnicis, tùm in pœnam idolatriæ, aliorumque flagitiorum, quibus callum obduxere; tùm in ultionem perſecutionis, quam movent adversùs Chriſtianos, revelat Dilecto Diſcipulo ſuam erga fidiſſimos ſui cultores charitatem eximiam, & gratias inſignes, quas ipſis mirum in modum eſt collaturus.

Ex

Ex ℣. 1. *Vidi quatuor Angelos, ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, nè flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in ullam arborem.*

Quatuor illi Angeli, in quatuor extremis, & oppoſitis terræ partibus, quæ ſunt Oriens, Occidens, Meridies, & Septentrio, conſtituti, non ſedent, quaſi otioſi, & nequicquam molientes; ſed *ſtant* erecti, vim ſuam parati exerere, ut ventos cohibeant; impediantque nè ex illis quatuor partibus terram perflent.

Ex illâ autem ventorum coercitione facilè quiſque intelligit fore maximam aëris intemperiem; ſterilitatem terræ; aquarum corruptionem; hominum, animaliumque necem; omnium denique rerum terrâ, marique conſiſtentium luctuoſam cladem.

At quænam poteſt eſſe tot, tantorumque malorum origo, niſi hominum in Deum Creatorem ſuum ſumma iniquitas; nefandus ſcilicet, quo ipſas creaturas proſequuntur, cultus; & is, quo Divinam Majeſtatem, omnium conditricem afficiunt, contemptus horribilis? Verùm æquitas poſtulat ut, dùm punientur noxii, ſerventur innocui: *Abſit enim ut* Gen. 18.
occidas juſtum cum impio; fiatque juſtus ſicut impius: non eſt hoc tuum, qui v. 25.
judicas terram, aiebat Abraham, Deum ipſum alloquens. Quamobrem Divina bonitas providit ut, quando impii Ethnici plectentur, ſalvi ſint virtute præditi Chriſtiani.

Verſ. 2. *Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis.*

Eapropter Joannes *videt* quintum *Angelum aſcendentem ab ortu ſolis*, ve- 1. ad Cor.
luti *Angelum lucis* miſſum *à Patre luminum*; & fauſta, ac læta nunciatu- 11. v. 14.
rum in gratiam *filiorum lucis*, Patri ſuo Cœleſti obſequentium; quemad- Ep. Jac. 1. v. 17.
modùm ipſe ſol ortu ſuo, & nativo lumine terram recreat; eique quan- ad Eph. 5.
dam ſibi convenientem felicitatem affert. v. 8.

Præterea, cùm ille Angelus eſſet Chriſti, ſtatuentis ſervare fideles, eoſque ab Ethnicis ſegregatos in Cœlum evehere cupientis, miniſter, indè aſcendit, undè ipſemet Dominus in Cœlum aſcenderat, *paraturus* Joan. 14.
locum in domo Patris ſui iis, qui fidem ei ſervarent: *Aſcendit Dominus* v. 4.
ſuper Cœlum Cœli ad Orientem, inquit Regius Propheta. Pſ. 67. v. 34.

Viſus eſt etiam *Angelus aſcendere ab Oriente*, quò ſolent ſe convertere Chriſtiani Deum precantes; ut hinc percipiamus fidelium orationes eſſe acceptas Deo; ipſumque icciteo velle illos Angeli ſui miniſterio tueri; & à malis, quæ dæmonum cultoribus imminent, incolumes ſervare.

Ex ℣. 2. *Habentem ſignum Dei vivi.*

Præferebat ille Cœleſtis Spiritus ſignum crucis: quippe nonniſi Chriſti Crucifixi beneficio, & gratiâ ſalvantur homines; illudque ſignum ſalutare nuncupatur *ſignum Dei vivi*; quia electum eſt à Deo vivo, & vero, ut homines à morte æternâ ſervatos in vitam perducat ſempiternam.

Deinde Crux eſt *ſignum*, non hominis mortui propter ſcelera ſua, quemadmodùm Judæi, & Pagani autumant; ſed *filii Dei vivi*, qui poſtquàm mortem in carne, quam aſſumpſerat, libens pro peccatis hominum

perpeſſus eſt, reſurrexit; & vivit in æternum cum Deo Patre in Cœlis.

Joan. 19. v. 19. Ad hæc, *ſignum* crucis eſt vexillum, ſub quo *Jeſus Nazarenus Rex Iudæorum* ſubegit Principem hujus mundi; & per quod compellet nationes ad cultum veri Dei, & vivi, ſpretis hominibus mortuis flagitioſiſſimis, ac Dæmonibus nequiſſimis, quos veluti Deos ſtultè, & impiè adorant.

Matth. 24. v. 30. ad Philip. 3. v. 18. Denique, ſicuti Chriſtus Summus Iudex, in fine ſæculorum apparebit cum illo eodem ſigno, ut *inimicos crucis* ſuæ condemnet; amicos autem illius muneretur; ita ille Angelus, miniſter Summi judicis, apparuit habens ſacrum illud ac ſalutiferum ſignum, quo fideles ab infidelibus ſecernat; & his propter crimina ſua punitis, illos Dei benignitate foveat.

Ex ℣. 2. *Et clamavit voce magnâ quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari.*

Cùm verò ille Angelus authoritate Dei Magni, Cœlum, & terram implentis, magnòque ex zelo gloriæ illius, necnon ex magnâ charitate erga fideles locuturus eſſet; dicturuſque res magni momenti; atque vox ejus ad extremas orbis terræ partes perferenda foret, *Clamavit voce magnâ.* Quatuor autem præfatos Angelos, quibus data eſt poteſtas à Deo multiplices plagas ex cohibitione quatuor ventorum infligendi, compellavit.

Verſ. 3. *Dicens, nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoaduſque ſignemus ſervos Dei noſtri in frontibus eorum.*

Exod. 12. v. 7. 12. 13. Sicuti olim præcepit Deus utrumque poſtem, & ſuperliminaria domorum Iſraëlitarum aſpergi ſanguine agni, in ſignum, quo populus Dei illæſus foret, dùm Angelus interficeret omnia primogenita Ægyptiorum: Ita Chriſtus verus *Agnus Dei*, qui ſanguinem pro ſalute ſuorum fudit in Cruce, vult Chriſtianos ſibi addictos notari ſigno Sanctæ Crucis, ut ſalventur, quando ejus juſſu Ethnici interimentur.

Ezech. 9. v. 2. 3. 4. 5. 6. Præcepit etiam aliquando Divina Majeſtas uni Angelo, ut *Signaret Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiebant in medio Ieruſalem; & poſteà dixit ſex aliis Angelis, Tranſite per Civitatem, & percutite. Omnem autem, ſuper quem videritis Thau, nè occidatis.*

Similem in modum Chriſtus, hominum Salvator, & Iudex, mandat frontes Chriſtianorum, qui Ethnicas ſuperſtitiones, aliaque flagitia execrantur, ſigno Crucis, cujus litera Thau erat figura, obſignari, ut mortem paganis imminentem, non tantùm æternam, effugiant ſemper; verùm etiam temporalem nonnunquàm, prout ſibi viſum fuerit, mediis in calamitatibus aliorum, declinent.

2. ad Tim. 2. v. 19. *Novit* quidem *Dominus qui ſunt ejus*; nec aliud ei neceſſarium eſt ſignaculum quàm ſcientiæ ſuæ, ut bonos à malis diſcernat; ſed ſignificare vult quæ res ipſum moveat ad illam diſcretionem. Nimirùm, inquit, *qui me*
Luc. 9. v. 26. *erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in majeſtate ſuâ, & Patris, & Sanctorum Angelorum*; ſecùs, *omnis, qui confi-*
Matth. 10. v. 32. *tebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt.* Quaptopter, cùm pudor, & erubeſcentia appareat potiſſimùm

in

Digitized by Google

in fronte, jubet Chriſtus, ut eorum, qui ipſum non erubuerint, ſed audacter, & intrepidè confitebuntur, frontes obſignentur ſigno Crucis, quam ipſe non erubuit pro illorum ſalute, ſed libenter pertulit. Sic ſalvi erunt, & immunes à malis, quæ apoſtatas, & quoſvis alios infideles invadent; nec ulla clades, aut calamitas, quæ impios vaſtabit, allatura eſt ſanctis Dei cultoribus quicquam detrimenti: *Diligentibus* enim *Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt Sancti, quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui.* ad Rom. 8 v. 28. 29.

Hæc ad propoſitorum verborum Apocalypſis explanationem dicta ſint.

Quod verò reipsâ Chriſtiani Divinâ Providentiâ exempti fuerint à plagis, quæ iuſto Dei judicio inflictæ ſunt Ethnicis; vel, ſi aliquando viſi fuere iidem, ac Pagani, calamitatibus involvi, nullum tamen indè detrimentum, ſed magnas utilitates ſpirituales perceperint, quia crucis, quam conſtanter profitebantur, obſignati erant ſigno, patet teſtimonio Sanctorum Patrum, & Hiſtoriographorum primævæ Eccleſiæ. S. Cyprian. contra Demetrian.

Non ideò, ait Sanctus Cyprianus, *quis putet Chriſtianos iis, quæ accidunt, non vindicari, cùm & ipſi videantur accidentium incurſatione perſtringi. Pœnam de adverſis mundi ille ſentit, cui & lætitia & gloria omnis in mundo eſt. Cæterùm nullus iis dolor eſt de incurſatione malorum præſentium, quibus fiducia eſt futurorum bonorum. Per ipſa, quæ vos cruciant, & fatigant, probari, & coronari nos ſcimus, & fidimus. Apud vos impatientia clamoſa ſemper, & querula eſt: apud nos fortis, & religioſa patientia; quieta ſemper, & ſemper in Deum grata eſt. Exultant ſemper in Domino Chriſtiani; lætantur, & gaudent in Deo ſuo; & mala, atque adverſa mundi fortiter tolerant, dum bona, & proſpera futura in regno cœleſti proſpectant.*

Addit Sanctus Martyr, ab imminentibus malis *evadere eos* ſolos poſſe, qui renati, ac ſigno Chriſti ſignati fuerint; quod confirmat *ſigno Thau, & ſigno ſanguinis agni:* undè concludit, *ut illic percuſsâ Ægypto Iudaicus populus evadere non niſi ſanguine, & ſigno agni potuit; ita &, cùm vaſtari cœperit mundus, & percuti, quiſquis in ſanguine, & ſigno Chriſti inventus fuerit, evadet.* Hæc Sanctus Cyprianus.

Euſebius autem ex Dionyſio Alexandrino, poſtquàm retulit perſecutionem Chriſtianis illatam ab Ethnicis, ait; *His de rebus deinceps bellum, & fames eos de improviſo oppreſſere; quæ quanquàm nos unà cum Gentilibus perferebamus, ſoli tamen inter omnes, quæcumque urgebant, æquo animo ſuſtinuimus. Peſtis etiam ſubitò graſſari cœpit, res planè illis ad terrendum omni metu formidoloſior, & ad excruciandum quâvis calamitate miſerior: Verùm nobis non ejus generis putabatur; ſed à Deo, cùm ad fidem noſtram exercendam, tùm ad tolerantiam animi probandam, cœlitus inflicta; & ſicut alicubi à nobis minimè abſtinuit, ſic in Gentiles longè, latèque oberravit. Quàm plurimi è fratribus noſtris adeò immenſo quodam charitatis ardore erant inflammati, ut minimè ſuæ parcentes vitæ, eos qui morbo opprimeban-* Euſeb. hiſt. l. 7. c. 17.

mebantur, ſedulò inviſerent; illis inſervirent aſſiduè; pro viribus ob Chriſti amorem curarent. Gentiles autem fecere contraria: eos enim, qui ægrotare incipiebant, ab ædibus extrudere; deſerere amiciſſimos; in plateis ſemivivos projicere; cadavera inſepulta canibus exponere dilanianda; mortis participationem avertere, quam planè, vel infinita diverticula quærentes, nullo modo poterant evitare.

Idem Hiſtoriographus, cùm narravit *peſtem, & famem* tempore Maximini Chriſtianorum perſecutoris, *univerſas familias brevi temporis ſpatio abſumpſiſſe*, ſubjungit: *Chriſtiani ſoli in tanto malorum cumulo ſuis rectè factis, & piis officiis miſericordiam ſuam declarabant: quorum alii in dies ſingulos mortuorum funeribus, & ſepulturæ diligentem navarunt operam; alii multitudini eorum, qui per totam Civitatem fame urgebantur, in unum coactâ, omnibus panes diſpertierunt, uſque adeò ut ſinguli Chriſtianorum Deum laude, & gloriâ prædicarent; eoſque ſolos, & veros Dei cultores, re, & factis comprobatos, faterentur.* Iſta Euſebius. (Euſeb. hiſt. l. 9. c. 7.)

Sed & Ruffinus aſſerit tùm, ſcilicet ſub Maximino, *noſtrorum populis per Dei gratiam, quod maximè omnibus mirabile fuit, neque famem in aliquo, neque luem fuiſſe dominatam; ita ut videretur completum illud quod ſcriptum eſt in Exodo, quia Ægyptiis erant tenebræ palpabiles, & craſſæ: filiis autem Iſraël erat lux in omnibus habitationibus ſuis.* (Ruffin. hiſtor. Euſeb. interpret. l. 9. c. 8.)

O quàm bonus, & ſuavis eſt, Domine Spiritus tuus in omnibus, qui diligunt te! *Quia non & ipſi eadem paſſi erant, magnificabant te; & qui antè læſi erant, quia non lædebantur, gratias agebant.* Utinam & nos in omnibus gratias agamus; & Deum ſummè bonum magìs, ac magìs ſemper diligamus, quò nos à reprobis in æternum ex benignitate ſuâ ſecernat! (Sap. 11. v. 1. C. 18. v. 2.)

EXPLANATIO XXVIII.

Obſignationis duodecim millium in quâvis Tribu; nominis, & ordinis Tribuum obſignatarum; & cur Tribus Dan, & Ephraim prætermiſſæ ſint, à verſu quarto ad octavum Capitis ſeptimi Apocalypſis.

VERS. 4. Et audivi numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia ex omni Tribu filiorum Iſraël.

ỿ. 5. Ex

℣.5. Ex Tribu Iuda duodecim millia ſignati ; ex Tribu Ruben duodecim millia ſignati; ex Tribu Gad duodecim millia ſignati.

℣.6. Et Tribu Aſer duodecim millia ſignati ; ex Tribu Nephtali duodecim millia ſignati; ex tribu Manaſſe duodecim millia ſignati.

℣.7. Ex Tribu Simeon duodecim millia ſignati; ex Tribu Levi duodecim millia ſignati; ex Tribu Iſſachar duodecim millia ſignati.

℣.8. Ex Tribu Zabulon duodecim millia ſignati; ex Tribu Joſeph duodecim millia ſignati ; ex Tribu Benjamin duodecim millia ſignati.

Verſ.4. *Et audivi numerum ſignatorum ex omni Tribu filiorum Iſraël.*

CUM Angelus anteà proclamaverit *ſignandos* eſſe *ſervos Dei ſigno Dei vivi* ; ac nunc declaret Joannes plurimos filios Iſraël eſſe ſignatos , non alii hâc appellatione *filiorum Iſraël* intelligendi ſunt quàm Chriſtiani, quippe qui ſoli , ut oportet , ſerviant Deo ; & Chriſtum filium Dei , ac Deum piè , & ſanctè
colant : unde nuncupantur à Paulo *Iſraël Dei* ; & juxta elogium Chri- ad Gal.6.
ſti ſunt *verè Iſraëlitæ , in quibus dolus non eſt* , ſed ſincera confeſſio v.16.
veritatis , quam ab ipſomet Chriſto fuerunt edocti. Joan.1.
Præterea ſicut ii ſunt filii Abrahæ , *qui ſectantur veſtigia fidei ejus*; v.47.
ita cenſentur in numero filiorum Jacob , ſeu Iſraëlis , qui pietatem il- ad Rom.4.
lius imitantur. At hic ſanctus Patriarcha, viſo Domino ſe devovit; eique v.12.
erexit titulum in perenne grati animi monimentum. *Convocatâ* etiam Gen.28.
omni domo ſuâ , ait , abjicite Deos alienos , qui in medio veſtri ſunt ; & v.18.& 20.
mundamini. Dederunt ei ergo omnes Deos alienos , quos habebant : at ille Gen. 35.
infodit ea ſubter Terebinthum. Poſtmodum autem *ædificavit altare Deo ; &* v.2.-4.7.
appellavit nomen loci illius domus Dei. Non alia verò Chriſtianorum mens eſt,quàm ubique prorſùs evertere idololatriam; & cultum Dei inſtituere; erigere titulos ; ædificare altaria ; & Eccleſias condere ad honorem Majeſtatis Divinæ.

Quin etiam Chriſtiani , quamvis graviſſimas ab infidelibus perſecu- Gen.27.
tiones patiantur , divinâ virtute corroborati perſecutores ſuos ſupera- v.41. c.32.
bunt ; quemadmodum Jacob auxilio Dei fretus prævaluit adversùs v.6. 28.
fratrem ſuum Eſaü , qui illum ingenti odio proſequebatur ; & furens, ac ſtipatus quadringentis militibus mortem ei parabat inferre.

Ex ℣. 4. *Centum quadraginta quatuor millia ſignati.*

Numerus ille conficitur ex duodecim millibus , qui in unaquâque

duodecim

duodecim Tribuum ſignantur, duodecies multiplicatis.

Cur verò duodecim millia obſignentur in quâvis Tribu, myſterium eſt nobis ex ſacrâ Scripturâ revelandum.

Num.25. *Eo tempore*, quo *morabatur Iſraël in Settim, fornicatus eſt populus*
v.1.2.3.4. *cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua: at illi come-*
5.9. *derunt, & adoraverunt Deos earum.* Quare *iratus Dominus juſſit ſuſpendi*
in patibulis cunctos principes populi; & occidi viginti-quatuor millia
Num.26. *hominum, qui initiati fuerant* idolo *Beelphegor. Poſtquam* autem *noxio-*
v.1.2. *rum ſanguis effuſus eſt*, præcepit Dominus *numerari omnes filios Iſraël*
Num.31. *à viginti annis, & ſuprà, qui poſſent ad bella procedere.* Deinde ex illis
v.1.2.3.4. *electi ſunt mille viri de ſingulis tribubus, id eſt, duodecim millia expe-*
ditorum ad pugnam, ut expeterent ultionem Domini de Madianitis, ſeu
Num.20. Moabitis, qui cùm immiſiſſent filias ſua in caſtras Iſraëlitarum, illis
v.3.4.7. cauſa fuerant fornicationis, & idololatriæ.

Porro illa duodecim millia Iſraëlitarum, *cùm pugnaſſent contra Ma-*
dianitas, atque viciſſent, omnes mares occiderunt; ac poſteà etiam
Num.31. *omnes mulieres, quæ noverant viros, jugularunt. Tam urbes, quàm viculos,*
v.7.10.
11.17.49. *& caſtella flammâ conſumpſerunt*; *tuleruntque prædam, & univerſa, quæ*
ceperant; atque ita felix fuit belli exitus, ut *nè unus quidem defuerit*,
ſeu perierit ex recenſitis duodecim millibus militum Iſraëlitarum.

Hoc tam illuſtre antiqui populi Dei adversùs idolorum cultores, & hoſtes ſuos Madianitas exemplum militiæ ſanctæ attendens Angelus, obſignavit, ſub nomine filiorum Iſraël, duodecim millia Chriſtianorum ſigno Dei vivi, ut eo muniti, &, divino præſidio freti, pugnam ſpiritalem fidei, cæterarumque virtutum ineant; ac feliciter conficiant contrà gentes dæmonum cultui addictas, & infenſas religioni Chriſtianæ.

Verùm, quia veteres Iſraëlitæ nonniſi contrà unam plebeculam Moabitidem dimicaturi erant, uno etiam duntaxat cuneo duodecim millium armatorum proceſſerunt: novi autem Iſraëlitæ, hoc eſt, Chriſtiani, cùm debeant adversùs omnes nationes toto orbe diffuſas decertare, duodecies auctis præcedentibus copiis accinguntur ad certamen. Quippe terra in quatuor partes dividitur; & virtute ſanctæ Trinitatis, in cujus nomine baptiſati ſunt, ac ſignati Chriſtiani, tanquàm milites ſacri, victoriam de cunctis gentibus reportabunt: Quatuor autem ter ducta
Apoc.21. efficiunt duodecim: unde etiam ſub finem Apocalypſis dicuntur eſſe in
v.13. muro ſanctæ Civitatis Jeruſalem deſcendentis de cœlo, *ab oriente portæ*
tres; & ab aquilone portæ tres; & ab auſtro portæ tres; & ab occaſu portæ tres.

Cùm etiam fides, pro quâ Sancti decertaturi ſunt, *ſuperædificata ſit*
ad Epheſ. *ſuper fundamentum Apoſtolorum*, numerus duodecim millium illorum
2.v.20. ſacrorum militum, ex novis Iſraëlitis ſelectorum, & in antiquis adumbratorum, multiplicatur duodeciès propter duodecim Apoſtolos, quo-
Apoc.21. rum fidem conſtanter tenebunt; & invicto animo propugnabunt. Hinc
v.14. quoque ſub finem Apocalypſis aſſeritur *murus civitatis* Sanctæ Jeruſalem

Digitized by Google

lem *habere fundamenta duodecim; & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.*

Quinam verò ex Chriſtianis ſeligantur præcipuè ad ſacrum illud bellum ſuſcipiendum, & conficiendum tàm feliciter, ut nè unus quidem ex illis pereat? non dubitaverim eſſe ſanctos Martyres.

Tertullianus enim eorum nomine ait, *prælium eſt nobis quòd provocamur ad tribunalia, ut illic ſub diſcrimine capitis pro veritate certemus. Victoria eſt autem, pro quo certaveris, obtinere. Ea victoria habet gloriam placendi Deo, & prædam vivendi in æternum.* Tertul. Apol. c. 50.

Luculentiùs adhuc Sanctus Cyprianus, Martyribus, & Confeſſoribus ſcribens: *Quoſdam*, inquit, *jam comperi coronatos; quoſdam verò ad coronam victoriæ proximos; univerſos autem, quos agmine glorioſo carcer incluſit, pari, ac ſimili calore virtutis ad gerendum certamen animatos, ſicut eſſe oportet in divinis caſtris milites Chriſti, ut incorruptam fidei firmitatem, non blanditiæ decipiant; non minæ terreant; non cruciatus, ac tormenta devincant, quia major eſt, qui in nobis eſt, quàm qui eſt in hoc mundo.* S. Cypr. l. 1. ep. 8.

Et paulò poſt, *vidit admirans præſentium multitudo cœleſte certamen, certamen Dei, ſpiritale certamen, prælium Chriſti, ſtetiſſe ſervos ejus voce liberâ, mente incorruptâ, virtute divinâ; telis quidem ſæcularibus nudos; ſed armis fidei credentes armatos.*

Quàm lætus illic Chriſtus fuit; quàm libens in talibus ſervis ſuis, & pugnavit, & vicit protector fidei! Præliatores, atque aſſertores ſui nominis erexit; corroboravit; animavit; & qui pro nobis mortem ſemel vicit, ſemper vincit in nobis. Hæc Cyprianus.

℣. 5. *Ex Tribu Iuda duodecim millia ſignati.*

Operæ pretium eſt advertere obſignatas eſſe hîc Tribus ordine plurimùm diverſo ab eo, quo referuntur tùm Geneſis, tùm Numerorum libro.

In Geneſi is eſt ordo nativitatis filiorum Jacob, à quibus prognatæ ſunt Tribus Iſraëliticæ, *Ruben, Simeon, Levi, Iuda, Dan, Nephtali, Gad, Aſer, Iſſachar, Zabulon, Ioſeph, Benjamin.* Gen. 29. 30. 35.

Libro autem Numerorum jubentur caſtra metari hoc ordine. Num. 2.

Ad orientem, *Iudas, Iſſachar, Zabulon.*

Ad meridiem, *Ruben, Simeon, & Gad.*

Ad occidentem, *Ephraim, Manaſſe*, qui ambo geniti ſunt à Joſeph; *& Benjamin.*

Ad aquilonem, *Dan, Aſer, & Nephtali.*

At hîc ea eſt ſeries tribuum; *Iuda, Ruben, Gad, Aſer, Nephtali, Manaſſe, Simeon, Levi, Iſſachar, Zabulon, Ioſeph, Benjamin.*

Myſteria ſanè latent eo in ordine juxta conſilium Dei, nihil non ſapientiſſimè diſponentis; eaque conveniunt quàm maximè Chriſtianis, qui propterea ſignantur ſigno Dei vivi, quòd Chriſtum tempore perſecutionis non erubeſcent; ſed in ejus nominis con-

feſſione conſtantiſſimè perſeverabunt.

Itaque prima omnium ſignatur Tribus Juda, quæ nomine ſuo con-
Gen. 29. v. 35. feſſionem ſignificat: ait enim pariens illum Lia, *modò confitebor Domino; & ob hoc vocavit eum Iudam.* At nullus eſt Chriſtianus, qui tempore perſecutionis non debeat id in primis ſibi proponere, ut
ad Rom. 10. v. 10. Chriſtum, in quem credit, confiteatur: *Corde enim*, inquit Paulus, *creditur ad juſtitiam; ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Quod eò
S. Iren. l. 1. c. 23. magis commendandum fuit cunctis fidelibus, quò plures erant hæretici, qui Chriſtum in perſecutione negandum obganniebant; quam-
Matth. 10. v. 33. vis ipſemet Chriſtus aſſeruerit, *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.*

Ex ℣. 5. *Ex tribu Ruben, duodecim millia ſignati.*

Gen. 29. v. 32. Signata eſt ſecundo loco tribus Ruben, quem mater ejus nuncupavit eo nomine, dicens, *vidit Dominus humilitatem meam.* Chriſtianos verò, ut gratiam confitendi Chriſtum tempore perſecutionis obtineant,
Ep. Jac. 4. v. 6. oportet eſſe humiles; & quantâlibet polleant ſanctitate, abjicere à ſe ſuperbiam: *Deus enim ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam.*

Ex ℣. 5. *Ex Tribu Gad d odecim millia ſignati.*

Tertio loco ſignatur Tribus Gad, quæ ſuo nomine felicitatem innuit. Quando enim illum Zelpha peperit, Lia ejus domina dixit, *feliciter; & idcirco vocavit nomen ejus Gad.* Quamobrem Chri-
Gen. 30. v. 10. 11. ſtianus, ſicuti ex duabus præcedentibus tribubus dictum eſt, Chriſtum piè, ac humiliter confitens, ſperet, juxta vim ſignificationis hujus tertiæ Tribus, curſum vitæ ſuæ feliciter ſe conſummaturum; &, ut reipsâ felicitatem æternam aſſequatur, non tàm atrocitatem tormentorum, quæ ſuffert, quàm æquitatem cauſæ, pro quâ patitur,
1. Petr. 4. v. 14. & immortalem gloriam, quæ ei in cœlo repoſita eſt, attendat.

ad Rom. 8. v. 18. Verſ. 6. *Ex tribu Aſer duodecim millia ſignati.*

Obſignatur quarto loco tribus Aſer, cujus nomen beatitudinem etiam ſignificat: unde Lia, cujus ancilla filium illum peperit, *dixit, hoc pro beatitudine meâ; beatam quippe me dicent mulieres.* At quàm potiori
Gen. 30. v. 30. jure Martyr mediis in tormentis beatum ſe reputet, cùm, *ſicut abundant Chriſti paſſiones* in eo; *ita & per Chriſtum abundet* ejus *conſola-*
2. ad Cor. 1. v. 5. *tio*; atque quò plura patitur, eò majorem promereatur beatitudinem.
Matth. 5. v. 10. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*

Ex verſ. 6. *Ex tribu Nephtali duodecim millia ſignati.*

Obſignata quinto loco tribus Nephtali nomine ſuo ſignificat æquiparationem: ait enim Rachel illi nomen imponens, *comparavit me Deus cum ſorore meâ; & invalui.* Nonne verò quivis Martyr mirâ Dei
Gen. 30. v. 8. gratiâ æquiparatur cuivis animæ fœcunditate bonorum operum gaudenti; atque etiam illam plerumque ſuperat, cùm ſtatim atque Martyr diſcedit, recipiatur in Cœlum; quod perſæpe multis aliis virtute præditis non illicò conceditur, quia perfectam animi ſanctimoniam, ac puritatem,

tatem, quæ, ut quis Deum perſpicuè intueatur, neceſſaria eſt, nondum ſunt aſſecuti.

Ex verſ. 6. *Ex tribu Manaſſe duodecim millia ſignati.*

Porrò Manaſſe, cujus tribus ſexto loco ſignatur, *oblivionem* ſignificat: Namque Joſeph Pater ejus illum nuncupans dixit, *oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Sed nunquid non Martyr præ immenſitate gaudii, quo perfruetur in Cœlis, obliturus eſt cuncta, quæ perpeſſus fuerit pro Chriſto? Chriſtus ipſemet alloquens Apoſtolos ſuos, & in eis omnes Martyres, ait: *Mulier, cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora ejus: cùm autem pepererit puerum, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis: iterùm autem videbo vos; & gaudebit cor veſtrum; & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*; ac conſequenter, juxta ſimilitudinem mulieris, poſtquàm enixa eſt, obliviſcemini omnium laborum, & dolorum veſtrorum. Gen. 41. v. 51. Joan. 16. v. 21. 22.

Verſ. 7. *Ex tribu Simeon duodecim millia ſignati.*

Simeon, nomine ſuo vim habet *exauditionis*: ait enim Lia mater ejus, *quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam iſtum mihi.* At fideles, animadvertentes ſe ab infidelibus, non tantùm deſpici, ſed etiam graviſſimè vexari, plurimas ad Deum preces fuderunt, ut illius benignitate multiplicarentur ad gloriam ipſius; & Deus, exaudiens illos, ita multiplicavit, ut *ſanguis Martyrum* fuerit *ſemen Chriſtianorum; & plures effecti* ſint, quoties ab Ethnicis imminuti ſunt, & obtruncati. Gen. 29. v. 33. Tertul. Apol. ſub finem.

Ex verſ. 7. *Ex tribu Levi duodecim millia ſignati.*

Levi idem eſt ac *copulatus*: etenim dixit Lia, *nunc quòque copulabitur mihi maritus meus, eo quòd genuerim ei tres filios.* Sic Eccleſia, vera ſponſa Chriſti, cùm vidit ſe illius gratiâ, & cooperatione ſuâ, mediis in perſecutionibus gignere filios Dei, ſperavit ſponſum ſuum arctiùs ſibi conjungendum; & fœcunditate Divini Spiritus illius prolem ipſi numeroſiſſimam daturum. Gen. 29. v. 34.

Ex verſ. 7. *Ex tribu Iſſachar duodecim millia ſignati.*

Eccleſiam certè ſpes ſua non fefellit; eaque ipſius unio cum ſponſo ſuo, & per illum mira fœcunditas, merces fuit fidei, pietatis, humilitatis, charitatis, patientiæ, cæterarumque virtutum, quas edidit ad gloriam illius. Id autem ſignificatum eſt nomine Iſſachar: quippe ait Lia, cùm eum peperit, *dedit Deus mercedem mihi, appellavitque nomen ejus Iſſachar.* Gen. 30. v. 18.

Verſ. 8. *Ex tribu Zabulon duodecim millia ſignati.*

Zabulon *habitaculum* ſignificat: unde Lia, *etiam hâc vice*, inquit, *mecum erit*, ſeu habitabit, *maritus meus.* At ſub finem Apocalypſis Joannes vidit *Eccleſiam paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo; & audivit vocem magnam de Throno dicentem, Ecce tabernaculum Dei cum hominibus; & habitabit cum eis.* Gen. 30. v. 20. Apoc. 21. v. 23.

Ex verſ. 8. *Ex tribu Ioſeph duodecim millia ſignati.*

Joſeph *augmentum* ſuo nomine indicat : ad quod alludens Jacob
Gen. 49. v. 22. ait, *filius accreſcens Ioſeph.* Et ſanè, poſtquàm iniquitate fratrum ſuorum, quos accuſaverat apud patrem ſuum crimine peſſimo, redactus
Gen. 37. 39. 41. eſt in ſervitutem ; & per calumniam truſus fuit in carcerem, miro modo exaltatus eſt, ac crevit dignitate, & gloriâ. Sic fideles, dùm Ethnicorum, quos emendare peroptabant, opera flagitioſa redarguerent, odio habiti ſunt ; ſervilibus notis mulctati ; falſis impetiti criminibus ; horrendos in carceres conjecti ; & quibuſvis tormentorum generibus excruciati. Sed tandem mirâ Dei benignitate liberati ſunt ab omnibus illis calamitatibus ; & ad gloriæ cumulum evecti.

Ex verſ. 8. *Ex tribu Benjamin duodecim millia ſignati.*

Gen. 35. v. 18. Rachel Benjamin pariens, *egrediente animâ præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii ſui Benoni ; id eſt, filius doloris mei : pater verò appellavit eum Benjamin, id eſt, filius dexteræ.* At non dubium eſt quin Chriſtiani ſint, & filii doloris, & filii dexteræ ; cùm illos ſancta mater Eccleſia potiſſimùm tempore perſecutionum, magnis doloribus pepererit ; eoque in partu enituerit virtus Omni-
Pſ. 117. v. 16. potentis Dei, ita ut queat dicere, *dextera Domini exaltavit me ; dextera Domini fecit virtutem.*

Explanato numero, nomine, & ordine Tribuum obſignatarum ſigno Dei vivi, ſupereſt ut reddam rationes cur Tribus Dan, & Ephraim non fuerint hìc recenſitæ.

Declaravi ſub nomine filiorum Iſraël obſignatos eſſe in frontibus Chriſtianos, qui tempore perſecutionis Chriſtum non erubeſcerent, ſed conſtanter confiterentur ; mallentque mori quàm illum negare, & blaſphemare. Quippiam verò contrarium egit aliquis ex Tribu Dan in deſerto.

Levit. 24. v. 10. 11. 12. 13. 14. 23. *Ecce*, inquit Scriptura, *egreſſus filius mulieris Iſraëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio inter filios Iſraël, jurgatus eſt in caſtris cum viro Iſraëlitâ ; cumque blaſphemaſſet nomen, & maledixiſſet ei, adductus eſt ad Moyſem : vocabatur autem mater ejus Sulamith, de tribu Dan ; miſeruntque eum in carcerem, donec noſſent, quid juberet Dominus ; qui locutus eſt ad Moyſem, dicens Educ : blaſphemum extra caſtra ; & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus ; & lapidet eum populus univerſus : feceruntque filii Iſraël, ſicut præceperat Dominus Moyſi.*

Cùm igitur aliquis de Tribu Dan, & ſolus ex omnibus Tribubus Iſraëliticis, eò impietatis proruperit, ut Dominum blaſphemaret ; ac propterеà nec nomen illius impii expreſſum fuerit ob ejuſce nefandi ſceleris execrationem ; idcirco Tribus Dan inter alias Tribus ſigno Dei vivi obſignatas non recenſetur, ut hinc intelligamus eos, qui Chriſtum negabunt, ejuſque nomen blaſphemaverint, non computandos cum illis, qui Chriſtum confitebuntur, ac glorificabunt.

Prætereà,

Prætereà, tribus Dan, ſive *marcens ignaviâ*, ſive ſuperbiâ tumens, Joſue 18.
contempſit terram, quæ illi contigit ex ſorte ultimâ, quam Joſue cum v. 3.
Eleazaro ſummo Sacerdote miſit coram Domino in Silo, ubi erat tunc Ta- C.19.v.40,
bernaculum cum Arcâ. Quæſivit autem poſteà tribus Dan aliam poſſeſ- 51.
ſionem circa fines Sidoniorum, petito priùs conſilio cujuſdam adoleſcen- Iudic.
tis Levitæ, qui temerè factus fuerat Sacerdos in domo Michæ; ibique c.18.
erat impius cultor idoli. Denique, occupatâ præter fas Civitate Lais, &
trucidatis ejus civibus, *poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionatham filium Gerſan* Iudic.
filii Moyſi, ac filios ejus Sacerdotes in tribu Dan uſque ad diem captivitatis 18.v.30,
ſuæ; manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei 31.
in Silo.

At ii, quos Apocalypſis recenſet obſignatos ſigno Dei vivi, totis viri-
bus contendent, ut aſſequantur hereditatem Cœleſtem, quam illis ſor-
te, ſeu electione divinâ, ſecundùm beneplacitum, & conſilium Dei ſibi
notum Jeſus Chriſtus, verus Joſue, ac verus Sacerdos præparavit; eam-
que hereditatem humili, ac grato animo, tanquam ex dono Dei, & gra-
tiâ ſingulari ſibi oblatam percipient. Plura ſunt ad illius veritatis proba- Math. 11.
tionem, tùm in Evangelio, tùm in Epiſtolis Principum Apoſtolorum, v.12.
argumenta. Luc.13.

Ulteriùs, qui obſignantur ſigno Dei vivi, hoc maximè ſibi propo- v.24.
nent, ut cultum divinum propagent, & idololatriam aboleant; erunt- ad Epheſ.
que fide, & pietate ſuâ arctiſſimè conjuncti Eccleſiæ Catholicæ, quæ do- 1.v.11.12.
mus Dei eſt; & verum habet Chriſti Sacerdotium. Quapropter Tribus 13.14.
Dan judicata eſt indigna, quæ inter obſignatas ſacro ſigno recenſeretur, 1. Petr.1.
utpote quæ morum ſuorum antè relatâ pravitate impios, idololatras, atque v.3.4.
ſchiſmaticos ſignificaret.

Iiſdem fermè de cauſis Tribus Ephraim hocce Apocalypſis loco non
eſt recenſita. Poſtquàm enim Tribus Iſraël terram ſibi à Deo promiſſam Iudic.
ſortitæ ſunt, Michas de monte Ephraim primus fuit, qui idololatriam 17.
in domum ſuam invexit; & Levitam impio Sacerdotio initiavit.

Adde quòd Sichem, quæ erat in tribu Ephraim, fuit caput regni 3.Reg.12.
ſchiſmatici, & impii decem tribuum, à regno domus Davidicæ, ex qua à v.25.
Chriſtus Dominus oriturus erat, ſeparatarum; & colentium vitulos au-
reos à Jeroboamo conſtitutos.

Eas ob rationes tribus Ephraim, & tribus Dan mihi videntur inter
obſignatas ſigno Dei vivi non recenſitæ.

Quàm infelix ſtatus illorum, quorum tanta eſt iniquitas, ut *deleantur* Pſ. 68.
de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur! Secùs quàm felix *genus ele-* v.29.
ctum, gens ſancta, populus acquiſitionis, quos *Deus omnis gratiæ vocavit in* 1.Petr.2.
æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu! Quapropter, fratres, adhortatio eſt v.9.
Principis Apoſtolorum, *magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram* C 5.v.10.
vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquan- 2.Petr. 1.
do: ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini v.10.11.
noſtri, & Salvatoris Ieſu Chriſti.

EXPLANATIO XXIX.

Innumerabilis turba Sanctorum cum veſtibus albis, & palmis, Deo & homini Chriſto agentium gratias, quas Angeli confirmant, à nono ad duodecimum verſum Capitis ſeptimi Apocalypſis.

VERS. 9. Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.

℣. 10. Et clamabant voce magnâ, dicentes, ſalus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno.

℣. 11. Et omnes Angeli ſtabant in circuitu throni, & Seniorum, & quatuor Animalium, & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adoraverunt Deum.

℣. 12. Dicentes, Amen. Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum. Amen.

Verſ. 9. ***Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis.***

SACRA Scriptura refert filiorum Iſraël de Ægypto egreſſa *ſexcenta ferè millia peditum virorum abſque parvulis; ſed & vul-*
Exod. 12. v. 37. 38. *gus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis.*

Num. 1. v. 1. 45. 46. 47. *Primâ* autem *die menſis ſecundi, anno altero egreſſionis eorum ex Ægypto, numerati ſunt à Moyſe, & Aaron in deſerto Sinai omnes filii Iſraël, à vigeſimo anno, & ſuprà, qui poterant ad bella procedere, exceptis Levitis; fueruntque ſexcenta tria millia virorum quingenti quinquaginta.*

Num. 14. v. 29. At illi omnes, præter Caleb, & Joſue, mortui ſunt in ſolitudine, quia increduli fuerunt, & rebelles Domino.

Poſt

Poſtquàm verò illi omnes bellatores obiere, *recenſiti ſunt in campeſtri-* Num. 26.
bus Moab ſexcenta millia, & mille ſeptingenti triginta; ex eiſque deinde ſelecta v. 51. 63.
duodecim millia; mille ſcilicet ex unaquâque tribu ad pugnam contra 64. 65.
Madianitas, ſeu Moabitas, quorum filiæ multos Iſraëlitas ad fornicatio- C. 31.
nem, & idololatriam pellexerant. C. 25.

Cùm autem præfata duodecim millia victoriam de Madianitis repor-
taſſent inſignem, *Moyſes juſſu Domini diviſit ex æquo prædam inter eos, qui* Num. 31.
pugnaverunt, egreſſique ſunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitu- v. 27.
dinem.

Poſtmodùm, *ſexcenta millia, & mille ſeptingenti triginta* bellatores, quos Num. 26. à
Moyſes recenſuerat, pervenerunt ſub ducatu Joſue ad terram promiſſam; v. 51.
eamque armis obtinuerunt. His peractis, *congregati ſunt omnes filii Iſrael* Joſue à
in Silo; ibique fixerunt tabernaculum teſtimonii; & fuit eis terra ſubjecta; c. 7. ad 13.
quam deinceps *ſorte diviſerunt.* Joſue 18. v. 1.

Evoluto multo tempore, Joſue plurimis verbis omnes tribus Iſraël Joſue 24.
adhortatus eſt, ut perſeverarent in cultu Dei, qui illos ſibi multis, &
magnis beneficiis devinxerat.

Reſponditque populus, abſit à nobis ut relinquamus Dominum, & ſerviamus Joſue 24.
diis alienis. Dominus Deus noſter ipſe eduxit nos, & Patres noſtros de terrâ v. 16. 17.
Ægypti; fecitque videntibus nobis ſigna ingentia; & cuſtodivit nos in omni 18.
*viâ, per quam ambulavimus, & in omnibus populis, per quos tranſivimus; &
ejecit univerſas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos intravimus.
Serviemus igitur Domino, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter.*

Nec dubium eſt quin *Iſraël, qui ſervivit Domino cunctis diebus Ioſue*, ce- Joſue 24.
lebraverit feſtum Tabernaculorum juxta præceptum Domini. *A quinto de-* v. 31.
cimo, inquit, *die menſis ſeptimi, quando congregaveritis omnes fructus terræ* Levit. 23.
veſtræ, celebrabitis ferias Domini ſeptem diebus: die primo, & die octavo erit v. 39. 40.
*Sabbathum, id eſt, requies, ſumetiſque vobis die primo fructus arboris pulcher-
rimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices
de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro.*

Hæc, quæ in figurâ contigerunt populo Iſraëlis, oſtendit Dominus mirabiliter Sancto Joanni completa in populo Chriſtiano. Etenim, poſtquàm vidit duodecim millia, propter rationes à nobis relatas, duodecies multiplicata Sanctorum Martyrum, qui tanquàm ſacri milites ſigno Dei vivi ſignati ſunt, & ex Chriſtianis ſelecti præcipuè ad expugnandam, delendamque ſpirituali certamine idololatriam toto orbe diffuſam, perſpexit innumerabiles alios Chriſtianos ex omnibus nationibus, cognationibus, populis, & idiomatis collectos; fide, charitate, ac zelo Dei Sanctis Martyribus conjunctos; conſpicuos ſanctitate, qui præceptis Jeſu Chriſti veri Joſue obtemperantes, ad terram viventium, ac patriam Cœleſtem ſibi promiſſam pervenerunt; ibique poſt exantlatos in terrâ mortalium labores perpetuâ quiete, ac felicitate perfruuntur.

Feſtum quòque perenne agunt; & gratias immortales, paulò poſt de- V. 10.
clarandas, referunt Domino, quòd illius ope ſuperaverint infenſiſſimos hujus c. 7.
hoſtes; v. 15.

Digitized by Google

hoſtes; ac proptereà, uti etiam inferiùs patebit, æternam, & beatam illi Domino Deo ſuo, & Salvatori ſervitutem ſunt exhibituri.

Ex ℣. 9. *Stantes ante Thronum.*

Pſ. 121. v. 2. ad Heb. 8. v. 2. Iccirco, ſicuti Iſraëlitæ Deum in tabernaculo adorantes, *ſtabant* facie obverſâ versùs Arcam, quæ quodammodò thronus Dei erat; ita innumerabiles ex omni natione Chriſtiani, in Cœlum, tanquàm in *tabernaculum verum, quod fixit Dominus*, recepti, *ſtant* ante Cœleſtem Divinæ Majeſtatis thronum, utpote Deum ipſi throno inſidentem perpetuò colentes.

Ex verſ. 9. *Et in conſpectu Agni.*

Chriſtum quoque ut hominem, qui velut Agnus Dei pro illorum aſſerendâ libertate immolatus eſt, religiosè obſervant; in eumque; ſicut in authorem ſalutis ſuæ, oculos piâ, ac venerabundâ mente defixos nunquam non habent.

Ex verſ. 9. *Amicti ſtolis albis.*

Induti ſunt veſtibus, quarum candor præfulgens ſignificat eximiam anteactæ vitæ ſanctitatem; ſplendorem gloriæ, quâ decorantur; & miram animi exultationem, quâ ex viſu Divinitatis, & Humanitatis Chriſti perfunduntur.

Ex verſ. 9. *Et palma in manibus eorum.*

Palmas præferunt, in ſignum victoriæ de hoſtibus Dei repertatæ. Quamvis enim reipſâ non fuerint donati martyrio; nec inter tormenta propter Chriſtum contra idololatriam dimicantes obierint: tamen *voluntas eis fuit integra* mortem potiùs perpeti, quàm Chriſtum negare. S. Cypr. L. 1. ep. 8. *Ad coronam* autem *Dei promerendam ſufficit ipſius teſtimonium ſolum, qui judicaturus eſt*, inquit ſanctus Cyprianus. Quare ſuo modo participes ſunt gloriæ martyrum; quemadmodùm juſſu Domini multa Iſraëlitarum centena millia, quamvìs ad bellum contra Madianitas non proceſſerint; tamen, quia parata erant ad illud, ſi imperata fuiſſent, progredi, participarunt prædæ à duodecim millibus ſelectis militibus de iiſdem Madianitis latæ.

Palmas etiam geſtant beati illi Chriſtiani, quòd & ipſi conſtantiâ fidei ſuæ, ac pietatis, cæterarumque virtutum, quibus præditi fuere, vicerunt ſuperſtitionem Ethnicorum, eorumque terram quiſque pro viribus ſuis ita ſubegit, ut unus, & verus Deus in eâ tandem, execratis idolis, coleretur.

℣. 10. *Et clamabant voce magnâ, dicentes, Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno.*

Hanc tantam ſibi à Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto collatam victoriam agnoſcentes Sancti, Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, quantâ poſſunt elatione vocis, & animi gratitudine collaudant; aſſeruntque, quòd ſalutem ex inimicis conſecuti ſint, id non ſuis viribus, ſed Divinæ potentiæ, & Salvatoris benignitati referendum.

℣. 11.

Digitized by Google

℣. 11. *Et omnes Angeli, &c.*

℣. 12. *Dicentes, Amen.*

Omnes Angeli, qui ſtabant in circuitu throni, & Seniorum, & quatuor Animalium, uti jam explicatum eſt Apocalypſis capite quinto, aſſenſerunt huic cantico laudis; vox enim *Amen*, quam dixere, aſſenſum indicat; Deumque demiſſis vultibus, & proſtratis animis humillimè adoraverunt.

Ex ℣. 12. *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, Amen.*

Subjunxere ex ampliori charitate plura verba, quibus teſtati ſunt æternam *benedictionem*, ſeu laudem, *& clairtatem*, ſive gloriam, *venerationem, & gratiarum actionem* ſe efflagitare, & exhibere Chriſto Domino, & *Deo noſtro*, quòd miris, & *ſapientiâ* ſuâ dignis modis fideles ſui cultores adjuverit; *potentiâ* ſuâ munierit; corroboraverit *fortitudine*; divinis virtutibus inſtruxerit; effecerit de hoſtibus ſuis victores; & ad triumphi decus perenne in Cœlum evexerit. Laudant etiam præfatis verbis Deum omnes Angeli, quòd ſibi vires, quibus auxilium Chriſtianis ferrent, contulerit; ejuſque gratiæ deputant, quòd eo mandante curam geſſerint illorum, qui cum ipſis eum in ſæcula ſæculorum collaudabunt.

Concludunt canticum ſuum hâc voce, *Amen*, quaſi dicerent, ita eſt; ſic affecti ſumus erga Deum, quem impensè diligimus; nec invidemus Sanctorum hominum felicitati; ſed illis toto animo gratulamur.

EXPLANATIO XXX.

Quâ ſingulares innumerabilium Sanctorum anteà viſorum dotes exponuntur à decimo tertio ad decimum ſeptimum verſum Capitis ſeptimi Apocalypſis.

VERS. 13. Et reſpondit unus de ſenioribus, & dixit mihi; hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? Et undè venerunt?

℣. 14. Et dixi illi, Domine mi, tu ſcis: Et dixit mihi: hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magnâ; & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.

℣. 15. Et ideò ſunt ante thronum Dei, & ſerviunt ei die,

ac nocte in templo ejus; & qui ſedet in throno, habitabit ſuper illos.

℣. 16. Non eſurient, neque ſitient ampliùs, nec cadet ſuper illos Sol, neque ullus æſtus.

℣. 17. Quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

Verſ. 13. *Et reſpondit unus de Senioribus.*

Luc. 1. v. 26. CUM dicitur in Evangelio quòd *Simeon reſponſum acceperat à Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi priùs videret Chriſtum Domini*, nemo eſt, quem vox, *reſponſum*, non perſuadeat Simeonem, Spiritu Sancto afflatum, enixis antè precibus petiiſſe adventum Salvatoris; atque poſtulaſſe, ut illum videret priuſquàm moreretur.

Ita, cùm hic aſſeratur *unus de Senioribus reſpondiſſe* Joanni, debemus intelligere tacitam quandam Ioannis precationem, quâ ſignificaret ſe percupere exactam notitiam innumerabilium Sanctorum veſtibus candidis præfulgentium, qui ei apparuerant.

Votis ejus annuens Dominus præcepit, ut *unus de Senioribus*, hoc eſt, preſbyteris, ſeu ſacerdotibus, anteà viſis, petitioni illius reſponderet, ac
Malach. 2. v. 7. ſatisfaceret: Quippe *labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam; & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.*

Ex ℣. 13. *Et dixit mihi; Hi, qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? & undè venerunt?*

Is verò Sacerdos cœleſtis, nomine Chriſti percontatus eſt Joannem, tanquàm Magiſter diſcipulum, quoſnam putaret eos, quos intuebatur amictos ſtolis albis; & undè progreſſos illos arbitraretur.

℣. 14. *Et dixi illi, Domine mi, tu ſcis.*

Poterat certè tantus Apoſtolus, & Evangeliſta, quid de illis ſentiret, declarare: tamen ea fuit ejus humilitas, ac modeſtia, ut maluerit cogitationes ſuas, qualeſcumque tandem eſſent, ſubjicere ſcientiæ cœleſtis illius Spiritus, à quo interrogabatur. Quamobrem dixit illi, *Domine mi, tu ſcis.* Quid neceſſe eſt meas conjecturas objicere? nihil ex illis tibi contulerim. Tuam, velim, effundas ſcientiam, quæ mihi multùm eſt profutura.

Ex ℣. 14. *Et dixit mihi, hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magnâ.*

Antiqui Iſraëlitæ, non quidem illi, qui propter incredulitatem ſuam in deſerto perierunt, ſed ii, qui fideles Deo fuere, poſtquàm multa perpeſſi ſunt in ſolitudine, pervenerunt feliciter ad terram ſibi à Deo promiſſam

miſſam ; in eàque bonis omnibus cumulati ſunt. Novi autem Iſraëlitæ,
ſeu Chriſtiani , jam in Cœlum recepti , perſecutiones graviſſimas paſſi
ſunt ab Ethnicis. *Egentes , anguſtiati , afflicti , in ſolitudinibus* periæpe ad Heb.
errarunt ; in montibus , & ſpeluncis , & cavernis terræ vitam tribulationi- 11. v. 37.
bus oppletam duxerunt ; & *hi omnes teſtimonio fidei probati acceperunt re-* 38. 39.
promiſſam ſibi à Deo cœleſtem felicitatem , ſicuti fuſiùs iſta declarabi-
mus ex monimentis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ , cum explanabimus verſum
ſextum , & decimum quartum capitis duodecimi Apocalypſis.

Ex ℣. 14. *Et laverunt ſtolas ſuas , & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.*

Juſſit Dominus Moyſi, & Aaron, ut *ſanguine vituli, & hirci immolato-* Levit. 16.
rum expiarentur , atque mundarentur ab omnibus peccatis ſuis filii Iſraël ſe- v. 18. 30.
mel in anno ; cumque, *qui occidiſſet hominem , vel occiſum tetigiſſet , aſper-* 34. Num. 31.
gendum aquâ , cui immixti erant cineres vaccæ immolatæ ; & pro peccato v. 19.
combuſtæ, poſtquàm ejus ſanguine aſperſæ fuerant ſeptem vicibus fores Ta- C. 19. v. 3.
bernaculi. Lavabat quoque *veſtimenta ſua* , qui quovis modo immundus 4. 9. 12.
erat ex cadavere ; & *ſic purificatus poſteà caſtra intrabat.* Num. 31.

Cùm verò lux veritatis umbras illas , & figuras legales diſcuſſerit, v. 24.
novi Iſraëlitæ , nempe Chriſtiani innumerabiles , viſi in Cœlo amicti
ſtolis albis, tanquàm ornamento præclaro eximiæ puritatis illorum , di-
cuntur *laviſſe ſtolas ſuas , & dealbaſſe eas in ſanguine Agni Dei* , Jeſu
Chriſti , *qui tollit peccatum mundi.* Cùm enim nemo ſit ex illis , quantâ- Joan. 1.
cum que nunc fulgeat ſanctitate, qui non fuerit conceptus in peccato ori- v. 29.
ginali , *Chriſtus ſe ipſum tradidit pro eo , ut illum ſanctificaret , mundans* ad Eph. 5.
lavacro aquæ. Cùm etiam nullus ſit ex illis , qui aliquando non admiſe- v. 25. 26.
rit peccata , vel mortifera , vel leviora , quoniam ea luxerunt , & emen-
darunt , *ſanguis Ieſu Chriſti emundavit illos ab omni peccato.* Et ſanè , *ſi* 1 Joan. 1.
ſanguis hircorum , & taurorum , & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſancti- v. 7. 8. 9.
ficabat ad emundationem carnis : Quantò magis ſanguis Chriſti , qui per ad Heb. 9.
Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo , emundavit con- v. 13. 14.
ſcientiam illorum *ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi ?*

℣. 15. *Et ideo ſunt ante thronum Dei , & ſerviunt ei nocte ac die in templo ejus.*

Qui legales immunditias contraxerant , non ſinebantur introire in tabernaculum , vel templum ; ſed ſolis mundis , ac purificatis permittebatur acceſſus , & ingreſſus in locum illum Sanctum , ut ſtantes ibi , & faciem versùs Arcam Dei , quæ thronus Dei erat , obverſam habentes, adorarent Divinam Majeſtatem. Eapropter , cùm innumerabiles Sancti qui apparuerunt in Cœlo , puriſſimi ſint , utpote mundati ſanguine Chriſti , ſtant ante thronum Cœleſtem illius ut Dei ; eumque perpetuò contuentes , jugiter colunt ; atque impenſiſſimâ charitate illi ſerviunt.
Non eſt , inquit Auguſtinus , *laborioſa , ſed amabilis , & optanda ſervitus* S. Auguſt.
in Dei laudibus perpetuò aſſiſtere : dies quippe , & nox , non viciſſitudinem de Sanctis
temporis propriè , ſed perpetuitatem tropicè ſignificant. Nox enim non erit ſer. 11

illic ; ſed dies una melior in atriis Chriſti ſuper millia.

Ex verſ. 15. *Et qui ſedet in throno , habitabit ſuper illos.*

Num. 9. Nè populus Iſraël per deſertum oberrans , nimio ardore Solis
v. 15. 16. adureretur in ſolo illo arenoſo , & calenti , Dominus obumbravit
Pſ. 104. eos nube interdiu ; atque , ut canit Pſaltes , *expandit nubem in pro-*
v. 39. *tectionem eorum.* At Chriſtus , *qui* , ut Deus *ſedet in throno* Cœleſti ,
beatos illos , novos Iſraëlitas , Chriſtianos ad ſeſe aſſumptos in Cœ-
lum benignitate ſuâ perpetuò proteget ; cooperiet ; fovebit ; ac juxta
vim verbi græci *σκηνώσει* , figet tabernaculum ſuper illos , ut cum eis
habitet ; & in eis maneat , eoſque undequàque muniat ; & gloriâ , &
Exod. 40. majeſtate ſuâ repleat. Siquidem ex Scripturâ , dùm *operuit nubes taber-*
v. 32. 33. *naculum teſtimonii* , dicitur *gloria Domini impleviſſe illud ; & majeſtas*
Domini coruſcaſſe.

Verſ. 16. *Non eſurient , neque ſitient ampliùs.*

Exod. 16. Eſuriit quondam populus Iſraël in deſerto : ſed dux illorum Moyſes
Exod. 15. obtinuit eis à Deo manna ; eoque cibo aliti ſunt quadraginta annis.
v. 25. C. 17. v. 6. Sitiit quoque ibidem ille populus : ſed idem Dux impetravit ipſis dul-
Num. 20. ciſſimas , & copioſiſſimas aquas , ut ſitim ſedarent. Chriſtiani etiam
v. 11. primis Eccleſiæ ſæculis ſanctitate conſpicui , & perſecutionem paſſi ,
Matth. 5. *eſurierunt , & ſitierunt* propter *juſtitiam* ; ſed cùm in Cœlis jam ver-
v. 6. Pſ. 35. v. 9. ſentur , *non eſurient ; neque ſitient ampliùs* , *ſaturati* æternâ fruitione
ſummi boni , & *torrente voluptatis potati.*

Ex verſ. 16. *Nec cadet ſuper illos ſol , neque ullus æſtus.*

Quot , quantiſve ardoribus ſolis , & furentium adversùm ſe hoſtium igni-
bus expoſiti fuerint mediis in perſecutionibus Chriſtiani , quis neſciat ?
Verùm , ubi Dominus ipſos in Cœlum recepit , eos ſibi velut amicos
tàm arctè conjunxit , ut nihil umquam adverſi perpeſſuri ſint ; ſed peren-
ni tranquillitate fruentur ; ipſoſque amantiſſimus Salvator tantâ pro-
ſequetur benevolentiâ , & fovebit , ut omnes queant juxta Pſalmiſtam
Pſ. 65. mirâ cum exultatione Domino concinere , *tranſivimus per ignem ; &*
v. 12. *eduxiſti nos in refrigerium.*

Verſ. 17. *Quoniam Agnus , qui in medio throni eſt , reget illos.*

Chriſtus , Agnus Dei , Dux Sanctorum , & paſtor , ita *reget* illos in
Pſ. 22. v. 1. æternum , ut *nihil* illis *deerit* ; ita paſcet , *ποιμανεῖ* , ut abundè refician-
Pſ. 33. v. 9. tur , infuſâ in ipſos intimè Eſſentiâ Divinâ , cujus perceptione *guſta-*
bunt quàm *ſuavis eſt Dominus.*

Ex verſ. 17. *Et deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*

pſal. 35. *Apud te eſt fons vitæ* , aiebat Domino Propheta Regius. Conquere-
v. 10. batur autem Dominus per Ieremiam , quòd *populus ejus dereliquiſſet eum*
Jer. 2. *fontem aquæ vivæ ; & fodiſſet ſibi ciſternas diſſipatas , quæ continere non*
v. 13. *valent aquas* , nimirùm rejecto ſanctiſſimo ejus cultu , qui illis peren-
niter prodeſſet , & admiſſâ idololatriâ , quæ nonniſi perpetuas calami-
tates foret allatura. At Sancti , qui omni ſuperſtitione Ethnicâ deſpectâ ,
Chriſto conſtanter adhæſere , & unum Deum religioſiſſimè coluerunt ,
hauſerunt

Digitized by Google

hauſerunt in gaudio de fontibus Salvatoris aquas ſalientes in vitam æternam, quam in ſeſe jugiter recipiunt, & perpetuò continent. Iſai. 12. v. 3.

Ex verſ. 17. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.* Joan. 4. v. 14.

Teſtatur Sacra Scriptura primos Iſraëlitas fleviſſe in deſerto, ex labore itineris, & propter vim hoſtium ſibi imminentium: ſed, cùm ad terram ſibi promiſſam, tantâ ubertate refertam, ut diceretur lacte, & melle manare, pervenerunt, tanto ſunt gaudio perfuſi, ut in hæc, aut his ſimilia verba poſſent erumpere, *Magnificavit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.* Num. 11. v. 1. 4. c. 14. v. 1. Pſ. 125. v. 3.

Luxerunt etiam ex Chriſtianis pii, & ſancti, ſuum in terris exilium, & ingruentes ſibi ex iniquis Ethnicorum perſecutionibus quaſvis calamitates. Verùm in cœleſtem patriam, omnium bonorum aggregatione perfectam, admiſſi, deliciis affluunt; *Servi boni, & fideles intrant in gaudium Domini ſui*; ſentiuntque quàm verum ſit effatum amantiſſimi Salvatoris, *Mundus gaudebit: vos autem contriſtabimini; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium; & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Beati* planè, *qui luxerunt* propter Chriſtum, *quoniam ipſi perenniter conſolantur* à Chriſto. Matth. 25. v. 21. Joan. 16. v. 20. 22. Matth. 5. v. 5.

EXPLANATIO XXXI.

In quâ poſt aperturam ſigilli ſeptimi cæleſte ſilentium per mediam horam; ſeptem Angelicæ tubæ; ſuffitus Angelicus antè altare aureum; & ex prunis altaris holocauſtorum ab Angelo in terram projectis tonitrua, & terræ motus explicantur à primo ad ſextum verſum Capitis octavi Apocalypſis.

Vers. 1. Et cùm aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in Cœlo quaſi mediâ horâ.

℣. 2. Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei; & datæ ſunt illis ſeptem tubæ.

℣. 3. Et alius Angelus venit; & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum; & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.

℣. 4. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo.

℣. 5. Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris; & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.

℣. 6. Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparaverunt ſe ut tubâ canerent.

Verſ. 1. *Et cùm aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium.*

COELESTIS illius ſilentii cauſam non abſimilem puto ei, quam Iſaïas his vetbis profert, *audite Cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt*: Quippe Dominus ſignis libro Cœleſti notatis, ac ſub hoc ejus ſigillo ſeptimo contentis, tanquàm totidem verbis conſcriptis, expreſſit quid ſentiat; quid velit; quid decernat; quid efficiat: ea autem attentis auribus, & religioſo ſilencio à Cœleſtibus ſunt audienda, & percipienda.

Iſai. 1. v. 2.

Ex verſ. 1. *Quaſi mediâ horâ.*

Deuter. 20. à v. 1. ad 10.

Juſſerat Deus populo ſuo, *ſi exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus, & currus, & majorem, quàm tu habeas, adverſarii exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum eſt, qui eduxit te de terrâ Ægypti. Appropinquante autem jam prælio, ſtabit Sacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum: Vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis, nè formidetis eos, quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt; & pro vobis contra adverſarios dimicabit, ut eruat vos de periculo.*

Duces quoque per ſingulas turmas, audiente exercitu proclamabunt, Quis eſt homo, qui adificavit domum novam? Quis eſt homo, qui plantavit vineam? Quis eſt homo, qui deſpondit uxorem? Quis eſt homo formidoloſus? præter alia, quæ fuſiùs ibidem dicuntur, *vadat, & revertatur in domum ſuam.*

Cumque ſiluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, unuſquiſque ſuos ad bellandum cuneos præparabit.

At, poſteaquàm capite præcedenti deſcripti ſunt ſub numero myſtico Sancti Martyres, & obſignati ſigno Dei vivi, tanquàm ſacri milites, fide, & patientiâ ſuâ adversùs Ethnicos decertaturi, ipſorum ad pugnam illam ſpiritalem præparatio proxima deſignatur ſilentio, præparationem antiquorum Iſraëlitarum ad certamen imminens indicante. Etenim dicitur *factum fuiſſe ſilentium in Cœlo quaſi mediâ horâ*, ut inde ſignificetur Chriſtum Dominum tanquam Sacerdotem adhortatum fuiſſe ſacros illos milites ſuos ad excutiendum à ſe ipſis omnem pavorem, tametſi multò plures

Digitized by Google

res habeant adverſùm ſe infideles; ſiquidem Deus, quem ſanctiſſimè colunt, quique *eripuit eos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii dilectionis ſuæ*, eruet illos à tot, tamque infenſis hoſtibus. ad Col. 1, v. 13.

Quin etiam Chriſtus Dominus, ut dux ſacri ſui exercitus, proclamavit eos, qui amore divitiarum, vel voluptatum tenerentur, aut qui mortem timerent, non eſſe dignos in caſtris illius ſpiritualibus militare. *Si quis*, inquit, *venit ad me; & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et *omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ac denique, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Luc. 14. v. 26. 33. Matth. 10. v. 28.

Chriſto autem Domino, tùm ut Sacerdote, tùm ut Duce, concionem habente ad ſacros ſuos milites, neceſſe eſt illos conticuiſſe; finitâque ipſius exhortatione decuit cunctum ejus exercitum ad prælium accingi in ſilentio ex veneratione, & obedientiâ erga Chriſtum.

Verſ. 2. *Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei; & data ſunt illis ſeptem tubæ.*

Libro Numerorum præcipitur Iſraëlitis, *ſi exieritis ad bellum de terrâ veſtrâ contra hoſtes, qui dimicant adverſùm vos, clangetis ululantibus tubis; & erit recordatio veſtri coram Domino Deo veſtro, ut eruamini de manibus inimicorum veſtrorum.* Num. 10, v. 9.

Prætereà legimus quòd, *cùm eſſet Ioſue in agro urbis Iericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium; perrexitque ad eum, & ait, Noſter es, an adverſariorum? Qui reſpondit, Nequaquam: ſed ſum Princeps exercitus Domini; & nunc venio.* Joſue 5. v. 13. 14.

Paulò poſt jubente Domino præcepit Joſuë, ut ad evertendam urbem Jericho *ſeptem ſacerdotes clangentes tubis*, & armatus exercitus incederent ante Arcam Domini; reliquus autem populus eam ſequeretur ſilens. *Non clamabitis*, inquit, *nec audietur vox veſtra, neque ullus ſermo ex ore veſtro egredietur, donec veniat dies, in quo dicam vobis, clamate, & vociferamini.* Sic factum eſt ſex diebus, quibus dictam urbem circuierunt ſemel quovis die: ſeptimo autem circuierunt illam ſepties, ſilentes adhuc populi; & Sacerdotes clangentes tubis. Sed ſeptimo circuitu *dixit Ioſue ad omnem Iſraël, vociferamini, tradidit enim vobis Dominus Civitatem. Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, muri illicò corruerunt; & aſcendit unuſquiſque per locum, qui contra ſe erat; ceperuntque Civitatem; eamque ſuccenderunt.* Joſue c. 6.

Pari modo Chriſtus Dominus Ethnicam ſuperſtitionem, impietate urbis Jericuntinæ præfiguratam, deleturus, ac imperium falſis diis addictum ſubacturus, revelavit Dilecto Diſcipulo ſilentium Cœleſte, necnon ſeptem Angelos, qui clangerent ſeptem tubis; ita ut, dùm aliquis ex ſex illis Angelis clanget buccinâ, alii Angeli, & ex Chriſtianis Sancti, cœleſtem exercitum componentes, ſacrum ſilentium obſervabunt. Apoc. c. 8. & 9.

Cùm

Digitized by Google

Apoc. 11. Cùm verò *Septimus Angelus tubâ canet, fient magnæ voces in Cœlo*; tunc-
v. 15. que ruet impietas pagana; *& regnum hujus mundi fiet* regnum *Domini Dei
noſtri, & Chriſti ejus*, quemadmodùm Apocalypſis undecimo capite fu-
ſiùs declarabitur. Quamobrem, uti ait alter Angelus capite decimo, *in
diebus vocis ſeptimi Angeli conſummabitur Myſterium Dei, ſicut evangeli-
zavit per ſervos ſuos Prophetas:* Quippe tunc temporis excidium impieta-
tis Ethnicæ, ruinâ Civitatis Jericuntinæ præſignificatum, prorsùs com-
plebitur; & populus Chriſtianus poſſidebit terras à gentilibus antè occu-
patas; non ſecùs ac eversâ urbe Jericuntinâ populus Iſraëliticus terram
Chananæorum ſibi addixit.

℣. 3. *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum; & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.*

Exod. 30. In veteri lege, mane & veſpere Sacerdos in thuribulo aureo adolebat
v. 7. 8. thymiama ſupra altare aureum, quod erat, interpoſito tamen velo, ante
ad Heb. 9. Arcam Dei; tuncque precabatur Deum tacitus; offerebatque orationes
v. 4. Exod. 40. populi, extra partem Tabernaculi Sacerdotalem rogantis in ſilentio Di-
v. 5. 24. vinam Majeſtatem, quæ omnia, etiam ſecreta cordis, novit. Juxta
Luc. 1. v. 5. hunc ritum dicitur apud Lucam *Zacharias Sacerdos ingreſſus in templum
9. 10. 11. 13. Domini, ut incenſum poneret*; & quòd *omnis multitudo populi erat orans foris
horâ incenſi. Apparuit autem illi Angelus Domini ſtans à dextris altaris in-
cenſi; & ait ad illum Angelus, exaudita eſt deprecatio tua.* Habacuc verò
ſilentium tempore precationis illius, & incenſationis ſubindicans, ait:
Habac. 2. *Dominus in templo Sancto ſuo; ſileat à facie ejus omnis terra*; & Pſalmiſta,
v. 20. *tibi ſilentium laus, Deus, in Sion.*

Pſ. 64. v. 2. juxta verſ. Hier. ex Hebr. Cùm igitur ex profundâ veneratione Divinæ Majeſtatis, tùm ineffa-
bilis, tùm omnia ſcientis, Sacerdos, & populus antiquus Deum precare-
tur in ſilentio tempore incenſationis quotidianæ ſuper altare aureum an-
te Arcam Domini, quæ veluti thronus Dei erat ſedentis ſuper Cherubim,
indicitur *ſilentium in Cœlo quaſi mediâ horâ*, tempore nimirùm, quo exhi-
betur unus Angelus, tanquàm Cœleſtis Sacerdos, & Miniſter Divinæ
Majeſtatis, *ſuper altare aureum*, quod erat *ante* Cœleſtem thronum Dei,
adolere in *thuribulo aureo incenſa multa, de orationibus Sanctorum omnium*
confecta.

℣. 4. *Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

Pſ. 140. Certè Pſalmiſta Deum rogans, aiebat, *dirigatur oratio mea ſicut incen-
v. 2. ſum in conſpectu tuo; elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* An-
gelus autem pias, & divino ferventes ſpiritu orationes fidelium offert
Tob. 12. Divinæ Majeſtati, quemadmodùm aiebat Raphaël Tobiæ, *quando orabas
v. 12. cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Sicuti enim Sacerdos,
utpore ſanctior populo, ejuſdem populi precationes Deo præſentabat;
ſic Angelus, tantâ ſanctitate pollens, ut jam non poſſit peccare, fidelium,

Digitized by Google

qui, quandiù in terris degunt, nonnihil peccant, orationes Majeſtati offert Divinæ. Adde quòd Angeli, fideles tutelæ ſuæ commiſſos curant maximopere; necnon vehementiſſimè peroptant Regnum Dei, & ſanctificationem nominis ejus toto orbe terrarum, everſâ falſorum Deorum impietate. Quapropter non mirum eſt, ſi Angelus ardentiſſimo Dei zelo ſuccenſus, ferventiſſimas fidelium orationes Deo pro illorum ſalute, & ipſius gloriâ offerat.

Verſ. 5. *Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne altaris; & miſit in terram, & facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus magnus.*

Cùm primùm *Aaron obtulit hircum pro peccato, & vitulum, &* Levit. 9.
agnum anniculos in holocauſtum, bovem, & arietem pro pacificis, egreſ- v. 3. 4. 24.
ſus ignis à Domino devoravit holocauſtum, & adipes, qui erant ſuper Levit. 6.
altare: præcepit autem Dominus, ut curâ Sacerdotis *ignis in altari* v. 12. 13.
ſemper arderet; eſſetque perpetuus; nec umquàm deficeret. Sacerdos verò Num. 16.
hauriens ignem de illo altari holocauſtorum in thuribulo, mittebat thymia- v. 46.
ma; illudque adolebat ſuper altare aureum, quod erat contra velum Exod. 30.
ante Arcam. v. 6. 7.

Quamobrem Angelus, qui tertio, & quarto verſu dictus eſt expreſſis verbis *dediſſe thuribulo aureo ſuper altare aureum ante thronum Dei incenſa multa de orationibus ſanctorum,* ita ut *fumus* illorum *incenſorum aſcenderit;* cùm non potuiſſet thymiamata illa adolere, niſi priùs ignem ſumpſiſſet in thuribulo, dicitur nunc, ut nihil deeſſet ſacrorum rituum narrationi, accepiſſe *thuribulum impleſſe de igne altaris,* nempe de prunis ardentibus altaris holocauſtorum, ut thymiamata illa deinde adoleret ſuper altare aureum. Poſtquàm autem adolevit illa incenſa, *miſit,* id eſt, projecit ex thuribulo reſiduas prunas *in terram;* undè *facta ſunt fulgura, & tonitrua, & terræ motus magnus.*

Indè verò ſignificatur illa fulmina, eumque terræ motum ingentem adversùs Infideles, terrenis dumtaxat addictos, & eorum, qui Deum Cœli ſanctiſſimè colunt, perſecutores, oriri, tùm ex Dei zelo, qui in Martyrum, aliorumque Sanctorum omnium cordibus, velut in holocauſtorum altari, ſemper ardet; tùm ex calentibus Spiritu Dei orationibus, quas fundunt.

Mala quidem ſibi propter Deum illata pertulerunt æquanimiter. *Non* ad Rom.
ſe ipſos defenderunt; ſed dederunt locum iræ: Reliquerunt *vindictam Do-* 12. v. 19.
mino humiles, manſueti, patientes, ſilentes: at Dominus, qui & ipſe viſus eſt patiens, & ſilens, tandem intonuit; Cœlum, & terram movit; pœnaſque ſuis adverſariis, ſuorumque cultorum perſecutoribus debitas *retribuit.*

Cùm vero terræ motum, qui Apocalypſis capite ſexto fusè refertur, explicuerim de eo, qui ſub Trajano Antiochiam, cujus Epiſcopus Ignatius paſſus erat Romæ tempore ejuſdem Imperatoris, ſubverrit; arbitror hunc, de quo jam agitur, intelligendum, vel de terræ motu,

Hervéus in Apocalypſim. Bb quo,

Euſeb. in Chron. an. 123. Jul. Capitol. in Anton. Pio. Euſeb. in Chron. an. 181.

quo, ſicuti teſtatur Euſebius, *Nicomedia ruit, & Nicæna urbis plurima everſa ſunt* ſub Adriano Trajani ſucceſſore; vel de illo terræ motu, *quo*, Julius Capitolinus aſſerit *Rhodiorum, & Aſiæ oppida concidiſſe temporibus Antonini Pii*, qui ſucceſſit Adriano; vel de terræ motu, quo juxta Chronicon Euſebii *Smyrna urbs Aſiæ*, ubi Epiſcopus ejus Polycarpus Martyrium ſubierat, *ruit; ad cujus inſtaurationem decennalis tributorum immunitas data eſt* ſub Marco Aurelio Antonino Adriani, & Antonini Pii ſucceſſore.

Euſeb. hiſt. l. 4. c. 12.

Hinc idem Marcus Aurelius Antoninus, qui & Philoſophus appellatus eſt, referente Euſebio, *ſcribens communi concilio Aſiæ Epheſi convocato*, inquit, *de terra motibus, qui vel præterierunt, vel jam ſunt, non alienum à ratione videtur vos commonefacere; quandoquidem cùm & adſint, animos dimittitis; & infelices veſtri omnium caſus in illorum*, nempe Chriſtianorum, *Religionem, tanquàm eorumdem cauſam transfertis. At illi, cùm tale quid eveniat, conſtantiùs, firmiùſque Deo fidunt. Vos autem toto illo tempore, Deum penitùs ignorare; reſque Sacras prorsùs contemnere; & non ſolùm cultus, qui ſoli Deo debetur, inſcii eſſe, & expertes; verùm etiam eos, qui illum obſervant, & venerantur, graviter exagitare, & ad mortem uſque inſectari videmini.*

Iſta nonnullis, ut arbitror, poſſunt ad explicationem propoſiti terræ motus ſufficere, præſertim cùm ſanctus Joannes non retulerit peculiares circunſtantias, quibus certò dignoſci, & ſecerni queat à pluribus aliis terræ motibus, qui variis temporibus deinceps evenere.

Verùm, cùm perpendo motum illum dici à ſancto Joanne *Magnum*, adducor ut judicem fuiſſe magnum, vel intenſivè, quoad vim vehementem, quâ terra concuſſa eſt, & excuſſa; vel extenſivè, quoad loca, quæ permeavit, & ſuccuſſit; vel etiam utroque intenſionis, & extenſionis modo.

Jul. Capitol. in Gordiano juniore tertio.

At ex Julio Capitolino *fuit terra motus eò uſque gravis, imperante Gordiano, ut Civitates etiam terræ hiatu deperirent.* En vis intenſa, & extenſa terræ motus, cùm plures Civitates abſorbeat.

Ex hiſtoriâ quoque Trebellii Pollionis, ſub Gallieno Imperatore, *terræ motus graviſſimus fuit, quo motu multa fabricæ devorata ſunt cum habitatoribus.* Hinc patet vis intenſa motus illius. Addit citatus author, *mota eſt & Roma; mota & Libya.* Indè liquet quàm latè ſe extenderit ille terræ motus.

Verſ. 6. *Et ſeptem Angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparaverunt ſe ut tubâ canerent.*

Semper quidem parati ſunt ſancti Angeli, ut exequantur quidquid illis mandatum fuerit à Domino: ſed, dùm ex ejus nutu advertunt aliquid ſibi mox faciendum, protinùs alacres, & totis viribus in id feruntur. Cùm itaque ſeptem illi Angeli conſpiciant imminere tempus, quo quiſque tubâ ſibi traditâ clangat, eoque clangore terreantur, & excidant Infideles, libenter ſe apparant ad hunc clangorem.

Interim

Digitized by Google

Interim Dei, & ſanctorum Martyrum patientiam imitemur; *ac demus operam totis viribus*, inquit Lactantius, *ut mereamur à Deo ſimul & ultionem paſſionis, & præmium.* Lactant. Inſtit. l. 5. c. 24.

Simus etiam, ex Paulo, *Spiritu ferventes: Domino ſervientes: ſpe gaudentes: in tribulatione patientes: orationi inſtantes: multùm enim valet deprecatio juſti aſſidua.* ad Rom. 12. v. 11. 12. Jac. 5. v. 16.

EXPLANATIO XXXII.

Primam plagam Infidelibus, poſt clangorem primæ tubæ Angelicæ, inflictam exponens de legione Chriſtianâ Fulminante nuncupatâ ſub Marco Aurelio Antonino Philoſopho, verſu ſeptimo Capitis octavi Apocalypſis.

VERS. 7. Et primus Angelus tubâ cecinit; & facta eſt grando, & ignis miſta in ſanguine; & miſſum eſt in terram; & tertia pars terræ combuſta eſt; & tertia pars arborum concremata eſt; & omne fœnum viride combuſtum eſt.

LEGIMUS in Exodo quòd *extendit Moyſes virgam in Cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram Ægypti; & grando, & ignis miſta pariter ferebantur. Et percuſſit grando cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine uſque ad jumentum, cunctamque herbam agri; & omne lignum regionis confregit. Tantùm in terrâ Geſſen, ubi erant filii Iſraël, grando non cecidit.* Exod. 9. v. 23. 25. 26.

Sic juxta revelationem factam Dilecto Diſcipulo, Dominus in gratiam ſervorum ſuorum miniſterio Angelico *grandinem, & ignem, quæ miſcentur in ſanguine* percuſſorum illis plagis, immiſit aliquando *in terram*, ſeu regionem quandam; & *tertia pars terræ* illius, hominum ſcilicet, & pecorum exiſtentium tunc in agro, *combuſta eſt*; *& tertia pars arborum* ejuſdem loci *concremata eſt*; *& omne fœnum viride* ejuſdem regionis *combuſtum eſt.* Hujuſmodi autem grando igni commixta Chriſtianis, qui ibidem erant, iiſque, quorum partes tuebantur, nullatenùs nocuit, ſed mirum in modum favit.

Quandonam verò tam grande miraculum contigit? Arbitror tempore Marci Aurelii Antonini Philoſophi, cùm precata eſt Deum una ex illius Imperatoris legionibus Chriſtiana, quæ ab eventu mirabili Fulminantis nomen pietate ſuâ inſigni promeruit. Rem verbis Xiphilini, qui eam ſcripſit accuratè, referam.

Xiphilinus in Marco Antonino. Philoſopho.

Cùm, inquit, *Romani intercluſi eſſent à Quadis, & in tantas difficultates incurriſſent, ut morbo, vulneribus, ardore ſolis, ac ſiti vexarentur; nec ob eas res pugnare poſſent, aut aliò ſecedere; ad Marcum Præfectus Prætorianorum venit neſcientem in illo prælio quid conſilii caperet, timentemque toti exercitui; eique fertur dixiſſe, nihil eſſe, quod ii, qui Chriſtiani nominantur, precibus impetrare non poſſint; eſſeque legionem unam in exercitu, hominum hujus generis: Quâ re cognitâ, Marcum ab iis petiiſſe, ut Deo ſuo ſupplicarent: Quod cùm feciſſent, Deum exaudiſſe eos ſubitò; percuſſiſſeque hoſtes fulmine; ac Romanos pluviâ recreaſſe. His rebus Marcum vehementer obſtupefactum edicto Chriſtianos honore affeciſſe; ipſamque legionem Fulminatricem appellaſſe.*

Dion. Apud Xiphilinum.

Dion addit, Romanos, cùm primùm pluvia caderet, omnes ſuſpexiſſe in Cœlum; eamque in ora recepiſſe; deinde ſcutis, galeiſque ſubjectis, indè ſorbſiſſe largiter; equiſque ad bibendum dediſſe.

Cùmque barbari in ipſos impetum facerent, bibentes ſimul pugnaſſe; complureſque ſaucios ſanguinem infuſum in galeas ſimul cum aquâ abſorbuiſſe.

Hi propterea gravia damna accepiſſent urgentibus hoſtibus, quòd magnâ ex parte in bibendo erant occupati, niſi vehemens grando, compluraque fulmina in hoſtes cecidiſſent.

Itaque licebat videre in eodem loco aquam, ignemque ſimul de Cœlo cadere; atque ob eam cauſam valere alios, & bibere; exurique alios, ac prorſus interire: non enim ignis attingebat Romanos: Quòd ſi fortè interdùm cum eis miſceretur, extinguebatur ſubitò.

Neque imber juvabat barbaros; ſed non ſecùs inflammabat atque oleum; ita ut aquam requirerent pluviâ perfuſi, infligerentque ſibi vulnera, quò ignem ſanguine reſtinguerent.

Pars confugiebat ad Romanos, quaſi illis tantummodò aqua ſalutaris eſſet; ita ut eorum Marcus etiam miſertus ſit.

His ex Xiphilino, & Dione relatis patet veritas Propheticorum verborum ſancti Joannis.

Ex verſ. 7. *Et facta eſt grando, & ignis, miſta in ſanguine; & miſſum eſt in terram.*

Quippe *grando, & ignis*, ad precem unius legionis Chriſtianæ ſimul *immittuntur à Deo in terram* hoſtilem; *miſcenturque in ſanguine*; quandoquidem *ex hoſtibus plurimi vulnera ſibi infligunt; quò ignem ſanguine ſuo reſtinguant.*

Ex ℣. 7. *Et tertia pars terræ combuſta eſt.*

Dicitur *tertia pars terræ* illius, in quam hujuſmodi *grando, & ignis* cecidetunt

ceciderunt, *combuſta* fuiſſe, quatenùs tertia pars hominum, qui tunc in illâ terrâ pugnabant, exuſta eſt. Romani enim, qui ex unâ parte ibi aderant, tuti fuerunt ab illo igne, qui ipſos *non attingebat*. En prima pars non combuſta. Secunda verò fuit illæsâ plurimorum *Quadorum, qui confugerunt ad Romanos, ubi videbant aquam eſſe ſalutarem*; & quorum *miſertus eſt Marcus* Romanorum Imperator. Tertia autem pars fuit aliorum Quadorum, qui præfato igne cœleſti *exuſti ſunt, ac prorsùs interiere.*

Ex ℣.7. *Et tertia pars arborum concremata eſt.*

Nimirùm pars illarum arborum, quæ erant eâ in parte terræ, ubi conſiſtebant Quadi, qui exuſti ſunt, combuſta fuit: alia verò pars arborum, quæ erant in locis, ubi ſtabant Romani, intacta eſt; ac etiam facilè intelligi poteſt Deum ſervaſſe illæſam ab illo igne Cœleſti partem arborum terræ, in quâ conſtiterant Quadi illi, qui ad Romanos tranſiere.

Ex ℣.7. *Et omne fœnum viride combuſtum eſt.*

Id intelligendum puto de omni herbâ præfatæ illius partis terræ, ubi Quadi exuſti ſunt, & eorum arbores concrematæ; non verò de herbâ, quæ erat in duabus partibus Romanorum, & transfugarum Quadorum; alioquin ignis ille Cœleſtis Romanos etiam, & hos transfugas cremaſſet, quod repugnat veritati hiſtoriæ à nobis relatæ.

Hæc fuit Chriſti in gratiam ſervorum ſuorum victoria mirabilis de hoſtibus, quemadmodùm Sacra Scriptura refert *Dominum miſiſſe* ſemel *ſuper* adverſarios Joſue *lapides magnos de Cœlo; & mortuos eſſe plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filii Iſraël.* Orante etiam Samuele *intonuit Dominus fragore magno ſuper Philiſtiim; & exterruit eos; & cæſi ſunt à facie Iſraël.* Joſue 10. v. 11. 1. Reg 7. v. 9. 10.

Iſta Moyſis, Joſuevi, & Samuelis ſigna innovavit Dominus ad precem unius legionis Chriſtianæ, *ut cognoſcant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non eſt facile. Negantes enim te noſſe impii, per fortitudinem brachii tui flagellati ſunt: novis aquis, & grandinibus, & pluviis perſecutionem paſſi; & per ignem conſumpti. Quod enim mirabile erat, in aquâ, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex eſt enim orbis juſtorum.* Eccli. 46. v. 8. Sap. 16. v. 16. 17.

Digitized by Google

EXPLANATIO XXXIII.

Secunda plaga, ex ſecunda tuba Angelica clangore oborta, de Byzantii ſtrage ſub Severo Imperatore, verſu octavo, & nono Capitis octavi Apocalypſis.

VERS.8. Et ſecundus Angelus tubâ cecinit; & tanquàm mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare, & facta eſt tertia pars maris ſanguis.

℣. 9. Et mortua eſt tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari; & tertia pars navium interiit.

Verſ.8. ***Et ſecundus Angelus tubâ cecinit.***

NEMO eſt in lectione Sacrarum Scripturarum tantiſper verſatus, qui neſciat Prophetas, tùm majores, tùm minores, prædixiſſe, non ſolùm clades generales tribuum Iſraëliticarum, Aſſyriorum, Babyloniorum, aliorumque populorum, verùm etiam excidia peculiaria quarumdam urbium, Jeruſalem, Ninives, Babylonis, Tyri, Damaſci, aliarumque hujuſmodi civitatum: Ea enim eſt Dei ſapientia, ut omnia præſciat: ea juſtitia, ut nullum malum cuiquam flagitioſo accidat, quod non infligat: Ea ipſius erga nonnullos ſanctitate conſpicuos charitas ſingularis, ut illis inſigniora, quæ facturus eſt, cùm ſibi lubet, revelet. Hinc Amos Propheta inquit, *Si erit malum in Civitate, quod Dominus non fecerit? quia non facit Dominus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas.*

Amos 3. v.6.7.

Juxta has ſapientiæ, æquitatis, & charitatis divinæ rationes, Chriſtus Dominus Dilecto Diſcipulo non tantùm plagas, quas Imperio Romano dæmonibus addicto illaturus erat, ſed etiam ſtrages nonnullarum magnarum urbium ejuſdem impietatis rearum futuras revelavit. Ex illarum autem urbium numero famoſum fuit Byzantium; ejuſque ruinam arbitror Beato Joanni præcognitam; & hâc ſecundâ plagâ, quæ poſt clangorem ſecundæ tubæ Angelicæ contigit, præſignificatam.

Id ut oſtendam, quantùm fas eſt ex luce hiſtoriæ cognitionem hujus Prophetiæ aſſequi, proferam primùm, quâ potero brevitate, præcipua, quæ de ſitu, de ædificio, de obſidione, & de excidio præfatæ urbis nar-

ravit

ravit Xiphilinus Dionis abbreviator in Imperatore Severo. Poſteà autem propoſitos Apocalypſis verſus, tametſi perobſcuros, clarè, ni fallor, Deo dante, explicabo.

Itaque, ut primum exequar, Xiphilinus aſſerit Peſcennino Nigro, qui cum Severo de Imperio dimicabat, à Severianis occiſo, Severum Byzantios, qui Nigro faverant, oppugnaſſe. Xiphilinus in Severo.

Eorum urbs, inquit, *ſita in opportuno loco, propter Continentem, quam habet utrinque, & mare, quod medium intercedit, loci, Boſphorique naturâ, munitiſſima eſt. Nam cùm ædificata ſit in edito loco, pertinet ad mare, quod veluti torrens fertur ex Ponto; & in extremam urbem labitur; flectuturque aliquâ ex parte ad dexteram, ubi ſinum, & portum facit: Magnâ verò ex parte in Propontidem prope ipſam urbem, ac celeriùs multò defluit.*

Habebat verò mœnia munitiſſima, quorum dorſum exteriùs extructum erat magnis, & quadratis lapidibus, tabulis inter ſe ex ære conjunctis; interiùs aggeribus, ædificiiſque ita fuerant munita, ut tantùm unus murus firmiſſimus videretur, ſuper quem ambulari poterat; opertuſque erat, & ad cuſtodiendum facilis. Aderant & magnæ turres ædificatæ extrinſecùs. Ingens quoque erat propugnaculum, atque altum è regione Continentis, ut facilè eos, qui ipſum invaderent, arceret. Habebat etiam portus promontoria, in quibus erant altæ turres, quæ hoſtibus navigationem difficilem efficerent. Sed Boſphorus in primis proderat Byzantiis, in cujus fluxum ſi navis ſemel venerit, ad terram appellat neceſſe eſt: Quæ res, ut eſt amicis gratiſſima, ita hoſtibus moleſtiſſima eſt.

Byzantiis fuerant naves quingentæ.

Trium autem annorum ſpatio obſidentur à cunctis ferè orbis terræ exercitibus.

At poſtquàm cibus uſitatus eos defecit, comedère pelles animalium maceratas; quibus poſteà conſumptis, magna pars navigat obſervatis procellis, cæteriſque tempeſtatibus, ut eis nemo poſſet occurrere; idque faciunt, ut vel intereant; vel commeatum comparent. Tum verò magno impetu, & inopinato irruunt in agros, cunctaque eodem modo prædantur.

Qui remanſerant in urbe, facinus graviſſimum fecerunt; nam, ut fuere debilitati, cœperunt mutuò contra ſe converti; ſeque inter ſe comedere.

Dùm hæc ab aliis geruntur, pars, & quidem ſuprà quàm ferendo eſſent, oneratas naves conſcendit; ſolvitque exploratâ pariter magnâ tempeſtate: Quæ res tamen nihil eis proderat. Nam Romani, ut videbant eos pondere preſſos, ita ut parùm ſupra aquam extarent, contrà ferebantur; irruebantque in eos diſperſos, ut ventus, & tempeſtas tulerat; ita ut nullo facto prælio navali, perpetuò eorum naves frangerent; earumque partem impellerent contis; partem roſtris confringerent; nonnullas impetu ſuo ſubverterent. Illi, ſi maximè voluiſſent, nihil poterant efficere. Quòd ſi conabantur fugere, aut ſubmergebantur, quòd ventus erat vehemens; aut capti ab hoſtibus interibant.

Hæc dùm intuerentur ii, qui erant in Urbe, Deos invocabant magnis editis clamoribus; idque faciebant in variis locis, ut quiſque in id ſpectaculum inciderat. Sed poſtquàm omnes ſuos vident penitùs interire, tùm frequentes gemitu

complent

complent omnia, & lamentatione; ex eoque tempore, quod erat reliquum diei, noctemque totam flent, atque lamentantur. Tot enim erant tabulæ fractarum navium, ut earum nonnullæ in inſulas, & in Aſiam perferrentur, ex quibus illæ gentes cladem Byzantiorum antè, quàm eam audirent, cognoſcerent.

Poſtero die multò major fuit calamitas: nam ubi tempeſtas ceſſavit, mare proximum Byzantio, mortuis, fractiſque navibus, & ſanguine refertum erat; atque horum partem in Continentem rejecerat.

Quibus perſpectis rebus, accepta clades multò gravior eſt viſa: Ita Byzantii inviti ſtatim Urbis deditionem faciunt.

Hàc deditione factà, Romani Byzantiorum milites, eoſque omnes, qui Magiſtratum apud illos gerebant, occidunt. Severus autem Civitati abſtulit libertatem; eamque privavit ſuis dignitatibus; fecitque tributariam, bonis Civium publicatis. Urbem, omnemque Regionem, quæ erat ſub ejus Urbis poteſtate, Perinthiis conceſſit. Hi Byzantio uſi ſunt ut vico; & à nullo injuriæ genere temperaverunt.

Quæ quanquàm jure facere quodammodò viſus eſt Severus, tamen Byzantiis magno dolori fuit, quòd mœnia urbis evertit, propterea quòd gloriâ privarentur eâ, quam ex magnificâ ipſorum oſtentatione captabant. Idque cùm faceret Severus, magnum præſidium Romanorum, arcemque contra barbaros Ponti, & Aſiæ ſubvertit.

Ego quidem mœnia ita diruta ſpectavi, ut ſi ea Barbari cepiſſent, non Romani; videramque ea, cùm adhuc ſtarent; eorumque ſonitum, quem edunt, audiveram. In his ſeptem turres, à portis Thraciis adificatæ, ſpectabant ad mare, quarum quidem reliqua per ſe vocales non ſunt. Quòd ſi quis in primâ turri vocem emiſiſſet, aut lapidem in eam conjeciſſet, tale erat in eâ artificium, ac machina, ut is ſtatim ſonus ad ſecundam, indeque ad tertiam, & omnes deinceps non interruptus perferretur.

Hæc ex Dione Caſſio Xiphilinus de Byzantii ſitu, mœnibus, obſidione, & excidio ſub Severo Imperatore; quæ quidem me relaturum promiſeram.

Nunc ex illis, quod etiam ſpopondi, veritatem Propheticam verborum Sancti Joannis de plagâ ſecundâ, quæ ipſi poſt clangorem ſecundæ tubæ Angelicæ revelata eſt, oſtendam.

Ex ℣.8. *Et tanquàm mons magnus.*

Iſai. 13. v. 2. Iſaias prædicens Babylonis excidium, ait: *Super montem caliginoſum levate ſignum, exaltate vocem, levate manum.* Montem appellat Babylonem propter mœnium ejus ingentem molem, & turrium altitudinem.

Dan. 4. v. 27. Quâ de magnificentiâ Nabuchodonoſor gloriabatur his verbis: *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei?*

Sic Joannes, cùm prædicit ſtragem Byzantii, urbis celeberrimæ, quæ ex Xiphilino *magnum erat præſidium Romanorum, arxque fortiſſima, ex cujus mœnium oſtentatione magnificâ gloriam captabant ejus cives*, conſiderat illam urbem *tanquam montem:* quippe ſita erat in edito loco; & muri

ejus

ejus, ut relatum eſt à citato authore, *extructi erant magnis, & quadratis lapidibus, ita inter ſe connexis, ut tantùm unus murus firmiſſimus videretur; aderantque ei turres magnæ. Ingens quoque ei erat propugnaculum, & altum è regione continentis; & portus promontoria turres habebant excelſas.*

Quin etiam *Septem illius turres inſignes, quæ ſpectabant ad mare, tali artificio erant extructæ, ut ſi quis in primâ turri vocem emiſiſſet, aut lapidem in eam conjeciſſet, is ſtatim ſonus ad ſecundam, indèque ad tertiam, & ad omnes deinceps perſerretur*; quemadmodùm fieri ſolet in montibus, ubi unius editæ vocis echo multiplices, & ſibi invicem ſuccedentes audiuntur.

Eas igitur ob rationes Joannes Byzantium, ut olim Iſaias Babylonem, nuncupavit montem, non quidem propriè, ſed metaphoricè: Undè advertendum eſt ipſum non dixiſſe abſolutè, & ſimpliciter, *Et mons*, quæ vox abſque ullo addito viſa fuiſſet fortaſſis aliquibus montem propriè dictum ſignificare; ſed dixiſſe, *Et tanquàm mons*, quod vocabulum montis nomini conjunctum ſimilitudinem dumtaxat montis indicat.

Ex ✝.8. *Igne ardens miſſus eſt in mare.*

Quia verò *everſa ſunt* funditus *mœnia magna, & ingens propugnaculum; deſtructaque penitùs turres excelſa*, & inſignes *illius urbis magnæ, ſpectantes ad mare*, quod non ſine ignis ope peractum fuit, dicitur à Sancto Joanne illius everſionis præſcio, quòd *tanquàm mons magnus igne ardens miſſus eſt in mare.*

Ex ✝. 8. *Et facta eſt tertia pars maris ſanguis.*

Etenim, uti vidimus ex Xiphilino, poſt cladem magnæ partis navium Byzantiorum, *Mare proximum Byzantio, mortuis, & ſanguine refertum erat:* Joannes autem mare Byzantiorum diſtinxit in tres partes: prima fuit ea, quæ portum Byſantii efficiebat: ſecunda, quæ erat ultrà portum, ei tamen propinqua; tertia, quæ erat remota, & in extremis finibus Byzantiorum, vel etiam ulteriùs porrecta. Ex illis tribus partibus maris *una facta eſt ſanguis*, ſeu ſanguinea, quia pars maris *proxima* portui Byzantii *mortuis, & ſanguine fuit referta.*

Verſ.9. *Et mortua eſt tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari.*

Recolendum eſt ex Xiphilino Byzantios, poſtquàm in obſidione *cibus uſitatus eos defecit*, diſtinctos fuiſſe in tres partes.

Prima, &, ut ait præfatus author, *magna pars navigat, obſervatis procellis, ut eis nemo poſſit occurrere, idque faciunt, ut vel intereant; vel commeatum comparent. Tum verò magno impetu, & inopinato irruunt in agros; cunctaque eodem modo prædantur.*

Secunda *pars* tunc aliquandiù remanet in urbe; & ex iis multi, fame eos perurgente, *contrà ſe mutuò convertuntur; ſeque inter ſe comedunt. Dùm hæc ab illis geruntur,*

Tertia *pars*, & quidem *ſuprà quàm ferendo eſſent, oneratas naves conſcendit; ſolvitque exploratâ pariter magnâ* tempeſtate. Hi autem *omnes*, vel

ſubmerſi, vel capti ab hoſtibus interierunt; ſicque verum eſt quòd *mortua eſt tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari*, cùm tertia pars illa Byzantiorum, qui ante obſidionem ſuam victum, *animæ* ſuæ, ſeu vitæ tuendæ neceſſarium, præcipuè ex navigatione maris ſibi comparabant, interiit modo, quem retuli ex Xiphilino.

Ex verſ.9. *Et tertia pars navium interiit.*

Quippe prima pars navium, quas conſcenderunt Byzantii, qui poſtmodùm *prædati ſunt agros*, incolumis fuit.

Altera verò pars, quæ deindè *ſolvit à portu, vel Romanorum impetu, vel vi tempeſtatis quaſſata eſt.*

Attamen non dubium eſt quin, dùm illa pars infelix ſolvit à portu, quædam aliæ naves ſuperfuerint in portu ad ſubventiones neceſſarias Magiſtratuum, militum, & aliorum Civium, qui, referente Xiphilino, remanſere tunc in urbe.

Quapropter juxta illam evidentem diſtinctionem navium Byzantiorum in tres partes, liquet unam *tertiam partem* illarum *navium* cum illis hominibus, qui ipſas conſcenderant, *interiiſſe* tempore obſidionis; cùm duæ aliæ partes navium fuerint incolumes; videlicet una, quæ ſoluta à portu agros prædata eſt; altera autem, quæ ſuperſtes fuit in portu uſque ad diem, quo Byzantium ſeſe Romanis dedidit.

Nihilominùs Urbs illa maritima, dives, & inclyta, quæ uſque ad quingentas naves habebat, & obſidionem ab Imperatore Romano triennalem ſuſtinuit, tandem extremam cladem perpeſſa eſt.

Undè ei attribui poteſt quod Iſaias dixit de Tyro, cujus excidium prædicabat; *Ululate*, inquit, *naves maris, quia vaſtata eſt domus, undè*
Iſai. 23. *venire conſueverant. Quis cogitavit hoc ſuper quondam coronatam, cujus ne-*
v.1 8.9. *gotiatores principes, inſtitores ejus inclyti terræ? Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret ſuperbiam omnis gloriæ; & ad ignominiam deduceret inclytos terræ.*

Ita ſanè ex divinæ juſtitiæ decreto Byzantium exciſum eſt, quòd urbs illa Chriſtianos Dei Cultores perſecuta fuerat; ſiquidem, referente
Tertull. ad Scapulam. Tertulliano, *Cæcilius Capella Præſes, in illo exitu Byzantino, Chriſtiani, gaudete, exclamavit*, tanquàm exiſtimans ipſis eſſe gaudendum, quòd urbs, quæ illos voluiſſet delere, fuiſſet ipſa deleta.

EXPLA

EXPLANATIO XXXIV.

Tertiam plagam ex ſonitu tertiæ tubæ Angelicæ inflictam referens ad tempora, tùm Antonini Pii, tum Gallieni Imperatorum, verſu decimo, & undecimo Capitis octavi Apocalypſis.

Vers. 10. Et tertius Angelus tubâ cecinit; & cecidit de Cœlo ſtella magna, ardens tanquam facula; & cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.

℣. 11. Et nomen ſtellæ dicitur abſinthium; & facta eſt tertia pars aquarum in abſinthium; & multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt.

Verſ. 10. *Et tertius Angelus tubâ cecinit.*

INTER adverſa, quæ Julius Capirolius refert temporibus Antonini Pii eveniſſe, hæc recenſet: *Romæ incendium trecentas quadraginta inſulas, vel domos abſumpſit; & Narbonenſis civitas, & Antiochenſe oppidum, & Carthaginenſe forum arſit. Fuit & inundatio Tyberis; apparuit & ſtella crinita.* Jul. Capitol. in Anton. Pio.

Ex verſ. 10. *Et cecidit de Cœlo ſtella magna ardens tanquàm facula.*

Noriint Phyſici unum ex Meteoris appellari ſtellam cadentem, quæ ex exhalationibus ſubitò accenſis in aëre, ac protenſis, & deorsùm vergentibus conſtat; ardetque aliquantiſper velut facula. Non abſimilem fortaſſis quiſpiam putaret à Sancto Joanne viſam *ſtellam, de Cœlo cadentem, ardentem tanquam faculam, magnam* tamen, & inſuetam, utpote quæ magnos, & inſolitos effectus eſſet, vel productura, vel ſignificatura. Verùm ſatius duco intelligere *ſtellam crinitam*, quæ tempore Antonini Pii apparuit, à Beato Joanne prævifam: Revera enim juxta conſenſum omnium Aſtronomorum, qui ab aliquot ſæculis fulſerunt, talis Cometa eſt corpus cœleſte micans, idcòque ſtella; & ſtella plerumque multò altior ſtellis, quas vocant planetas, ut probant ex paralaxi.

Talis etiam *ſtella*, quæ dicitur Cometa, tanquàm globus ingens de

Cælo ſuperiori, quod jam ab omnibus fermè Aſtronomis fluidum cenſetur, cadit,ut in conſpectum hominum veniat, ſicuti Renatus Carteſius, quem noſtra Gallia peperit, ingenioſè effingit; & aſſentiuntur plerique novi Aſtronomi.

Magna quoque eſt hujuſmodi ſtella,tùm ex ingenti corporis illius mole,tùm propter permagnum tractum lucis, quam longè, latèque ſpargit.

Denique, *ardere* videtur *tanquàm facula*, dùm radios, quos à ſole copioſè recipit, præ denſitate ſuâ vehementer reflectit.

Ex verſ. 10. *Et cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.*

Stella illa cecidit, non quidem corpore ſuo in flumina, quaſi in eis re ipſa fuerit immerſa; ſed dicitur in illa cecidiſſe vi ſuâ, vel ſignificatione, quòd vel effecerit, vel ſignificaverit effectus inſuetos in fluminibus, & in fontibus producendos; quemadmodùm Apocalypſis capite ſeptimo dicitur, quòd *non cadet ſuper illos Sol, neque æſtus:* non quòd
Apoc. 7. v. 16. umquam ipſe Sol corpore ſuo decidat in homines; ſed quia vim ſuam
Iſai. 49. ardentem in illos exerit: undè Iſaias ſimilem ſententiam reddit his ver-
v. 10. bis, *non percutiet eos æſtus, & Sol.*

Ex verſ. 10. *In tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum.*

Ut autem percipiamus quo ſenſu ſtella illa dicitur *in tertiam*, potiùs quàm in aliam *partem fluminum, & in fontes aquarum* cecidiſſe, adnotandum eſt aquas dividi in duo genera: aliæ enim ſunt ſalſæ, & minimè potabiles, quales maritimæ: aliæ dulces, ac potabiles. Harum verò aliæ ſunt palàm aëri expoſitæ, quales fluminum, & fontium: aliæ obtectæ; eæque in duo genera poſſunt diſtribui, nimirùm in eas, quæ dudùm collectæ in ciſternis domeſticis aſſervantur; aliæ, quæ per meatus ſubterraneos, ſeu aquæductus cameratos fluunt.

In regionibus calidis, & æſtuantibus frequens eſt ciſternarum uſus; & nemo eſt, qui neſciat aquæductus plurimos fuiſſe tempore Imperii Romani, magnis impenſis, & mirâ arte per longa terrarum ſpatia cameratos, & obrectos.

Talium aquæductuum monimenta præclara videre eſt adhuc in Galliâ ad Pontem Gardi aliquot leucis à Nemauſo; item aliquot leucis ab Arelate, & prope Forojulium, ut alios omittam. Imitati ſunt antiquorum Romanorum magnificentiam Reges noſtri Chriſtianiſſimi in aquæductu, qui ex Arculio aquas copioſas, pellucidas, & ſalubres per fornices ſubterraneos Lutetiam Pariſiorum ad inſigniora palatia, & loca celebriora defert. Sed ad id, undè progreſſus ſum, & nonnihil digreſſus, revertor.

Cùm igitur ex prænotatis tres ſint veluti partes aquarum dulcium, ac potabilium; una earum, quæ palam patent,ſicuti fluminum, ac fontium; duæ autem aliæ partes aquarum obtectæ ſint, una immobilis in ciſternis; altera per aquæductus ſupernè fornicatos delata; Sanctus Joannes aſſerit *Stellam ardentem tanquàm faculam cecidiſſe in tertiam partem aquarum,*

rum, ſcilicet quæ eſt dulcium, & potabilium; *ac flumina, & fontes* comprehendit; non autem in alias duas aquarum dulcium partes, quæ ſunt ciſternarum, & aquæductuum cameratorum; quia hæc duo aquarum genera erant in ciſternis, & in aquæductibus obtecta.

Verſu 11. *Et nomen ſtellæ dicitur abſinthium.*

Stella illa crinita nuncupatur *Abſinthium* ex aquarum amaritudine, quam, Deo omnium Creatore, & Domino ita ſtatuente, vel ſignificavit futuram; vel etiam produxit: ardore enim ejus inſolito, aliiſque cauſis conjunctis, magna vaporum inſalubrium, lethiferarumque exhalationum copia ſursùm potuit evehi; eaque poſtmodùm in imbres malignos laxata multos fontes patentes, & nonnulla flumina corrumpere.

Ex verſ. 11. *Et facta eſt tertia pars aquarum in abſinthium.*

Nempe *aquarum* dulcium, & potabilium *tertia pars*, quæ fontes aëri expoſitos, & flumina comprehendit, amaritudinem contraxit ex præfatis imbribus malignis, quos prædictus Cometa, vel produxit, vel ſignificavit.

Cùm etiam Julius Capitolinus apparitionem ſtellæ illius crinitæ referat cum incendio Romano, & inundatione Tyberis, facilè intelligi poteſt tàm ingens incendium, quod trecentas quadraginta inſulas abſumpſit, in flumen illud Romanum, & in fontes, ac canales patentes immiſiſſe plurimùm fuliginis, & cineris, ex cujus permixtione illæ aquæ factæ ſunt amaræ, & noxiæ.

Simile aliquid evenire potuit ex Narbonenſi, Antiochenſi, & Carthaginenſi conflagratione, quam idem hiſtoriographus narrat ſimul cum incendio Romano.

Tyberis autem inundatio, quæ tunc temporis contigit, haud dubiè lutulentas, & inſalubres aquas emiſit.

Stella verò crinita, ſeu Cometa illius aquarum corruptionis cœleſte ſignum fuit; vel etiam aliquatenùs cauſa poteſtate Dei, qui creaturis ſuis, ut ſibi lubet, in pœnam flagitioſorum hominum utitur.

Ex verſ. 11. *Et multi hominum mortui ſunt de aquis, quia amara facta ſunt.*

Cùm multi, bibendis aquis, quandò dulces erant, aſſueti, ex illis propter ſitim ipſos perurgentem potarent; eaſque ad alios vitæ uſus neceſſarios aſſumerent, dùm in amaritudinem lethiferam erant converſæ, interierunt.

Hactenùs tertiæ tubæ Angelicæ plagam explicui relatam ad tempus Antonini Pii; nunc paucis illam refero ad imperium Gallieni: illo enim imperante, inquit Trebellius Pollio, *maria multas vrbes occuparunt; & peſtilentia tanta extiterat vel Romæ, vel in Achaïcis urbibus, ut uno die quinque millia hominum pari morbo perirent.* Treb. Pollio de Gallieno.

Quis inde non videat aquas præfatarum urbium in amaritudinem lethiferam facilè converſas; ex earumque potu, aliove uſu, & effocatu multos interiiſſe?

Digitized by Google

Exod. 1. v. 22. c. 7. v. 18. Sicuti verò inter plagas, quibus olim Deus mulctavit Ægyptios, una fuit, quòd Nilum, in quem projecerant pueros Hebræorum, ita infecit, *ut affligerentur bibentes aquam illius fluminis:* ſic Dominus juſtus judex in tantam amaritudinem convertit fluviorum, & fontium aquas, ut multi Ethnici ex illarum potu mortui ſint, propterea quòd nonnunquam Chriſtianos ſuffocarunt in aquis; vel etiam, poſtquàm illorum corpora exuſſere, ſacros eorum cineres, nè in honore haberentur à fidelibus, projecere in flumina, quemadmodùm pluribus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monimentis patet.

EXPLANATIO XXXV.

Quâ ſolis, lunæ, & ſiderum obſcuritas inſueta, ex clangore quartæ tubæ Angelicæ exorta, refertur ad tempus Gallieni Imperatoris; redduntur etiam rationes, ob quas alter Angelus, ſub ſpecie aquilæ apparens, graviter impiis comminetur, duobus ultimis verſibus Capitis octavi Apocalypſis.

VERS. 12. Et quartus Angelus tubâ cecinit; & percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum; ita ut obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter.

℣. 13. Et vidi, & audivi vocem unius aquilæ volantis per medium Cœli, dicentis voce magnâ, Væ, væ, væ habitantibus in terrâ de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tubâ canituri.

Verſ. 12. *Et quartus Angelus tubâ cecinit, & percuſſa eſt pars ſolis, &c. & lunæ, &c. & ſtellarum, ita ut obſcuraretur pars eorum.*

Exod. 10. v. 22. Sapient. 17. v. 20. NOTUM eſt Deum Moyſis miniſterio Ægyptios affeciſſe denſiſſimâ caligine in pœnam malitiæ, & cæcitatis cordis illorum. Ita Chriſtus Dominus ſui ipſius, & ſuorum æquiſſimus vindex, aliquando præter rerum naturæ ordinem obſcuravit ſolem, lunam, & ſtellas, ut ex illorum ſiderum inſueto de-

fectu

fecta argueret Ethnieos, quòd ſidera illa adorarent tanquam Deos, cùm *Deus ſit lux, in quo tenebræ non ſunt ullæ*; quòdve oculos mentis ſuæ perverſiſſimè clauderent, nè ſincerum, & ſalubre lumen Evangelii reciperent; ac etiam cupiditatibus ſuis obcæcati pios, & ſanctos illius cultores perſequerentur. 1. Ioan. 1. v. 5.

Ex ℣. 12. *Et percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarum, ita ut obſcuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia, & noctis.*

Eam autem obſcuritatem ſideribus obductam puto tempore Gallieni: ait enim Trebellius Pollio, tunc temporis *fuiſſe tenebras per multos dies*; quod quidem refert tanquàm quid valdè inſuetum, & horrendum inter alia portenta horribilia, quæ ibidem recenſet. Trebellius Pollio de Gallieno.

Quare ſi illos multos *dies* intelligamus dies naturales, quæ complectuntur integram revolutionem ſolis ab ortu ejus ad alium ipſius ortum, & comprehendunt diem civilem ab ortu ſolis ad occaſum, & noctem ab occaſu ſolis ad ejus ortum ſequentem, quemadmodum Scriptura creationem omnium narrans inquit, *factum eſt veſpere & mane dies unus*, & ſic de aliis, diem indicans à mane ad veſperam, & à veſperâ ad mane; ſi, inquam, illos multos dies præter conſuetudinem tenebroſos, de quibus Trebellius loquitur, intelligamus dies naturales, facile erit colligere ſolem obſcuratum fuiſſe modo inſolito diu; lunam autem, & ſtellas noctu caliginem inſuetam paſſas fuiſſe: ita ut juxta revelationem inditam divinitùs Beato Joanni lux ſiderum illorum tertiâ parte curſus eorumdem aſtrorum ſuper hemiſphærium *obſcuraretur*. Indè fiebat *ut diei non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter*, hoc eſt pars tertia diei anteà lucentis, & tertia pars noctis priùs lucidæ, tota poſtmodùm tenebris denſiſſimis eſſet obſita. Quod profectò præter naturam erat, & horrendum, præſertim, cùm ex Trebellio *tenebræ illæ per multos dies* graſſarentur. Gen. 1. v. 5.

Crediderim autem Deum, qui cuncta ſapientiſſimè adminiſtrat, & plagas juſtâ cum ratione peccatoribus infligit, idcirco tertiam partem ſiderum obſcuraſſe, & tertiam partem aquarum, uti antè vidimus, corrupiſſe, quòd Ethnici, qui illis plagis affecti ſunt, Chriſtianos, qui tertiam hominum partem efficiunt, impiè, & diriſſimè vexaverint.

Etenim poſtquàm Zacharias Propheta locutus eſt de plagis, quibus Chriſtus Dominus confoſſus fuit, addit: *Et erunt in omni terrâ, dicit Dominus; partes duæ in eâ diſpergentur, & deficient; & tertia pars relinquetur in eâ; & ducam tertiam partem per ignem, & uram eos, ſicut uritur argentum; & probabo eos ſicut probatur aurum. Ipſe vocabit nomen meum; & ego exaudiam eum. Dicam, populus meus es; & ipſe dicet, Dominus Deus meus.* Zachar. 13. v. 7. 8. 9.

Sic juxta præfatum Prophetam terra dividitur in tres partes hominum: Duæ primæ ſunt Judæorum, atque Ethnicorum: tertia verò Chriſtianorum. Judæi *diſpergentur*; Ethnici verò tandem *deficient*: ſed

Chriſtiani

Digitized by Google

Chriſtiani ſuperſtites erunt, ac prævalebunt; ita tamen ut priùs exquiſitis tormentis probetur virtus illorum; ac, quemadmodùm loquitur Apo-
1. Petr. 1. ſtolorum Princeps, *probatio fidei illorum multò pretioſior auro, quod per*
v. 7. *ignem probatur, inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem in revelatione Ieſu Chriſti.* Sanè ex illis tribus generibus hominum, ſoli Chriſtiani Deum, ut par eſt, colunt; ideòque illi ſoli ſunt *populus Dei*, quandoquidem Ethnici falſos Deos adorarent; Judæi autem unigenitum Dei Filium reſpuant.

Verſ. 13. *Et vidi, & audivi vocem unius aquilæ volantis per medium Cœli, dicentis voce magnâ, Væ, væ, væ habitantibus in terrâ de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tubâ canituri.*

Matth. 24. Quatuor plagæ ex quatuor Angelicarum tubarum clangore obortæ,
v. 8. ſunt velut *initia dolorum*, quos patientur Infideles; *ſed nondùm finis:*
Luc. 21. quippe illæ plagæ leviores ſunt; quæ verò ſuperſunt infligendæ, multò
v. 9. erunt graviores, ut patebit Capitum Apocalypſis ſequentium explanatione: Quapropter apparet Angelus plagas illas graviſſimas voce peracerbâ prænuntians, tanquàm præco authoritate Dei Summi Judicis.

Ex verſ. 13. *Vocem unius aquilæ volantis per medium Cœli.*

Cœleſtis autem ille ſpiritus ſub ſpecie aquilæ citiſſimè volantis videtur, quòd mandatum Divinum velociſſimè exequeretur. Formam etiam aquilæ ad prædam, & ad cadavera volantis præ ſe ferebat, quòd adventum proximum Regis Perſarum, ad deprædandos Romanos, & ad terram cadaveribus hominum peſte mortuorum operiendam, ſignificaret, ſicuti oſtendemus explicatione Capitis proximi.

Prætereà Chriſtus, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Angelum exhibet ſub ſpecie aquilæ, tanquàm opponens Aquilas ſuas Aquilis Romanorum, ſigna ſua ſignis illorum, militiam Cœleſtem ſuam ipſorum legionibus terrenis, quibus tantò potentior eſt, quantò Cœlum terræ dominatur.

Poſtremò advertendum eſt Imperatores Romanos ſolitos fingere ex volatu aquilæ, prædeceſſores ſuos beatâ quâdam immortalitate donari, & in numerum Deorum ſuorum ſubvehi: *Conſules*, inquit Xiphilinus
Xiphilin. è Dione, *ſub Severo Imperatore rogum Pertinacis, cui ſucceſſerat, incen-*
in Severo. *derunt. Quod cùm eſſet factum, aquila ex rogo evolavit. Itaque Pertinax immortalitate donatus eſt.* At verax, & ſanctus Dominus, fabulam illam ſubſannans, ac impietatem, cui cæteri Ethnici conſentiebant, deteſtatus, atque puniturus, Cœleſtem Spiritum ſub ſpecie aquilæ volantis præmittit, ut deſignet ſe verè redivivum ex morte, & viventem in ſæcula ſæculorum, profanis inanium Deorum cultoribus perniciem
1. Petr. 2. extremam allaturum: eſt enim aquila volucrum rapaciſſima; & ani-
v. 9. malibus, quæ ſolet vorare, lethifera.
1. Joan. 1.
v. 5. Benedictus Deus, *qui de tenebris vocavit* nos *in admirabile lumen*
Joan. 8. *ſuum: Deus* enim *lux eſt; & tenebræ in eo non ſunt ullæ.* Et *qui ſequitur*
v. 12. *me*, inquit Chriſtus, *non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen vitæ.*

Utinam

Utinam tandem,melioribus auſpiciis quàm adversùs infideles, ſit Dominus nobis ſibi fidiſſimis, *ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans : expandat alas ſuas ; & aſſumat nos, atque portet in humeris ſuis :* ſit *Dominus ſolus Dux* noſter ; *& non* ſit *cum* ullo noſtrûm *Deus alienus !* Deuter. 32.v.11.12.

EXPLANATIO XXXVI.

Quinta plaga poſt quinta tuba Angelica clangorem, de Valeriani Imperatoris Romani, & Chriſtianorum perſecutoris, captivitate à Sapore Rege Perſarum, ex primo ad undecimum verſum Capitis noni Apocalypſis.

VERS. 1. Et quintus Angelus tubâ cecinit : Et vidi ſtellam de Cœlo cecidiſſe in terram ; & data eſt ei clavis putei abyſſi.

℣. 2. Et aperuit puteum abyſſi ; & aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ ; & obſcuratus eſt ſol, & aër de fumo putei.

℣. 3. Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram ; & data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ.

℣. 4. Et præceptum eſt illis nè læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, niſi tantùm homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis.

℣. 5. Et datum eſt illis nè occiderent eos ; ſed ut cruciarent menſibus quinque ; & cruciatus eorum ut cruciatus ſcorpii, cùm percutit hominem.

℣. 6. Et in diebus illis quærent homines mortem ; & non invenient eam, & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.

℣. 7. Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in

Digitized by Google

in prælium ; & ſuper capita earum tanquam coronæ ſimiles auro ; & facies earum tanquam hominum.

℣. 8. Et habebant capillos ſicut capillos mulierum, & dentes earum ſicut dentes leonum erant.

℣. 9. Et habebant loricas ſicut loricas ferreas ; & vox alarum earum ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.

℣. 10. Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum ; & poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque ; & habebant ſuper ſe

℣. 11. Regem Angelum Abyſſi, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen exterminans.

Verſ. 1. *Et quintus Angelus tubâ cecinit.*

Joël. 1. v. 4. 6. SICUT Interpretes, hiſtoriæ luce perfuſi, Joëlem his verbis, *Reſiduum erucæ comedit locuſta : gens enim aſcendit ſuper terram meam fortis, & innumerabilis*, conſentiunt illis locuſtis ſignificaſſe præcipuè Nabuchodonoſoris Regis Babylonis exercitum, qui Judæam *erat vaſtaturus :* Ita ego Romanam, & Eccleſiaſticam hiſtoriam perluſtrans, non dubitaverim aſſerere Sanctum Joannem locuſtis, quas dato clangore quintæ tubæ Angelicæ refert, deſignaſſe exercitum Saporis, Regis Perſarum, qui Valerianum Imperatorem Romanum, & Chriſtianorum perſecutorem erat cum illius militibus capturus, & in miſerrimum ſtatum redacturus.

Profectò hæc quinta plaga ſic explicata congruit optimè, quantùm ad rationem temporis, cum tertiâ, & quartâ plagâ capitis præcedentis : illas enim ex veritate hiſtoricâ retuli ad tempus Gallieni Imperatoris : hæc etiam quinta plaga incidet in ejuſdem Imperatoris tempora, cùm certum ſit Gallienum cum patre ſuo Valeriano Imperium tenuiſſe.

Deindè omnia, quæ hic ſub continuatâ locuſtarum metaphorâ prædicuntur à ſancto Joanne, oſtendam competere, ſive Saporis Regis Perſarum exercitui, ſive Valeriano Imperatori Romano cum ſuis militibus capto, & diu captivo.

Patebit quoque explanationis meæ progreſſu magnam partem deſcriptionis locuſtarum Apocalypſis eſſe omninò ſimilem ei deſcriptioni, quam Joël primo, & ſecundo capite prophetiæ ſuæ protulit de Babyloniis ſub locuſtarum figurâ.

Denique perſpicuum erit quàm juſtè Chriſtus Dominus vindicaverit Chriſtianos

Chriſtianos de Valeriano illorum perſecutore; & quàm ſapienter revelaverit Dilecto Diſcipulo quidquid ad illam vindictam ſpectabat.

Porrò metaphorâ locuſtarum hujuſce capitis Apocalypſis proponuntur ſeptem adnotanda, nempè illarum productio; quo præcipuè modo, & quibus nociturnæ ſint; quantùm temporis; quàm graviter; quales ſint futuræ; & quo nomine dux illarum nuncupetur.

Cùm vero quâvis allegoriâ dici ſoleat aliud, & aliud intelligi, explicabo primùm ſingula locuſtarum illarum allegorica verba, quæ difficultatem habent; ac poſteà declarabo quid rei veræ intelligendum ſit eâ verborum figurâ.

Ex verſ. 1. *Et vidi ſtellam de Cœlo cecidiſſe in terram.*

Sol in Scripturâ dicitur cadere ſuper aliquem, quandò in eum radios ſuos fortiùs ſolito jaculatur; ipſumque vehementiori æſtu adurit: undè Apoc. 7.
jam explicui locum illum Apocalypſis, *nec cadet ſuper illos ſol, neque* v. 16.
æſtus; quod idem ſignificatur ab Iſaïa his verbis, *non percutiet eos æſtus,* Iſai. 49.
& ſol. Secùs, *percuſſit ſol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat.* v. 10. Ionæ 4.
Itaque juxta illam phraſim, & ſignificationem cadentis ſolis ſuper v. 8.
aliquem, oſtenditur Beato Joanni *ſtella de cœlo in terram cadens*, ut ſignificetur maxima vis illius ſtellæ in terram immitti; effectumque maximum producere.

Ex verſ. 1. *Et data eſt ei clavis putei abyſſi.*

Dicitur *clavis putei abyſſi data illi ſtella*, quia Deus hanc illi vim indidit, ut educat ingentem copiam vaporum, qui in abyſſo quâdam profundiſſimâ, velut aquæ in puteo, collecti erant, ac concluſi: ſi quis enim velit haurire aquam è puteo, cujus os occluſum ſit, & obſeratum, oportet ut clavem ad reſerandum oſtium putei habeat.

Verſ. 2. *Et aperuit puteum abyſſi; & aſcendit fumus putei, ſicut fornacis magnæ; & obſcuratus eſt ſol, & aër de fumo putei.*

Stella illa juxta vim ſibi à Deo traditam eduxit ex eâ abyſſo tantam vaporum calidorum copiam, ut ſimilis eſſet fumo prodeunti ex magnâ fornace ſuccenſâ; indèque aër, & ſol obducti ſunt caligine; quemadmodùm fumus ingens obſcuritatem inducit in aërem; nec patitur radios ſolis perſpicuè ad terram ſubjectam pervenire.

Verſ. 3. *Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram.*

Ex illis vaporibus calidis efformatæ ſunt locuſtæ, quæ ſuper terram
apparuerunt: ſic quondam *Dominus induxit ventum urentem totâ die, &* Exod. 10.
nocte; & mane facto ventus urens levavit locuſtas, quæ aſcenderunt ſuper v. 13. 14.
univerſam terram Ægypti; operueruntque univerſam ſuperficiem ejus. 15.

En locuſtarum Apocalypſis productio, cujus verba metaphorica primùm explicanda ſuſceperam: ſequitur ut, quid illis verbis allegoricis ſit intelligendum, oſtendam.

Ex v. 1. *Et vidi ſtellam.*

Certum eſt Perſas, Orientales populos, ſolitos eſſe adorâre ſolem; conſtatque Regem Babylonis, cui ſucceſſerunt Perſæ, vocari ab Iſaïa

Iſai. 14. v. 4. 12. Luciferum; *Quomodò*, inquit, *cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?*

Ratio illius appellationis hæc mihi videtur, quòd Lucifer, quem Aſtronomi ſtellam Veneris vocant, numquam ſit oppoſitus Soli; ſed ſemper ei conjunctus; cumque modò præeat mane; modò ſubſequatur veſpere. At Babylonis, & conſequenter Perſarum Rex, religione ſuâ ita conjunctus eſt Soli, ut ei numquam opponatur ſuperſtitioſo ſuo ritu. Aliquandò autem ortum illius præit, ut illum poſteà orientem jucundiùs videat, & religioſiùs veneretur. Quâ de causâ ſanctus Job Orientalium ſui temporis ſuperſtitionem horrens, ait: *Si vidi Solem, cùm fulgeret; & oſculatus ſum manum meam, quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contrà Deum altiſſimum.* Sed & Juſtinus Hiſtoriographus refert ex multis de Regno contendentibus electum fuiſſe in Regem Perſarum illum, cujus equus oriente Sole primus hinniit. Nonnunquàm verò Rex Perſarum Solem ſubſequebatur, præſertim pugnam initurus cum hoſte. Sic Quintus Curtius aciem Darii deſcribens, inquit: *Patrio more Perſarum traditum eſt, orto Sole demùm procedere. Die jam illuſtri ſignum è tabernaculo Regis buccinâ dabatur. Super tabernaculum, unde ab omnibus conſpici poſſet, imago Solis cryſtallo incluſa fulgebat.*

(Job. 31. v. 26. 27. 28. — Juſtin. l. 1. — Quint. Curtius l. 3.)

Cùm igitur Rex Perſarum eſſet ſuperſtitione ſuâ conjunctus Soli, cumque modò præcederet, modò ſubſequeretur religioſè, videtur mihi Rex Babylonis convenienter appellatus ab Iſaiâ Lucifer, qui Soli ita conjungitur, ut eum aliquando præcedat, aliquando ſubſequatur; ideòque arbitror Saporem Regem Perſarum congrue deſignatum fuiſſe per ſtellam, quæ oſtenſa eſt Joanni.

Ex verſ. 1. *De Cœlo cecidiſſe in terram.*

Cadit autem illa *ſtella de Cœlo in terram*, quatenùs Sapor omnem vim ſuam, & poteſtatem ſibi à Deo Cœli, & terræ Domino collatam (*non eſt* enim *poteſtas niſi à Deo*) exerit in terram ſibi ſubjectam, ſeu in homines, quibus dominatur.

(ad Rom. 13. v. 1.)

Ex ỽ. 1. *Et data eſt ei clavis putei abyſſi.*

Dicitur illi ſtellæ, hoc eſt, Sapori Regi Perſarum, *data clavis putei abyſſi*, alluſione inſigni ad puteum bituminis, qui erat propè Babylonem, teſte Dione Caſſio: *Trajanus*, inquit, *Babylonem verſùs ire pergit. Lacum bituminis ex itinere ſpectare, & viſere voluit, ex quo muri Babylonis ædificati fuere, cujus ea vis eſt, ut lateribus, aut exiguis lapidibus interlitum, ſaxo, aut quovis ferro muros ſolidiores, & firmiores faciat. Os prætereà antri, ex quo gravis, & peſtilens halitus redditur, inviſit, quem neque terreſtria animalia, nec Cœli volucres pati poſſunt; nam ſi ſuprà devolaverint, ſive propiùs oberraverint, olfactu ipſo ſtatim exanimes concidunt: quare incultus locus, & à ſe ipſo circumſcriptus, ac deſertus manet.*

(Dion Caſſius in Trajano.)

Hæc Dion. Quæ ſanè mihi videntur maximè convenire ei, quem ſanctus Joannes memoravit, *puteo abyſſi*, hoc eſt, profundo; & periculum

culum mortis, ut gurges aquarum profundus ſolet, inferenti. Sed & comparatio illius *loci, & antri bituminis*, de quo Dion, & *putei abyſſi*, de quo Joannes, ex iis, quæ ſtatim dicenda ſunt, magis, ac magis patebit.

Verſ.2. *Et aperuit puteum abyſſi; & aſcendit fumus putei, ſicut fornacis magnæ; & obſcuratus eſt Sol, & aër de fumo putei.*

Verſ.3. *Et de fumo putei exierunt locuſtæ in terram.*

Iccirco præfata ſtella dicitur aperuiſſe præfatum illum puteum abyſſi, & indè eduxiſſe multùm bituminis, quod facilè incaleſcit; & ex illius fumo, qui denſiſſimus eſt, obſcuratum fuiſſe Solem, ac proceſſiſſe locuſtas, quibus læderentur homines non obſignati ſigno Dei, ut intelligeremus Saporem, regem Perſarum, æſtuantem itâ, collegiſſe ex Imperio ſuo, verſ.4.
ubi erat ille puteus bituminis, magnum numerum militum, qui ſequerentur motum Regis ſui; quique gradientes, tùm pedites, tùm equites, tantam copiam pulveris excitarent, ut indè aër obduceretur caligine; & Sol obſcuraretur: ait enim Ioël de Nabuchodonoſoris exercitu, quem comparavit locuſtis, *à facie ejus contremuit terra; moti ſunt Cœli; Sol, &* Joël.1. v.4.
Luna obtenebrati ſunt; & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum; & Dominus C.2.v.10.
dedit vocem ſuam antè faciem exercitus ſui; quia multa ſunt nimis caſtra 11.
ejus; quia fortia, & facientia verbum ejus.

Cùm etiam Sacræ Scripturæ verba proferantur perſæpè multis de cauſis, ac plures ſenſus contineant, non abs re erit, ſi dixerim Chriſtum, rerum omnium præſcium, oſtendiſſe Dilecto Diſcipulo è *fornace magnâ prodeuntem fumum*, ut indicaret multos Sanctos Martyres in fornacem ardentem conjectos tempore Valeriani cauſam fuiſſe, quòd Dominus ſuorum vindex dederit poteſtatem Sapori regi Perſarum colligendi copioſum exercitum contra Valerianum Imperatorem Romanum, & Chriſtianorum perſecutorem ſæviſſimum. Quippe Martyrologio Romano, Nono Kalendas Septembris, fit hæc memoria, *Carthagine Sancto-* Martyr.
rum trecentorum Martyrum tempore Valeriani, & Gallieni, qui inter alia Rom.24.
ſupplicia, cùm Præſes fornacem calcariam accendi juſſiſſet, & in præſentiâ Auguſti.
ejus prunas cum thure exhiberi, atque illis dixiſſet, eligite è duobus unum, aut thura ſuper his carbonibus offerte Iovi, aut in calcem demergimini; fide armati, Chriſtum Dei Filium confitentes, ictu rapidiſſimo ſe injecerunt in ignem; & inter vapores calcis in pulverem ſunt redacti: ex quo candidatus ille beatorum exercitus, Maſſa candida meruit appellari.

Explicatâ productione locuſtarum Apocalypſis, tùm juxta verba metaphorica, quæ difficultatem habebant, tùm juxta ſenſum allegoricum in illis latentem, declarabo deinceps, quo præſertim modo; quibus; quantùm temporis; & quàm graviter nocituræ ſint illæ locuſtæ allegoricæ, ac propheticæ.

Ex ℣. 3. *Et data eſt illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpiones terræ.*

Verba illa exponuntur verſu decimo: *Habebant*, inquit, *caudas ſimiles*

 ſcorpionum,

ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum, & poteſtas earum nocere hominibus. Igitur, ſicuti ſcorpiones aculeis caudarum ſuarum homines pungunt, ac vulnerant: ita locuſtæ illæ, non quidem veræ, & naturales, quæ parem vim non habent, ſed allegoricæ, nimirùm milites Saporis Regis Perſarum, inter arma, quibus accingentur, gladiis, ſeu enſibus, quaſi caudis poſt tergum pendentibus, hoſtes ſuos configent, ac vulnerabunt. Sic Dominus per Ezechielem urbi Jeruſalem comminabatur præcipuè gladium Nabuchodonoſoris, cui ſucceſſerunt Perſæ: *hæc dicit*

Ezech. 21. v. 3. 9.

Dominus Deus, ecce ego ad te; & ejiciam gladium meum de vaginâ ſuâ: gladius, gladius exacutus eſt.

Verſ. 4. *Et præceptum eſt illis nè læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, niſi tantùm homines, qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis.*

Exod. 10. v. 15.

Cùm illæ locuſtæ non habeant, ſicuti Ægyptiacæ, cæteræque omnes naturales, eam vim corrodendi virentia tùm in gramine, tùm in fruticibus, ac virgultis: ſequitur illas non eſſe veras, ac propriè dictas locuſtas; ſed ſub earum nomine, uti jam dictum eſt, ſignificatos eſſe Saporis Regis Perſarum milites, qui læſerunt dumtaxat homines Ethnicos, ex quibus collectus erat exercitus Valeriani Imperatoris Romani. Etenim

Euſeb. hiſt. l. 7. c. 9. Ruff. hiſt. l. 7. c. 9. Euſeb. in Chron. an. 260.

ex Dionyſio Alexandrino apud Euſebium, *is Imperator à quodam principe Magorum Ægypti depravatus, homines culpâ vacuos, ac Sanctos Dei, utpote ſceleſtorum, ac execrabilium incantamentorum, quibus ſeſe ſubdiderat, adverſarios, & oppugnatores, acerbè perſecutus eſt, ac neci tradidit.* Poſteà verò *Macrini proditione, contumeliis, & probris hoſtium barbarorum objectus fuit, captus à Sapore Perſarum Rege.*

Trebel. Pollio in Valeriano.

Rem eamdem declarat Trebellius Pollio his verbis. *Valerianus fatali quâdam neceſſitate ſuperatus eſt: victus eſt enim à Sapore Rege Perſarum, dùm ductu cujuſdam ſui ducis, cui ſummam omnium bellicarum rerum agendarum commiſerat, ſeu fraude, ſeu adverſâ fortunâ, in ea eſſet loca deductus, ubi nec vigor, nec diſciplina militaris, quin caperetur, quidquam valere potuit. Captus igitur in ditionem Saporis pervenit.* Hæc Trebellius.

Nec dubium eſt quin plurimi, tùm duces, tùm milites exercitus Valeriani ſimul cum ipſo capti fuerint. Quocirca læſi ſunt, & graviter afflicti à militibus Saporis milites Valeriani, non obſignati ſigno Dei vivi, quandoquidem unum Deum vivum, & verum non colerent.

Verſ. 5. *Et datum eſt illis nè occiderent eos.*

Attamen, ſicuti victor exercitus hoſtes, quos captivos fecit, non ſolet enecare, ſed eos ſervare, tùm ad gloriam ſibi comparandam ex illorum detentione, tùm ad pecuniam ex eorum, vel venditione, vel redemptione colligendam, aliave commoda, ſeu privata, ſeu publica concilianda; ſic Sapor nec Valerianum ab ipſo captum, nec duces, ac

Trebel. Pollio in Valeriano.

milites cum illo captivos occidit ſtatim; ſed eos, ut loquitur Trebellius, *glorioſæ victoriæ ſucceſſu, ſuperbo, & elato animo detinuit.*

Ex

Ex ℣. 5. *Sed ut cruciarent; & cruciatus eorum, ut cruciatus ſcorpii, cùm percutit hominem.*

Lædit homines ſcorpius infigendo in eos caudæ ſuæ aculeum: at referente Ruffino, *Valerianus à Sapore captus, oculis orbatus eſt*; quod videtur factum infixo in illius oculos enſis, vel alterius ferri acumine, ſive ab ipſomet Sapore, ſive ipſius juſſu; ac poſt, inquit Euſebius, *in miſerabili ſervitute conſeneſcit.* Sic olim *Naas Ammonites aiebat viris Iabes Galad, in hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium veſtrum oculos dextros; ponamque vos opprobrium in univerſo Iſraël.*

Ruffin. hiſt. l. 7. c. 9. Hermannus in Chron. 1. Reg. 11. v. 1. 2.

Prætereà conculcare videtur ſcorpius hominem, ſupra quem ſe collocat, ut eum lædat. Sed & Sapor, equum conſcenſurus, conculcavit reipsâ Valerianum, ut *vile, & abjectum mancipium*; eoque contemptu, & opprobrio haud dubiè graviter animum illius offendit. *Quamdiu vixit*, inquiunt Aurelius Victor, & Eutropius, *incurvato eo Sapor pedem cervicibus ejus imponens, equum aſcendere ſolitus erat.*

Treb Pollio in Valer. Epitom. Aur. Vict.

Quin etiam cruciatus aculeo ſcorpii inflictus, lentus eſt, ita ut aliquot dies duret; & tunc vehementer ſitiant homines icti eo vulnere. At vix eſt ullus ambigendi locus, quin Valerianus, tempore tàm miſerabilis ſervitutis, ac multò magìs duces ejus, ac milites cum ipſo captivi, perſæpe cruciati ſint ſiti ſub tàm barbaro tyranno, & in locis æſtuantibus, quales ſunt regiones Perſarum.

Licinius Valer. Eutrop. l. 9. Oroſ. l. 7. c. 15.

Ex verſ. 5. *Ut cruciarent menſibus quinque.*

Beatus Joannes cruciatum, ſeu miſerrimam captivitatem Valeriani, ejuſque ducum, ac militum comprehendit quinque menſibus, alludens ad hos quinque menſes, Aprilem, Maium, Junium, Julium, & Auguſtum, quibus ſcorpii ſolent magìs homines ferire, ut ſignificaret cruciatum, & ſitim Valeriani, atque concaptivorum ardentiorem fore in illis quinque menſibus calidioribus anni, & in regno Perſarum æſtuanti.

Verùm, cùm attendo Dominum apud Ezechielem certo numero dierum ſignificaſſe certum numerum annorum, nempè trecentis nonaginta diebus trecentos nonaginta annos, & quadraginta diebus annos quadraginta; undè ſubjungit Prophetæ, *diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi*; multò magis crediderim Dominum Apoſtolico Prophetæ quinque menſibus ſignificaſſe quinque annos, quibus duraſſe mihi videtur ex hiſtoricis cruciatus, & miſerabilis captivitas Valeriani.

Ezech. 4. v. 4. 5. 6.

Etenim Trebellius Pollio in Salonino Gallieno aſſerit *Valerianum ſexto imperii ſui anno captum*, hoc eſt, anno Chriſti ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, uti Euſebius in Chronicis, & Baronius in Annalibus referunt.

At conjicio ipſum Valerianum mortuum anno Chriſti ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo; ac idcirco duraſſe captivitatem illius quinque annis.

Treb. Poll. Salonin. Gallienus. Euſeb. Chr. 262. Baron. 262. n. 71.

Quippe ex Euſebio in Chronicis, hoc eodem anno ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo, *Odenatus decurio Palmirenus, collectâ agreſtium manu ita Perſas cecidit, ut ad Cteſiphontem caſtra poneret.*

Euſeb. in Chron. 267.

Quid

Quid verò ad illam urbem egerit, narrat Trebellius Pollio in Gallieno, *Odenatus*, inquit, *ad Cteſiphontem Parthorum multitudinem obſedit; vaſtatiſque circùm omnibus locis, innumeros homines interemit. Sed cùm Satrapæ omnes ex omnibus regionibus illùc defenſionis communis gratiâ convolaſſent, fuerunt longa, & varia prælia; longior tamen Romana victoria: Et cùm nihil aliud ageret, niſi ut Valerianum Odenatus liberaret, inſtabat quotidiè: ac locorum difficultatibus in alieno ſolo laborabat.*

Trebel. Poll. Gallieni duo.

Idem Trebellius in ipſomet Valeriano, ait: *Valeriano apud Perſas conſeneſcente, Odenatus rem Romanam propè in ſtatum priſtinum reddidit. Cepit Regis theſauros: cepit etiam, quas theſauris chariores habent Reges Parthici, concubinas. Quare magis reformidans Romanos duces Sapor, timore Baliſtæ, atque Odenati in regnum ſuum ocyùs ſe recepit: atque hìc interim finis belli fuit Perſici. Hæc ſunt digna cognitu de Valeriano.*

Treb. Poll. Valerianus.

Quæ cum ita ſint, conjicio Saporem ex ſuorum ſtrage ab Odenato edita tantopere exaſperatum, ut in ipſum Valerianum, quem Odenatus nitebatur liberare, crudeliter ſævierit; eumque tunc *excoriari, & ſale condiri juſſerit*, quemadmodùm Conſtantinus Magnus apud Euſebium literarum monimentis tradidit.

Apud Euſeb. Conſt. Magn. or. ad SS. cœtum, c. 24.

Et certè Trebellius Pollio vitam ipſius Valeriani finiit victoriis Odenati, & fugâ Saporis, tanquàm innuens Valerianum enecatum à Sapore paulò poſtquàm Sapor irâ percitus ex turpi fugâ in regnum ſuum rediit.

Præterquàm quòd Trebellius Pollio aſſerit, *Valerianum ſeptuagenarium fuiſſe, cùm ad maximum Imperatoris culmen aſcendit.*

Treb. Poll. Valerianus.

At ex Euſebio in Chronicis, *Valerianus in Rhetiâ ab exercitu Auguſtus appellatus eſt anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo ſeptimo.* Undè ſequitur decem fluxiſſe annos uſque ad annum ducenteſimum ſexageſimum ſeptimum; ac proindè non mirum eſſe quòd Valerianus, etiamſi à Sapore non fuiſſet enecatus, obierit illo anno, quo jam octogeſimum ætatis ſuæ annum attigerat.

Euſeb. Chron. 257.

Nec cuiquam difficultatem pariat quòd Euſebius in Chronicis dicat *Valerianum, & Gallienum regnaſſe annis quindecim*; nam id non debet intelligi de unoquoque illorum, quaſi Valerianus regnaverit quindecim annis, ſicuti & Gallienus; ſed quòd imperium à Valeriano cœptum, & à Gallieno protractum, duraverit annis quindecim.

Euſeb. Chron.

Hinc explicationem mihi ſuppeditat Trebellius Pollio, dùm ait, *de annis Gallieni, & Valeriani ad Imperium pertinentibus, adeò incerta traduntur, ut, cùm quindecim annos eoſdem imperaſſe conſtet, ideſt, Gallienum uſque ad quintum decimum perveniſſe*, &c. En ex illo hiſtorico, quo ſenſu Valerianus, & Gallienus quindecim annis imperarunt; nimirùm quòd Gallienus acceptum à Patre Valeriano imperium perduxerit uſque ad annum decimum quintum.

Treb. Poll. Saloninus, Gallien.

Igitur ex relatis mihi videtur ſatis perſpicuum, Valeriani captivitatem, ſeu *cruciatum duraſſe* quinque annis, quos Sanctus Joannes propter rationes antè dictas deſignavit quinque menſibus.

Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 6. *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam; & deſiderabunt mori, & mors fugiet ab eis.*

Tobias, vir ſanctus, in captivitate poſitus apud Aſſyrios, ac Deo permittente ad probationem virtutis illius, caſu quodam excæcatus, ait, *quale gaudium mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video?* Et dùm ei uxor petulans dixit, *manifeſtè vana facta eſt ſpes tua*; atque aliis hujuſcemodi verbis exprobravit ei, ſanctus vir *ingemuit; & cœpit orare cum lacrymis, dicens: Domine, præcipe in pace recipi ſpiritum meum; expedit enim mihi mori magìs quàm vivere.* Tob. 1. v. 2. C. 2. v. 11. 12. C. 5. v. 12. C. 2. v. 22. 23. C. 3. v. 1. 6.

Quantò magìs putandum eſt Valerianum Imperatorem Ethnicum, diebus captivitatis ſuæ *oculis privatum*, triſtiorem fuiſſe; & pluſquàm ſeptuagenarium optaſſe potiùs mortem, quàm pati extrema opprobria ſibi tanquam vili mancipio à Sapore Rege Perſarum illata?

Mœſtitiam, & angorem Valeriani augere poterat, quòd, teſte Trebellio, *cùm plerique captivitatem illius mærerent, Gallienus ſpecie decoris, quòd pater ejus virtutis ſtudio deceptus videretur, ſuprà modum lætatus eſt*; nec quicquam præſtitit, ut eum à tàm miſerabili, & turpi ſervitute liberaret, tametſi à nonnullis etiam ſcurris propterea ſubſannaretur, ſicuti videre eſt apud eumdem Trebellium. Præterea, tritum erat apud Romanos quaſi ſapientibus, & ingenuis hominibus dignum axioma, *Mortem eſſe præponendam ſervituti.* Quàm libenter igitur Imperator Romanus, non tantùm libertati perilluſtri, ſed etiam dominio glorioſiſſimo aſſuetus, mortem captivitati turpiſſimæ prætuliſſet! Trebel. Pollio in duobus Gallienis.

Idem cum proportione dicendum de Ducibus, ac militibus Romanis cum Valeriano Imperatore ſuo turpiter, ac miſerrimè captivis.

Ita hactenùs, ſicut propoſueram, explicui originem locuſtarum hujuſce loci Apocalypſis; quo præcipuè modo; quibus; quantùm temporis; & quàm graviter nocituræ erant: jam ediſſeram quales illas deſcripſit futuras Apoſtolicus Propheta.

℣. 7. *Et ſimilitudines locuſtarum, ſimiles equis paratis in prælium.*

Dominus Sanctum Job alloquens, eique equum deſcribens, ait, *Numquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas?* Nimirùm equus ferox attollit anteriores pedes; & ſubſilit ut locuſta. Joël autem Nabuchodonoſoris milites, quos locuſtis antè comparavit, exponens, inquit, *quaſi aſpectus equorum, aſpectus eorum; & quaſi equites, ſic current.* Quamobrem milites Saporis Regis Perſarum, locuſtis jam comparati, prædicuntur *ſimiles equis paratis in prælium*, quatenùs agilitate ſuâ, & ferocitate, ac induſtriâ bellicâ ſubſilient; ac ferentur alacriter ad pugnam, quaſi jam exultantes de victoriâ, quam videbunt certiſſimè ſe reportaturos *de Romanis ad anguſta loca deductis*, quemadmodùm priùs retuli ex Trebellio Pollione. Job 39. v. 20. Joël. 1. v. 4. C. 2. v. 4. Treb. Poll. in Valeriano.

Ex ℣. 7. *Et ſuper capita earum tanquàm coronæ ſimiles auro.*

Alludit Propheta Evangelicus ad locuſtas naturales, in quarum capitibus author naturæ Deus effinxit circulum flavum, ac rutilantem; *Hervéus in Apocalypſim.*

revera autem Sapori Regi Perſarum competebat geſtare coronam au-
Trebel. in Valeriano. ream; habebatque in ſuo exercitu auxiliares copias *Regis Regum Belſoli, Baleri Regis Caduſiorum, & Artabaſdis Regis Armeniorum*, quorum epiſtolas Sapori ſcriptas poſt captum Valerianum refert Trebellius.

Ex ℣. 7. *Et facies earum tanquàm facies hominum.*

℣. 8. *Et habebant capillos ſicut capillos mulierum.*

Naturales locuſtæ facie ſuâ præferunt aliquid vultui hominum ſimile; villoſque nonnullos habent prolixos, atque à capite pendentes, more capillorum muliebrium. At Saporis milites, locuſtis comparati, aſſeruntur præferre vultus virorum, & capillos mulierum, quia reipsâ erant viri; ſed muliebriter ornati; atque multas mulieres, quæ militibus generoſis cenſendæ ſunt ſuperfluæ non ſecùs ac capilli, ſecum ducebant. Sic Quintus Curtius agmen Darii Regis Perſarum deſcribens, inquit:
Quint. Curt. l. 3. *In iis, quos cognatos Regis appellant, decem, & quinque millia hominum: hac verò turba muliebriter propemodùm culta, luxu magis, quàm decoris armis, conſpicua erat. Cultus Regis inter omnia luxuriâ notabatur. Zonâ aureâ muliebriter cinctus acinacem ſuſpenderat. Tum Regiæ pellices trecentæ ſexaginta vehebantur; & ipſæ regali cultu, ornatuque. Propinquorum, amicorumque conjuges huic agmini proximæ.* Hæc Curtius; nec dubium eſt, quin Sapor prædeceſſorum ſuorum Regum Perſarum morem ſecutus, aliquo ſimili apparatu, ac luxu muliebri proceſſerit ad bellum: undè Trebellius, victoriam Odenati de Sapore poſt captum Valerianum referens, ait: *Cepit Regis theſauros; cepit etiam, quas theſauris chariores habent Reges Parthici, concubinas.*

Trebell. Poll. Valerianus.

Ex ℣. 8. *Et dentes earum ſicut dentes leonum erant.*

Videntur quidem in locuſtis aliquot dentes anteriores lati, & acuti, ſicuti cernuntur in leonibus: ſed ut tranſeam ad ſenſum allegoricum, ſignificatur illis verbis feritas leonina Saporis, ac militum ejus ad ca-
Treb. Poll. Valerianus. piendum Valerianum. Etenim, ut ait Trebellius Pollio, *nec vigor, nec diſciplina militaris, quin caperetur, quidquam valere potuit.* Sic Dominus per Oſee loquens de Aſſyriis, quos adducturus erat contra decem Tribus Iſraël, & de Babyloniis venturis contra Regnum Juda, inquit:
Oſee 5. v. 14. *Ego quaſi leæna Ephraim; & quaſi catulus leonis Domui Iuda: Ego, ego capiam; & vadam: tollam; & non eſt qui eruat.* Revera etiam Sapor ita cepit Valerianum, ut nemo valuerit illum ex ejus manibus eripere.

Joël. 1. v. 4. 6. 10. Sed & Propheta Joël de militibus Nabuchodonoſoris ſub figurâ locuſtarum loquens, ait: *Gens enim aſcendit ſuper terram meam fortis, & innumerabilis: dentes ejus dentes leonis; & molares ejus ut catuli leonis:*
Euſeb. in Chron. 261. *depopulata eſt Regio. Sapor* quoque, uti refert Euſebius, *tempore Valeriani Syriam, Ciliciam, & Cappadociam depopulatus eſt.*

Verſ. 9. *Et habebant loricas ſicut loricas ferreas.*

Certum eſt pectus locuſtæ obtegi cartilagine durâ, & efformatâ in modum loricæ, quâ contegitur pectus militis: nec quiſquam in dubium revocabit quin plurimi milites Saporis, adverſus Romanos fortiſſimos

hoſtes

Digitized by Google

hoſtes pugnaturi, fuerint circa pectora ſua loricis præduris, ac ferreis muniti.

Ex verſ. 9. *Et vox alarum ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.*

Dùm locuſtæ plurimæ catervatim, atque continuatis vicibus ſubſiliunt, & feruntur in aliquem locum, excitant impetu ſuo, ac volatu murmur aliquod pro ſuo modulo non abſimile murmuri illi, quod edit iterato ſæpiùs narium ſuarum flatu equus, fervore quodam ſubſultans; & tùm ſuâ, tùm ſeſſoris ſui ferocitate agitatus ad prælium. Hinc Do-
minus Sancto Job ait: *Numquid præbebis equo fortitudinem? Numquid* Job 39.
ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? gloria narium ejus terror: in occurſum per- v. 19. 20.
git armatis: fervens, & fremens ſorbet terram; ubi audierit buccinam, 21. 24. 25.
dicit vah.

Tales futuri erant milites Saporis Regis Perſarum, currentes adversùs Valerianum, ejuſque exercitum; atque, ut Joëlis verba de Nabuchodo-
noſoris militibus hûc etiam transferam, *ſicut ſonitus quadrigarum ſuper* Joël. 2.
capita montium exilient; velut populus fortis præparatus ad prælium. v. 5.

Verſ. 10. *Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum; & poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque.*

Iſta jam explicui ad verſum tertium, quartum, & quintum. Quapropter ſupereſt dumtaxat ut ea, quæ Beatus Joannes de metaphoricarum locuſtarum duce prædixit, explanem.

Ex verſ. 10. *Et habebant ſuper ſe.*

Verſ. 11. *Regem.*

Mirum ſanè hoc. *Regem locuſta* naturalis *non habet*, ut ait Salomon: Prov. 30.
ſed locuſtæ illæ metaphoricæ, prædictæ à Sancto Joanne, *habent ſu-* v. 27.
per ſe Regem; quippè ſunt turmæ Saporis Regis Perſarum, ab ipſomet Sapore ductæ ad bellum contra Valerianum, ejuſque exercitum.

Ex v. 11. *Angelum.*

Ille verò Rex Perſarum dicitur *Angelus*, ſeu miſſus, quia mittitur à Deo juſto judice adversùs illum Imperatorem Romanum Chriſtiano-
rum perſecutorem. Sic apud Jeremiam, *hæc dicit Dominus, ecce ego* Jer. 51.
ſuper Babylonem, & ſuper habitatores ejus, qui cor ſuum levaverunt v. 1. 2.
contra me, ſcilicet contra populum meum Juda, *quaſi ventum peſtilentem; & mittam in Babylonem ventilatores*, nimirùm Perſas; *& ventilabunt eam; & demolientur eam.*

Quin etiam Angeli, teſte Pſalmiſtâ, *potentes ſunt, & faciunt verbum* Pſ. 102.
Domini. At, ut verba Joëlis ad propoſitum traducam, Saporis Regis v. 20. Joël. 2.
Perſarum *multa erant caſtra, fortia, & facientia verbum Domini*, ple- v. 11.
ctere volentis Valerianum.

Ex verſ. 11. *Abyſſi.*

Nihilominùs ille Rex Perſarum dicitur *Angelus abyſſi*, vel inferni, quia Infidelis eſt, & mergendus in Infernum cum dæmonibus, niſi fi-

Digitized by Google

dem Chriſtianam recipiat; vel *putei abyſſi*, de quo locutus ſum ad ſecundum verſum; quia ſicut Angeli Divinâ Providentiâ præſunt variis Provinciis, ac Regnis; ita Sapor Rex Perſarum præerat, ac dominabatur Regioni, in quâ erat lacus, ſeu puteus profundiſſimus bituminis prope Babylonem, ex quâ ſuum exercitum *collegit*.

Ex verſ. 11. *Cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, Latinè habens nomen exterminans.*

Cæterùm illius abyſſi Angelus nomen appellativum perdentis, ſeu exterminantis ſortitur in fine hujuſce propheticæ deſcriptionis, quia futurum erat, ut Sapor Perſis præpoſitus deleret exercitum Valeriani; ejuſque Regiones multas depopularetur; ac ipſum tandem poſt plures annos miſerrimæ captivitatis horrendum in modum interimeret: ſiquidem apud Euſebium Conſtantinus Magnus oratione ad Sanctorum

Apud Euſeb Conſt. magn. or. S. Cœtui. c. 24.

Cœtum ſcripſit: *Quin, tu Valeriane, eamdem crudelitatem, ac Decius, in Dei famulos oſtendens, juſtum, ſanctumque Dei judicium, quaſi ante oculos omnium ſtatuiſti, dùm captivus prehenſus eras; & vinctus ducebaris, purpurâ, & reliquo apparatu regio indutus; tandem à Sapore Rege Perſarum juſſus excoriari, ſaleque conditus ſempiternum tui infortunii trophæum ante omnium oculos ſtatuiſti.*

Quàm juſtè finem illum vitæ ſuæ Valerianus poſt miſerabilem ſervitutem conſecutus eſt!

Martyr. Rom. 29. Aprilis.

Plurimos Chriſtianos, quamvìs innocuos, exilio moleſtiſſimo afflixerat: ipſe quoque iniquiſſimus juſto Dei judicio exilium peracerbum paſſus eſt.

Baron. an. 259.

Complures nobiles, tùm viros, tùm fœminas, in Chriſtum credentes, bonis, & honoribus ſpoliarat: ille etiam gloriâ, & imperio privatus eſt; atque ut vile mancipium multis annis ſummo cum dedecore habitus fuit.

Lumen fidei conatus fuerat in omnibus Chriſtianis extinguere: & ipſe *luminibus orbatus eſt* à barbaro.

Ruffin. l. 7. c. 9. ad Heb. 10. v. 29.

Chriſtum filium Dei, ac Regem Regum, quantùm in ſe fuerat, *conculcarat*, inſano habens deſpectui Religionem Chriſtianam, ejuſque ſanctiſſimos cultores impiis judicibus, ac ſæviſſimis tortoribus ſubjiciens. Ipſe etiam, licet Imperator, pedibus Regis ſuperbi ſæpiſſimè conculcatus eſt.

Sophon. 1. v. 8. Levit. 1. v. 6.

Denique, multos Chriſtianos juſſerat ſæviſſimè lacerari, diſcerpi, ac furori ſuo mactari. Verùm & ille *hoſtia* Divinæ Juſtitiæ fuit; ac proptereà *excoriatus, & ſalitus*: ait enim Dominus, *detractâ pelle hoſtiæ, artus in fruſta concident; & quidquid obtuleris ſacrificii, ſale condies.*

C. 2. v. 13. Sap. 17. v. 1. Pſ. 2. v. 10. 11. 12. 13.

Magna ſunt judicia tua, Domine; nec tamen niſi initia dolorum, quos Imperator, primùm erga ſervos tuos humanus, ac dein ferox, & impius perſecutor, patitur in inferno! *Et nunc, Reges, intelligite: erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore; & exultate ei cum tremore. Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus;*

&

Digitized by Google

& pereatis de viâ juſtâ. Cùm exarſerit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.]

EXPLANATIO XXXVII.

Sexta plaga poſt ſonitum ſextæ tubæ Angelicæ, à duodecimo ad decimum nonum verſum Capitis octavi Apocalypſis, de peſtilentiâ ſub Marco Antonino, & Lucio Vero.

Vers. 12. Væ unum abiit; & ecce veniunt adhuc duo Væ poſt hæc.

℣. 13. Et ſextus Angelus tubâ cecinit; & audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei.

℣. 14. Dicentem ſexto Angelo, qui habebat tubam: Solve quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.

℣. 15. Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & menſem, & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.

℣. 16. Et numerus equeſtris exercitus vicies millies dena millia; & audivi numerum eorum.

℣. 17. Et ita vidi equos in viſione; & qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas; & capita equorum erant tanquam capita leonum; & de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur.

℣. 18. Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſorum.

℣. 19. Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum: nam caudæ eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita, & in his nocent.

Vers. 12. *Væ unum abiit ; & ecce veniunt adhuc duo Væ poſt hæc.*

EX tribus calamitatibus, ptopter quas Angelus, capite præ-
(Apoc. 8. v. 13.) cedenti ſub ſpecie aquilæ apparens, prædixit futuram homi-
nibus ingentem, luctuoſamque cladem, una jam poſt clan-
gorem quintæ tubæ Angelicæ, juſto Dei judicio, contigit:
(ad Tit. 1. v. 2.) aliæ duæ deinceps infligentur: *Non enim mentitur Deus*; nec Angelus in
veritate Dei loquens.

ṽ. 13. *Et ſextus Angelus tubâ cecinit; & audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei.*

(Apoc. 8. v. 3. 4.) Meminiſſe oportet ex capite præcedenti, ſuper altare aureum offerri ab Angelo *thymiamata, quæ ſunt orationes Sanctorum omnium*, excidium impietatis Ethnicæ poſtulantium: ac propterea *ex quatuor cornibus*, ſeu angulis ſuperioribus *altaris* illius emittitur vox, quæ ſignificat Dominum precibus illis, quæ ſibi ex quatuor terræ, & Cœli partibus à Sanctis fuſæ ſunt, ex ardenti zelo gloriæ ipſius, & ab Angelo præſentatæ, reſpondere, ac ſatisfacere.

ṽ. 14. *Dicentem ſexto Angelo, qui habebat tubam, ſolve quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate.*

ṽ. 15. *Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & diem, & menſem, & annum.*

Eam ob cauſam Dominus ei, qui tubâ cecinerat, Angelo præcepit, ut illius nomine, & authoritate educeret ex regionibus Euphrati adjacentibus (inde enim mox futura mali labes) quatuor inſignes Angelos, velut præcipuos duces, paratiſſimos ad exequendum omni tempore imperium ipſius; quique, quamvis impenſiſſimè vellent ulciſci injurias ab hominibus Divinæ ejus Majeſtati illatas, tamen ab ipſo cohibebantur uſque ad tempus, quod præfinierat.

Ex ṽ. 15. *Ut occiderent tertiam partem hominum.*

Tot homines arbitror occiſos peſtilentiâ: Etenim ea eſt ex plagis inſignioribus, à Deo ſolitis infligi, una; & verſibus ſubſequentibus, quos explicaturus ſum, ita deſcribuntur ejus contagium, ſigna diagnoſtica, effectus, figura, malignitas, ut ad perfectam, propheticamve peſtis deſcriptionem nihil à quovis luculentiùs aut requiri, aut dici queat.

Illa autem peſtis contigiſſe mihi videtur tempore Lucii Veri Impera-
(Iul. Capitol. in Lucio Vero.) toris Romani. *Antiochiam*, inquit Julius Capitolinus, *poſteaquàm Lucius Verus venit, ipſe quidem ſe luxuria dedit: duces autem confecerunt Parthicum bellum per quadriennium, ita ut Babylonem, & Mediam pervenirent; & Armeniam vendicarent: partumque eſt ipſi nomen Armenici, Parthici, Medici.* Ac paulò poſt: *Ad Euphratem impulſu Comitum ſuorum ſecundò profectus eſt. Confecto bello, regna Regibus, provincias verò Comitibus ſuis regendas dedit. Romam indè ad triumphum rediit: fuit ejus fati, ut in eas provincias,*

per

Digitized by Google

per quas rediit, Romam uſque luem ſecum deferre videretur. Et nata fertur peſtilentia in Babyloniâ, ubi de templo Apollinis ex arculâ aureâ, quam miles fortè inciderat, ſpiritus peſtilens evaſit; atque indè Parthos, orbemque compleſſe. Hæc Capitolinus.

Joſephus autem Quercetanus, Conſiliarius, ac Medicus Regis Chriſtianiſſimi, libro, qui dicitur *Peſtis Alexicacus*, capite ſecundo circa medium, de eâdem peſte, quæ ex illâ arculâ prodiit, loquens, ſubjungit: *Hæc quippe reſerata fœtorem tam peſtilentem in auras diffudit, ut indè non modò Seleucia, verùm etiam Regiones circumjacentes, tandemque ipſa Græcia, ac Italia univerſa inficerentur: undè tanta hominum ſtrages ſubſecuta eſt, ut tertia pars univerſi tùm viventis generis humani è vivis ſublata memoretur; atque hujus quidem hiſtoriæ mentionem faciunt Cardanus, Pertus, aliique plures.* Iſta Quercetanus. Joſeph. Quercetanus peſtis alexic. c. 2.

Quapropter ex citatis Quercetani, & Capitolini verbis facile eſt perſpicuam propoſiti loci Apocalypſis explicationem colligere, quandoquidem peſtis illa originem duxerit ex Babyloniâ, quæ eſt ſecùs Euphratem; & tertiam partem generis humani interemerit. Quod ut fieret juſſu Domini juſti judicis, & miniſterio Cœleſtium Spirituum longè, latèque in quatuor partes terræ diſpergentium auram lethalem, dicuntur *qui alligati erant in flumine magno Euphrate, quatuor Angeli ſoluti, ut occiderent tertiam partem hominem.*

Neque verò quiſquam dubitaverit de illâ hominum tertiâ parte tunc temporis occiſâ morbo illo peſtifero, quem retuli, cùm id expreſsè dicatur à Quercetano, aliiſque, quos citat; & conſtet aliis temporibus tertiam partem hominum variis in Regnis, ac provinciis peſte interemptam.

Sic Sennertus doctiſſimus, ac celeberrimus Medicus, libro de peſte, capite primo, inquit: *In annalibus Franciæ annotatum eſt anno 1374. peſte per univerſam Galliam, & Germaniam graſſante, penè tertiam humani generis partem extinctam.* Sennertus de peſte, c. 1.

Idem author ejuſdem libri capite ſecundo, ut probet *peſtilentem conſtitutionem aliquando toti orbi ferè communem eſſe*, refert eas, quæ fuerunt ſub Marco Antonino, ideòque ſub Lucio Vero, qui ſimul imperarunt, *quibus*, inquit, *maxima humani generis pars extincta fuit; & qualem fuiſſe anno 1450. commemorant, quæ in Aſiâ excitata, per Illyriam, Dalmatiamque venit in Italiam; per Germaniam verò in Hiſpaniam, & Galliam; pluribuſque annis graſſata eſt, ut tertiam hominum partem eâ deletam eſſe ferant.* Sennert. de peſte, c. 2.

Verſ. 16. *Et numerus equeſtris exercitus vicies millies dena millia; & audivi numerum eorum.*

Tantus Angelorum ſub equeſtris exercitus ſpecie apparentium numerus non poterat oculis Joannis diſtinctè percipi; ſed ad illius aures perlatus fuit voce alicujus ex ipſiſmet cœleſtibus ſpiritibus, vel fortaſſis à ſexto Angelo ſuprà memorato, eſſe ducentorum millionum. Suſpicor autem

tem illo tanto Angelorum numero ſignificari ſaltem quot homines occidendi ſint ab ipſis peſtilentiâ. Quippe tot illi Angeli cum ſignis peſtis, quam inflicturi ſunt, apparent, quemadmodùm verſibus explanandis patebit.

Verſ. 17. *Et ita vidi equos in viſione.*

Tritum eſt morbos præcipiti curſu in homines irruere, lentè verò abſcedere. Multò enim faciliùs corrumpuntur mortalium corpora, quàm curentur, & in priſtinum ſtatum bonæ conſtitutionis redeant. Uno momento nonnunquam corpus læditur, ac malè afficitur: ſed perſæpè vix per multos dies, ac plures menſes, & annos convaleſcit: undè Gallicum hocce adagium, *les maladies viennent en poſte; & elles s'en vont à pas de tortuë:* hoc eſt, morbi celerrimo equorum curſu accedunt; diſcedunt verò lento teſtudinum greſſu; ſeu juxta hunc verſiculum inter doctos tritum, *accedunt equites morbi, peditesque recedunt.* Quare velocitas, quâ morbi, qui putabantur plurimùm remoti, accurrunt, & inſiliunt in homines, non incongruè comparatur celeritati illi, quâ equus ferox, ſtimulis concitatus, & laxis habenis, rapido curſu in locum valdè diſſitum fertur.

At ſi quis morbus equo ferociſſimo, ac velociſſimo conferendus eſt, certè peſtilens, qui pauco tempore vicos, civitates, provincias, regna, imperia, orbem univerſum percurrit, inficit, conficit. Quocirca Angeli toto fermè terrarum orbe peſtem inflicturi, apparent vecti equis, ut indicent ſe morbum illum lethiferum in quæcumque loca remotiſſima citiſſimè eſſe delaturos.

Ex ✠.17. *Et qui ſedebant ſuper eos, habebant loricas igneas, & hyacinthinas, & ſulphureas.*

Porrò ipſi Angeli, inſidentes illis equis perniciſſimis, præ ſe ferebant ſigna peſtis, quam inuſturi erant, diagnoſtica; nimirùm, juxta vocem Græcanicam θώρακας, thoraces igne inſoliro, ac ineſtino ſuccenſos; variiſque reſperſos maculis, quarum aliæ erant rubræ, ut ignis; aliæ violaceæ, ut hyacinthus; aliæ demùm virides, ſubfuſcæ, tanquam ſulphur: hæ enim notæ, ac maculæ, conſentientibus paſſim Medicis, ſigna ſunt, tùm in vivis, tùm in defunctis, certiſſima præſentis veneni peſtilentis.

Hinc Sennertus de ſignis peſtis diſſerens, ait: *Intùs maximus ſentitur æſtus, ita ut neque veſtimenta, & lintea ſibi injici patiantur: undè de peſte Atticâ refert Thucydides, jucundiſſimum fuiſſe pluribus in gelidam aquam ſe conjicere; multoſque, quibus cuſtodes defuiſſent, in puteos ſe præcipitaſſe.* Hæc Sennertus; & illicò ſubjungit: *Ex iſtâ humorum corruptione plerumque exanthemata rubra, pallida, nigra, aliorumque colorum bubones, & carbunculi apparent.*

Sennertus l. de peſte c.4.

Sed & Guyonius Dolenſis Medicus, qui Gallicè ſcripſit, loquens de Carbunculo peſtilenti, ejuſque curatione, ait circumjacentes venas præferre varios arcus cœleſtis colores. Quis autem neſciat colores arcus cœleſtis,

Guyonius Dolenſis c.1. l.1. §.16.

Cœleſtis, alios igneos, ſeu rubeos; alios hyacinthinos, ſeu violaceos; alios flavos, ac ſubvirides, ad ſulphuris colorem accedentes?

Ex ℣. 17. *Et capita equorum erant tanquam capita leonum.*

Præter illas maculas variegatas, in thorace potiſſimùm reſperſas, quæ ſunt ſigna peſtis diagnoſtica, Claudius Fabri, Medicus Divionenſis, qui & ipſe Gallicè ſcripſit de curatione peſtis, refert, hoc morbo laborantibus ineſſe *faciem rubeam, horrendam, furorem ſævum, ſitim vehementem, oculos ardentes, ſanguinolentos, ac deformes.* Fabri c. 5. de la cure de la peſte.

At qui illis notis afficitur, mihi videtur caput habere non abſimile, quoad temperamentum, leoni: undè & ipſe Medicorum princeps Hippocrates de morbis vulgaribus enarrans plurima, inquit, *genus erat tabidorum, ſubrubicundum, caſium.* Galenus verò ejus commentator, cæſios oculos explicat ſimilitudine ex leonibus ductâ: *Ubi videris*, ait, *multos leones, ita memoriæ color oculorum mandandus eſt, ut valeas, cùm in hominibus conſpiciatur, facilè agnoſcere; cùmque videantur illi tales eſſe, temperamentum quoque, quod ad oculos attinet, calidum, & ſiccum dices.* Iſta Galenus. Galen. t. 5. in l. 3. Hippoc. de Morb. vulgar. Comment. 3. n. 70.

Idem alio loco inquit: *Peſtis, tanquam & ipſa exiſtat quædam bellua, haud paucos interimit; verùm Civitates quoque totas depaſcens, malè conficit.* Galen. t. 5. de Theriacâ ad Piſonem, n. 28.

Indè Quercetanus, *Latinis dicitur peſtis à paſcendo, quòd veluti efferatus rabie draco, aut fera venenata, civitates, populoſque depaſcatur.* Ac rursùs idem: *Leonina*, inquit, *contagii hujus rabies vulgari hominum carne ſatiari neſcit: loco bellariorum fortiſſimos, ac literaliſſimos quoſque, quin & eos, qui dum cunctis proderant, & nemini nocebant, vitam degebant innocentiſſimam, abſumpſit, ut latè patentem ſuam in omnes paſſim tot cladibus manifeſtaret dominationem.* Quercet. peſtis alexic. c. 4.

Quæ cùm ita ſint à celeberrimis Medicis prolata, non immeritò dixerim *capita equorum*, qui apparuerunt Joanni, viſa fuiſſe tanquàm *capita leonum*, ut ſignificarent, vultus illorum hominum, qui peſte inficerentur, futuros plerumque ſubrubicundos, calidos, ſiccos, ardentes, truces, horrendos, lethiferos, denique leoninos; ac maximè, quòd peſtis graviſſima, quam Cœleſtes Spiritus, iræ Divinæ Miniſtri, inflicturi erant, more leonum ſæviſſimorum ferociens, innumeram hominum multitudinem eſſet voratura.

Ex ℣. 17. *Et de ore eorum procedit ignis, & fumus, & ſulphur.*

Quercetanus hos Ovidii, de æſtu, quo laborant peſtiferi, verſus refert.

Viſcera torrentur primò; flammiſque fatiſcunt.
Indicium rubor eſt, & ductus anhelitus igni.
Aſpera lingua tumet; tepidiſque arentia ventis
Ora patent; auraque graves captantur hiatu.

Quercet. peſtis alexic. c. 4.

Sed & ipſe Quercetanus propriis verbis, *viſcera*, inquit, *internaque membra, tàm nobilia, quàm ignobilia, ritè totidem ardentibus fornacibus* Quercet. c. 3.

Hervéus in Apocalypſim. Ff compa

comparantur, ob intenſiſſimas, quibus torrentur, inflammationes.

Idem aliquantò poſt, *cauſa tantæ ſitis*, quam patiuntur peſtiferi, *nonniſi perenni bilioſorum, ac venenatorum humorum in ventriculi, ac præcordiorum regionem affluxui, ac ſiccarum exhalationum ex aduſtis quodammodò inteſtinis ad regionem ſuperam elevationi aſcribi debet: Quæ quidem elevatio, dùm oris concavum ſubit, ejus ſuperficiem mirâ ratione deſiccat, prout inſpiratione, quæ ore fit hiulco, & fumum reddit clibani fumo ſimillimum, manifeſtè comprobatur.*

Idem quoque teſtatur in peſtifero *expirationem plurimùm fœtentem*; ac tandem inquit, *viſcera, cæteraque corporis partes interiores, potiùs offi inam Vulcani, quàm naturalis œconomiæ culinam moliuntur, ſpiritibus ipſorum à ſulphure quodam nitroſo, fervente, & febrili, ſicque violentiſſimo, ac proprium domicilium conſumente, magis, magiſque torrefactis.* Hæc Quercetanus.

Ita ex illius docti, & experti Medici teſtimonio patet in peſtifero *anhelitus igneus*; *fumus ex inſpiratione, quæ fit ore hiulco, ſimillimus clibani fumo*; *& ſulphur quoddam nitroſum, fervens, & febrile, quod expirationem plurimùm fœtentem facit.* Quid, quæſo, dici poteſt, vel veriùs, vel enucleatiùs ad explicandum, quòd *de ore equorum* Cœleſtium, qui peſtem, quam inflicturi erant, congruis ſignis in ſeſe exhibebant, *procedebat ignis, & fumus, & ſulphur?*

Verſ. 18. *Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne, & de fumo, & ſulphure, quæ procedebant de ore ipſorum.*

Tanta verò, & tàm maligna vis eſt illius, quæ ex ore procedit, inſpirationis, & expirationis, igneæ, fumantis, ac ſulphureæ, ſeu ardentis, corruptæ, & graveolentis, ut præcipuè ex tribus illis affectibus pravis homines tabe infecti intereant; venenumque lethiferum in alios facillimè, & citiſſimè diffundant.

Quercet. peſtis Alexic. c. 3. In eam ſententiam locutus eſt Quercetanus, cùm dixit: *In primis anhelitus graveolentiam, ac fœtorem, necnon oris prædictam excoriationem, ſigna hujuſce morbi peſtilentis lethalia paſſim ab omnibus agnoſci:* Idque Hippocratis aphoriſmo, Lucretii nonnullis verſibus, authoritate Avicennæ, & Fracaſtorii teſtimonio confirmat. Luctuoſum etiam illius mali exemplum ex peſte, quæ Aquis in Provinciâ ſæviit, profert. *Ejus ſiquidem*, inquit, *tanta fuit malignitas, ac ſubita pernicies, ut vel infectorum anhelitus, quamcumque ſani corporis partem contingeret, eam continuò plurimis ardentiſſimis puſtulis coinquinaret; pluribus etiam menſæ accumbentibus, ciboſque interdùm deglutiendo, animam vomentibus.*

Quapropter Sanctus Joannes prædixit ex relatâ triplici morbi peſtilentis malignitate, quæ ex ore inſpirantis, & expirantis procedit, occiſam eſſe tertiam partem hominum eâ peſte, quæ tempore Marci Antonini, & Lucii Veri, uti antè retuli, grаſſata eſt.

Verſ. 19. *Poteſtas enim equorum in ore eorum eſt.*

Cùm equi illi cœleſtes peſtem portendant, eamque ſint inflicturi, vim

vim ſuam dicuntur exerere ore ſuo, quia peſtis afflatu aëris maligni diffunditur; ac ii, qui tabe infecti ſunt, lethalem anhelitum expirant.

Ex verſ. 19. *Et in caudis eorum.*

Vis etiam eorumdem equorum noxia aſſeritur ineſſe illorum caudis, quatenùs bubones, ac carbunculi peſtiferi inſunt ut plurimùm emunctoriis, videlicet axillis, & inguini, partibus piloſis corporis humani. Nonnunquàm etiam ſiti ſunt à tergo aurium, quæ capillis obteguntur; & aliquandò mento barbato inhærent.

Ex ℣. 19. *Nam cauda eorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita.*

Porrò bubones illi peſtilentes primâ ſui parte habent capita, ſeu tumores craſſiores; alterâ verò ſui parte extremâ, ſive caudâ, minutiores ſunt; plerumque oblongi, mobiles, acuminati, virulenti; ac iccircò ſerpentibus ſimiles.

Ex verſ. 19. *Et in his nocent.*

Sic autem pravitate illâ ſuæ utriuſque partis, primæ, & extremæ, capitis, & caudæ nocent, ut perſæpè mortem inferant.

Sic Hollerius Medicus Pariſienſis: *Carbunculus*, inquit, *à melancholico ſanguine eſt, velut clavus quidam parvus, qui malignior factus puſtulas quaſi ab igne urendas, eſcharram, ardorem, dolorem intolerabilem facit, rubens, viridis, niger. Parvi, oblongi deteriores.* **Hollerius l. de peſte, ſub finem.**

Guyonius autem Dolenſis de bubone, ſeu peſte ſcripſit Gallicè ea, quæ Latinitate dono: *Initio tabe affecti patiuntur doloris quemdam ſtimulum; iiſque ineſt quaſi nucis avellanæ tumor, qui ſenſim excreſcit ad magnitudinem ovi, vel pomi. Principio figura illius longiuſcula, & mobilis; poſteà verò formam, aut rotundam ſuſcipit, aut acuminatam.* **Guyon. de la peſte, c. 15.**

Hæc dicta ſint de carbunculis, & bubonibus varietate colorum ſuorum, formâ ſuâ oblongâ, mobilitate, cuſpide ſimilitudinem aliquam ſerpentum habentibus.

Animadvertendum etiam eſt illis, non ſecùs ac ſerpentibus, virus inſitum. Quippe ex Quercetano, *cùm peſtis ex veneno quodam, ex variâ variorum humorum corruptione, & putrilagine progenito oriatur, eadem planè agnoſcit ſymptomata his, quæ profert venenum animantium venenatorum, exempli gratiâ, ſerpentum, & canum rabidorum.* Idem paulò pòſt, *experientiâ quotidianâ edocemur, dypſadis ſerpentis morſum peſti prorsùs ſimilia producere ſymptomata. Id quod Lucanum Poëtam minimè latuit libro 9. dùm hiſtoriam cujuſdam juvenis, Auli nomine, à dypſade ſerpente vulnerati, haud minùs doctè, quàm eleganter enarrat; & præcipuorum, quæ talem ſerpentis ictum ſubſequi ſolent, ſymptomatum reminiſcitur.* **Quercet. peſtis, Alexic. c. 3.**

Hanc peſtis cum ſerpente comparationem concludam ſomnio memorabili, ac vero, quod refert idem Quercetanus de Conrado Geſnero Medico Tygurino. *Hic ſiquidem*, inquit citatus author, *poſtquàm nocte præcedente ſe ſerpentis ictu vulneratum ſomniaſſet, hujuſque ſomnii veriſſimus interpres ipſe extitiſſet, dicens ſe anthrace peſtilentiali correptum iri; paucis poſt diebus anthrace in ſiniſtrâ mamillâ, quinto ante ejus obi-* **Quercet. peſtis, Alexic. c. 4.**

Digitized by Google

tum die, apparente, ex hâc miſeriarum valle ereptus eſt.

Verſ. 20. *Et cæteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis, neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, ut non adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea, & argentea, & ærea, & lapidea, & lignea, quæ neque videre poſſunt, neque audire, neque ambulare.*

Explicatam hactenùs peſtem, quâ tertia pars hominum occiſa eſt ſub Marco Antonino, & Lucio Vero, Dominus inflixerat, ut Ethnici falſorum Deorum ſuperſtitionem impiam execrarentur; & unum verum Deum piè, ac ſanctè adorarent. Attamen magna pars gentilium percuſſa Cœleſti flagello, non doluit priſtinum errorem, & veterna flagitia; ſed attrita, & obdurata præ malignitate ſuâ miſerrimè interiit, æternas ſuorum ſcelerum pœnas in inferis datura.

Plurimi quoque alii Infideles, quos tùm divina benignitas ſervavit incolumes, ut reſipiſcerent, etſi Deum, qui ipſos ſingulari illo beneficio affecerat, debuiſſent colere; ac ſanctis moribus demereri, non reſipuerunt ab impietate ſuâ, aliiſque ſceleribus, quibus erant addicti.

In eâ ſanè dementiâ, atque nequitiâ perſtiterunt, ut effigies rerum creatarum, tùm inanimatarum, tùm animantium, nec non ſtatuas hominum etiam flagitioſiſſimorum, atque ipſos Dæmones adorarent tanquam Deos, licet ſit unus Deus, creator omnium, ſummè perfectus, vitæ dator, & author omnis boni.

Verſ. 21. *Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis ſuis, neque à veneficiis ſuis, neque à fornicatione ſuâ, neque à furtis ſuis.*

Non attendentes, quoniam Deus in eos, qui talia perpetrant crimina, juſtiſſimus eſt vindex.

EXPLANATIO XXXVIII.

Capitis decimi Apocalypſis, de Angelo jurante quòd non erit ampliùs tempus cultus dæmonum; Imperii Ethnici; & perſecutionis adversùs Chriſtianos; ſed Regnum Dei, & Chriſti, quod, accepto libro, & devorato, Ioannes jubetur prædicere.

Vers. 1. Et vidi alium Angelum fortem deſcendentem de Cœlo,

Cœlo, amictum nube: & iris in capite ejus, & facies ejus erat ut ſol, & pedes ejus tanquam columna ignis.

℣. 2. Et habebat in manu ſuâ libellum apertum: & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.

℣. 3. Et clamavit voce magnâ, quemadmodum cùm leo rugit. Et cùm clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.

℣. 4. Et cùm locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus eram; & audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Signa quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & noli ea ſcribere.

℣. 5. Et Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mare, & ſuper terram, levavit manum ſuam ad cœlum:

℣. 6. Et juravit per viventem in ſæcula ſæculorum, qui creavit cœlum, & ea, quæ in eo ſunt; & terram, & ea, quæ in eâ ſunt; & mare, & ea, quæ in eo ſunt: quia tempus non erit ampliùs.

℣. 7. Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut evangeliſavit per ſervos ſuos Prophetas.

℣. 8. Et audivi vocem de cœlo iterum loquentem mecum, & dicentem: Vade, & accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſuper mare, & ſuper terram.

℣. 9. Et abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum. Et dixit mihi: Accipe librum, & devora illum: & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel.

℣. 10. Et accepi librum de manu Angeli, & devoravi illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cùm devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.

℣. 11. Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

Verſ. 1. *Et vidi alium Angelum fortem, deſcendentem de Cælo, amictum nube, & iris in capite ejus, & facies ejus erat ut ſol, & pedes ejus tanquàm columnæ ignis.*

ANGELVS ille *fortis*, & potens apparet, tanquàm præco eximius Domini fortis, & potentis, præliaturi pro piis, & ſanctis adversùs impios, & profanos.

Deſcendit de Cælo, nunciaturus terræ, & maris incolis decreta *Dei Cæli, & terræ.*

Iride pacis ſymbolo coronatur in ſignum pacis futuræ Chriſtianis.

Refulget *facies ejus ut ſol*, quippe qui ſignificet Chriſtum ſolem juſtitiæ tenebras Ethnicæ ſuperſtitionis diſſipaturum.

Ignitis autem pedibus conculcabit impios, & aduret.

Præterquàm quòd Angelus ille veritate Dei, quem contemplatur, lucet; & zelo ipſius, quem ſummè diligit, ardet.

Verſ. 2. *Et habebat in manu ſua libellum apertum.*

Illum ſcilicet, cujus ſeptem ſignacula jam reſignata erant.

Ex verſ. 2. *Et poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram.*

Pſ. 23. v. 1. Pſ. 145. v. 5. Gen. 1. v. 9. 10. Cùm *Domini ſit terra, mare, & omnia, quæ in eis ſunt*; Angelus ille authoritate Domini locuturus *poſuit pedem*, alium *ſuper mare*, alium *ſuper terram*: præco enim edicta Regis ſui debet in locis ditioni Majeſtatis illius ſubditis, & ad eos, quos illa ſpectant, promulgare.

Quia verò ex Creatione mundi conſtat juſſu Dei primùm *congregatas* fuiſſe *aquas in locum unum*, qui dictus eſt *mare*, antequam *arida*, ſeu *terra* appareret, primum quoque, nempe *dextrum pedem* Angelus Dei *poſuit ſuper mare*; ſecundum autem, videlicet *ſiniſtrum*, *ſuper terram.*

Adde quòd ſicuti pes dexter præfertur ſiniſtro, Angelus ille præponebat terris mare, quia, cùm mare minùs habitetur ab hominibus quàm terra, minùs etiam ſuorum incolarum peccatis Deum exacerbavit.

Verſ. 3. *Et clamavit voce magnâ, quemadmodùm cum leo rugit*,

Amos 3. v. 8. terrorem incutiens. *Leo rugiet; quis non timebit?* inquit Amos.

Ex verſ. 3. *Et cùm clamaſſet, locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.*

Auxere terrorem ſeptem illa tonitrua ab Angelis edita: quippe ait

Pſ. 103. v. 7. Pſaltes, *à voce tonitrui tui formidabunt.*

Verſ. 4. *Et cùm locuta fuiſſent ſeptem tonitrua voces ſuas, ego ſcripturus eram.*

Hinc ſequitur voces illas fuiſſe articulatas; ideòque Angelos illas protuliſſe.

Ex

Digitized by Google

Ex ℣. 4. *Et audivi vocem de Cœlo dicentem mihi, ſigna quæ locuta ſunt tonitrua; & noli ea ſcribere.*

Venerandum nobis eſt in ſilentio mandatum illud cœleſte.

℣. 5. *Et Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mare, & ſuper terram, levavit manum ſuam ad Cœlum,*

In quo erat is, per quem juraturus erat.

℣. 6. *Et juravit per viventem in ſæcula ſæculorum.*

Nimirum Chriſtum, qui ſuſcitatus à mortuis, & aſſumptus in Cœlum, vitam immortalem degit, uti pluribus locis Apocalypſis explicatum eſt.

Ex ℣. 6. *Qui creavit Cœlum, & ea, quæ in eo ſunt; & terram, & ea, quæ in ea ſunt; & mare, & ea, quæ in eo ſunt.*

Nam *per Verbum* æternum, quod in tempore carnem, & animam rationalem in unitatem perſonæ ſuæ aſſumpſit, *omnia facta ſunt.* Joan. 1. v. 3.

Ex verſ. 6. *Quia tempus non erit amplius.*

Multo tempore patiens fuit Dominus in perferendâ Ethnicorum impietate: ſed tandem eam *non amplius* feret; quin potiùs illam toto orbe terrarum evertet.

Multo item tempore pertulit Deus, ut Romani, etſi Principi tenebrarum addicti, & dæmonum cultores, cæteris gentibus dominentur. At nefandum illud dominium *non amplius* tolerabit omnium Dominus; ſed amovebit; efficietque ut Imperatores Romani fiant Chriſtiani; ac in eis, & per eos Chriſtus regnet; & imperet nationibus.

Nonnè plurimo quoque tempore Dominus perpeſſus eſt, ut in Chriſtianos ſibi addictos ſævirent pagani? Verùm *non amplius* perſecutionem illam patietur; ſed præſtabit ut Religio Chriſtiana in honore ſit apud omnes, propter ipſum Chriſtum, in quem credent.

Verſ. 7. *Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli, cùm cœperit tubâ canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut Evangeliſavit per ſervos ſuos Prophetas.*

Mirabiles illæ Religionis, & Imperii mutationes in orbe evenient iis diebus, quos ſignificabit vox, & ſonitus tubæ ſeptimi Angeli: undè capite ſequenti referuntur hæc verba, *& ſeptimus Angelus tubâ cecinit; & factæ ſunt voces magnæ in Cœlo, dicentes, factum eſt regnum hujus mundi, Domini noſtri, & Chriſti ejus; & regnabit in ſæcula ſæculorum.* Apoc. 11. v. 15.

Tunc verò *conſummabitur* magnum illud, atque multiplex *myſterium Dei*, quod *per Sanctos Prophetas* prænuntiatum eſt.

Siquidem, quemadmodùm omni populo Iſraëlitico vociferante, & ſeptem Sacerdotibus clangentibus tubis, corruerunt muri Jericho, quæ prima erat Chananæorum impiorum Civitas; ita ad ſonitum ſeptimæ tubæ Angelicæ decidet impietas Ethnicæ ſuperſtitionis quâ ſe vallari putabat Roma, urbs omnium gentilium primaria, & Domina. Quin etiam hocce Prophetæ regii oraculum implebitur, *Dominus ſubſannabit, ac in furore ſuo conturbabit Reges, & Principes, qui convenerunt adverſùs eum, & adverſùs* Joſue c. 6. Pſ. 2.

Digitized by Google

adverſùs Chriſtum ejus ; eique tanquàm *Filio ſuo dabit gentes hereditatem illius, & poſſeſſionem ipſius terminos terræ.*

Eò accedit aliud ejuſdem Prophetæ effatum, quod tunc quoque com-
Pſ.21.v.28. plebitur : *Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ ; & adorabunt in*
29. *conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium : Quoniam Domini eſt regnum ; & ipſe*
dominabitur gentium. Eapropter *dixit illi Dominus, ut ſederet à dextris ejus,*
Pſ.109.v.1. *poſiturus inimicos* illius *ſcabellum pedum* ipſius.
2. Denique, ut aliorum Sanctorum Prophetarum vaticinia ſilentio præ-
Daniel. 2. termittam, Daniel ait, *in diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli re-*
v.44. *gnum, quod in æternum non diſſipabitur ; comminuet autem, & conſumet uni-*
verſâ regna hæc ; & ipſum ſtabit in æternum.

℣.8. *Et audivi vocem de Cœlo iterùm loquentem mecum, & dicentem, vade, & accipe librum apertum de manu Angeli ſtantis ſuper mare, & ſuper terram.*

℣. 9. *Et abii ad Angelum, dicens ei, ut daret mihi librum ; & dixit mihi, accipe librum, & devora illum ; & faciet amaricari ventrem tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel.*

℣. 10. *Et accepi librum de manu Angeli ; & devoravi illum, & erat in ore meo tanquam mel dulce, & cùm devoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.*

Juſſu Domini Joannes animo ſe contulit ad Angelum ; ab eoque ſumptum librum propheticum commendavit intimæ facultati mentis ſuæ, fideliter cuſtodiendum, tanquam bonum depoſitum per Spiritum Sanctum, qui traditus eſt ei.

Dùm autem excipiebat in ſeſe librum illum, ſeu Spiritum Propheticum, quo prænunciaret nova, miram à Domino infuſam ſuavitatem in mente
perſentiebat : Dominus enim loquitur animæ Sanctæ, quam Spiritu Pro-
Amos 3. v.8. phetico perfundit. *Dominus Deus locutus eſt : Quis non Prophetabit ?* in-
Pſ. 118. quit Amos. *Quàm dulcia* verò *faucibus meis eloquia tua ! Super mel ori meo,*
v.103. aiebat Regius Propheta.

Sed dùm receptus fuit in mente Joannis liber ille, ſeu Spiritus novarum rerum, & ſtupendarum Propheticus, *amaritudinem in ventre*, & dolorem in animo perſenſit Joannes : Quippe viſcera illius commovenda erant commiſeratione malorum impendentium Chriſtianis ex perſecutionibus Ethnicorum ; & animus ejus angendus erat blaſphemiis impiorum contra Chriſtum, quem unicè, ac ſummè diligebat.

Jer. 4. Sic Ieremias, *ventrem meum, ventrem meum doleo ; ſenſus cordis mei tur-*
v.19.20. *bati ſunt in me : non tacebo, quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, cla-*
22. *morem prælii. Vaſtata eſt omnis terra. Stultus populus meus me non co-*
gnovit.

Jer. 8. Ac rurſùs, *dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mœrens. Super con-*
v.17.21. *tritione filiæ populi mei contritus ſum, & contriſtatus : ſtupor obtinuit me.*

Lament.1. Et in lamentationibus ſub perſonâ Ieruſalem : *Vide Domine, quoniam*
v.20. *tribulor ; conturbatus eſt venter meus : ſubverſum eſt cor meum in memetipſâ,*

quoniam

quoniam amaritudine plena ſum: foris interficit gladius; & domi mors ſimilis eſt.

Verſ. 11. *Et dixit mihi, oportet te iterùm Prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.*

Poſt hæc dixit Angelus Joanni, oportet te Spiritu Dei veridico, & omnium rerum præſcio perfuſum, prænuntiare iterùm plurima, quæ futura ſunt nationibus diverſas in regiones diſperſis; populis vario idiomate utentibus; & regibus multis, tùm infidelibus, tùm fidem Chriſti profitentibus, ut ex illis tuis prædictionibus ſapientia, poteſtas, juſtitia, & bonitas Divina magìs, ac magìs eluceſcant.

Ita Ezechieli Dominus: *Comede volumen iſtud; & vadens loquere ad filios Iſraël; viſcera tua complebuntur volumine iſto. Et comedi illud; & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce. Et dixit ad me, vade ad domum Iſrael; & loqueris verba mea ad eos.* Ezech. 3. v. 1. 3. 4.

Utinam ex Chriſtianis quiſque, quem decet eſſe *docibilem Dei, & Spiritu Dei agi*, tam ſanctè vivat, ut paratus ad omnia, quæ ei mandabuntur à Domino, poſſit dicere cum Samuele, aliiſque Prophetis, *loquere Domine, quia audit ſervus tuus! Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper Sanctos ſuos, & in eos, qui convertuntur ad cor.* Præſtet etiam ipſe Dominus ut non ſit ampliùs tempus iniquitatis hominum: ſed omnium erga ipſum ſincera fides, pietas, & religio. Joan. 6. v. 45. ad Rom. 8. v. 14. 1. Reg. 3. v. 10. Pſ. 84. v. 10.

EXPLANATIO XXXIX.

Duorum primorum verſuum Capitis undecimi Apocalypſis, quibus ſub figurâ templi, quod Ioannes præcipitur, & atrii gentibus dandi, quod prohibetur metiri; ac Sanctæ Civitatis menſibus quadraginta duobus à gentibus calcandæ, oſtendit Dominus tueri dona Spiritus Sancti, & virtutes fidelium, qui templum ejus interius, ac ſpirituale ſunt: loca verò externa, quò conveniunt ad publicam orationem, & ea, ubi degunt, ſubjacere poteſtati infidelium tribus annis, ac dimidio, ſub multis Imperatoribus Ethnicis.

VERS. I. Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ; & dictum eſt mihi, ſurge; & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo.

℣. 2. Atrium autem, quod eſt foris templum, ejice foràs; & nè metiaris illud: quoniam datum eſt gentibus, & Civitatem Sanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus.

Verſ. I. *Et datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ.*

Apoc.21. v.15. ANGELUS dedit Joanni arundinem menſoriam, ſive, ut dicitur ſub finem Apocalypſis, *Menſuram arundineam, virgæ,* cujus eſt in menſuris domorum, agrorumve capiendis uſus, ſimilem.

Ex verſ. I. *Et dictum eſt mihi, ſurge.*

Mente attollere ad nova myſteria percipienda, quæ Divina benignitas dignatur tibi revelare.

Ex verſ. I. *Et metire templum Dei.*

Erant in tabernaculo Moſaïco, & conſequenter in templo Salomonis duæ partes præcipuæ.

Exod.c.25. 26.27.30. 37.38.40. ad Heb.9. Primaria dicebatur Sanctum Sanctorum; & in eâ erat Arca Fœderis Domini, duobus Cherubinis cum propitiatorio, unde Dominus loquebatur, obtecta; continebatque Tabulas legis, urnam Mannæ, & virgam Aaronis, quæ fronduerat in ſignum ejus Sacerdotii.

Secunda pars tabernaculi, quæ nuncupabatur Sanctum ſæculare, ſeu commune Sacerdotum, iiſque ſolis proprium, habebat altare thymiamatis, menſam propoſitionis panum, & Candelabrum aureum ſeptem lucernarum.

Ex verſ. I. *Et altare.*

Extra illas duas partes tabernaculi erat altare holocauſtorum, in quo jugiter ardebat ignis primùm è cœlo immiſſus; & victimæ, quarum ſanguis fuſus erat, ad gloriam Divinæ Majeſtatis cremabantur.

Ex verſ. I. *Et adorantes in eo.*

In eâ verò parte tabernaculi, ſive ad altare holocauſtorum, cenſebantur adorare Deum, non ſolùm Sacerdotes & Levitæ, qui ibi conſiſtebant munia ſua ſacra peracturi; ſed etiam populus, non multùm indè diſſitus, Pſ.5.v.8. qui victimas immolandas præſentabat: Undè David, *introibo in domum tuam; adorabo ad templum Sanctum tuum*; adhortanſque ad pietatis offi- Pſ.94.v.6. 7. cia plebem ſibi commiſſam, ait: *Venite, adoremus, & procidamus ante Dominum, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter.*

Ex verſ. I. *Et metire templum, & altare, & adorantes in eo.*

Exod. locis antè citatis. Porrò videre eſt in libris ſacris menſuras peculiares tabernaculi, & templi, necnon vaſorum in iis ſuprà memoratorum, atque altaris holocauſti.

Digitized by Google

cauſti. Deſcribitur etiam ſub Moyſe numerus tùm Sacerdotum, tùm Le- 3.Reg...
vitarum, tùm populi Dei, Deum in tabernaculo adoraturi. Recenſentur 7.
quoque ſub Davide familiæ Sacerdotales,& Leviticæ; ac, dùm dedica- Num.1.2.
tum eſt templum, dicitur *Salomon, & omnis Iſraël cum eo, multitudo ma-* 3.4. 1.Paral.23.
gna ab introitu Emath uſque ad rivum Ægypti, feciſſe feſtivitatem celebrem 24.25.26.
coram Domino Deo noſtro. 27.

At illa omnia erant figuræ, & *umbra futurorum*, quæ per Chriſtum 3.Reg.8.
eſſent implenda. v.65.

Quocirca ſecundùm intelligentiam ſpiritualem, & veritatem illis fi- ad Col.2. v.17.
guris adumbratam, *Metiri templum Dei, & altare, & adorantes in eo,* ad Heb.8.
quod Dominus jubet Joanni, eſt attendere in fidelibus *Templum Spiritus* v.5.
Sancti habitantis in illis; fœdus Divinæ Majeſtatis cum ipſis initùm, ut 1. ad Cor.
Dominus ſit illorum Deus, protector, & merces magna nimis; ipſi verò ſint 6.v.19. Gen.15.
populus peculiaris eximiâ pietate ei addictus: Quòd *Angelis ſuis mandave-* v.1.
rit, ut cuſtodiant ipſos in omnibus viis ſuis; vocenturque ad felicitatem cœ- Exod.19.
leſtium Spirituum: Quòd Salvator ſit *propitiatio pro peccatis* illorum; v.5. Pſ.90.
eiſque converſis ad ipſum *loquatur verba bona, & conſolatoria*: Quòd in v.11.
lege Domini meditantes guſtent quoniam ſuavis eſt Dominus; & floreant 1.Joan.2.
piis deſideriis, ac fructificent ſanctis operibus in monimentum perenne v.2.
regalis ſui Sacerdotii. Zachar.1.

Hæc quoad primam partem tabernaculi, & templi,in qua erat Arca. v.13. Pſ.1.v.2.

Quod ſpectat ad ſecundam, in quâ erant altare thymiamatis, menſa Pſ.33.v.9.
panum, & candelabrum ſeptem lucernarum, fideles *bonus odor Chriſti* 1.Petr.2.
ſunt; & ſuaviſſimas, ac grariſſimas Deo fundunt orationes: *edunt panem,* v.9.
qui de Cœlo deſcendit; & dat vitam æternam; habent ſeptem dona Spiritus 2. ad Cor. 2.v.15.
Sancti, quorum luce, & gratiâ refulgent inter tenebras infidelitatis, Joan.6.
quibus mundus obſitus eſt. v.51.55.

Nonne verò cor illorum eſt holocauſtorum altare, in quo fovetur ad Rom.5.
ignis cœleſtis charitatis à Deo infuſæ; & ubi *corpora* ſua *offerunt hoſtiam* v.5.
viventem, ſanctam, Deo placentem; parati pro illius honore ſanguinem C.12.v.1.
profundere, immolari, cremari?

Denique, quotquot fideles ſunt, ſinceri, ac perfecti, Deum unum
adorant; eique *ſerviunt in ſanctitate, & juſtitiâ.* Luc.1.

Hæc dona gratiæ in Chriſtianis, Dei cultoribus, & templis Spiritus v.74.75.
Sancti, plurimi facienda ſunt; eaque tutatur Dominus mediis in perſe-
cutionibus Ethnicorum.

Loca autem externa, quò conveniunt fideles ad publicam orationem,
& ea, in quibus ad privatos uſus commorantur, multò minùs à Chri- 1.ad Tim.
ſtianis debent attendi; nec illa tanti facit Dominus, quandoquidem 2.v.8.
ubivis conſiſtant addictiſſimi ejus ſervi, poſſint *puras manus ad ipſum* 1. ad Cor.
levare; ei *pſallere Spiritu, & mente*; ex intimo pectore *oblationem mundam* 14.v.15.
ſui ipſius *offerre*; necnon *hoſtiis* bonorum operum illum *promereri.* Malach.1.
Quam ob rationem Apocalypſis textu tacitam, & propter aliam, quæ v.11. ad Heb.13.
verſu ſequenti exprimitur, dictum eſt Joanni, v.16.

Verſ. 2. *Atrium autem, quod eſt foris templum, ejice foras, & nè metiaris illud, quoniam datum eſt gentibus.*

Exod. 27. à Moyſes, jubente Domino, *erexit atrium per gyrum tabernaculi*; illûc-
v. 9. que conveniebat populus, ut adoraret Deum; undè Ezechiel, *de portâ*
C. 40. v. 3. Ezech. 46. *atrii interioris, quæ reſpicit ad Orientem*, ait, *adorabit populus terræ ad oſtium*
v. 1. 3. 9. *portæ illius in Sabbatis, & in calendis coram Domino.*

Prohibetur verò Joannes *metiri atrium* hujuſmodi, ut ſignificetur ei loca, quò confluerent Chriſtiani ad ſolemnem orationem, non ſemper futura illorum juris; ſed ſubjicienda nonnumquam Ethnicorum tyrannicæ, & impiæ poteſtati.

Ex verſ. 2. *Et civitatem ſanctam calcabunt.*

Ethnici quoque domos, agros, urbes, ac quævis loca, quæ paſſim incoluerint Chriſtiani, diripient; vaſtabunt; ac multâ fidelium ſtrage complebunt. Cùm verò urbes propter civium flagitia dicantur peſſimæ; ſecùs terra, quam inhabitabat populus Iſraël divino cultui addictus, nuncupata ſit terra ſancta; quis dubitaverit loca illa, in quibus fideles ſanctè, & ſecundùm Deum vivunt, cenſenda eſſe *ſancta?*

Sicuti etiam omnes fideles, in quaſcumque regiones diſperſi, unam, ſanctamque Eccleſiam efficiunt; ita unius eſſe *Sanctæ civitatis* meritò reputantur: quandoquidem, unum Deum ſanctum, piè, ac ſanctè colant; uni Domino Jeſu Chriſto pareant; iiſdem legibus Evangelicis vivant; & in unum finem æternæ felicitatis uno, eodemque Spiritu Sancto animati conſpirent.

Porrò contaminatio illa Oratoriorum Chriſtianorum à gentibus, & domorum, in quibus fideles degerent, conculcatio, ac vaſtitas, præfigurata eſt profanatione Templi, & direptione civitatis Ieruſulem ſub Antiocho Epiphane: completa verò eſt ſub pleriſque Imperatoribus Romanis Ethnicis.

1. Machab. Etenim ex libro primo Machabæorum Antiochus Epiphanes, *centeſi-*
1. v. 11. 21. *mo, & quadrageſimo quinto anno regni Græcorum, irruit ſuper Civitatem Ie-*
30. 32. 33. *ruſalem, & percuſſit eam plagâ magnâ; & accepit ſpolia Civitatis; & ſuc-*
34. 35. 36. *cendit eam igni: & ædificaverunt Civitatem David muro magno, & firmo, &*
46. 47. 48. *turribus firmis; & facta eſt illis in arcem; & poſuerunt illîc gentem peccatri-*
49. 52. *cem, & convaluerunt in eâ.* Quin etiam *miſit Rex libros*, ſeu edicta, *per manus nuntiorum in Ieruſalem, & in omnes Civitates Iuda, ut ſequerentur leges gentium terræ, & prohiberent ſacrificia fieri in templo Dei, & dies ſolemnes; & juſſit coinquinari ſancta, & ædificari aras, & templa, & idola; & quicumque non feciſſent ſecundùm verbum Regis Antiochi, morerentur.* Quâ de calamitate conquerentes Machabæi, inter alias ipſorum pias, ac
1. Machab. humiles querelas aiebant Domino, *ſancta tua conculcata ſunt, & contami-*
3. v. 51. *nata ſunt.*

Impia illa in Templum, & Ieruſalem perpetrata ab Antiocho facinora renovarunt contra Chriſtianos plerique Imperatores Ethnici, ex quibus ſufficiat exempla Decii, & Diocletiani referre.

Digitized by Google

Decio quidem imperante, Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium, poſt aliquot Martyres Alexandriæ paſſos, ait: *Tum uno quaſi animorum impetu omnes in piorum ædes irruere; & ſinguli, quos ſibi vicinos eſſe cognoverant, properè educere, expoliare, diripere; & divitias, ac ſupellectilem, ſi qua erat precioſior, ſibi ſeponere; ſi qua vilior, & ex ligno confecta, in viis diſſipare, deinde exurere; adeò ut Civitas illa veram ſpeciem urbis ab hoſtibus captæ, diſpoliatæque probè repræſentaret.* Ac paulò poſt, *nullus itineris flexus, nulla via publica, nullus angiportus erat, in quo tutò vel noctu, vel interdiu liceret incedere: quippe omnes ubique uno ore conclamabant, ſi quis è Chriſtianorum numero impia, & prophana verba effari recuſaverit, rapiatur extemplò; & in ignem conjiciatur.* Poſteaquàm verò *edictum Decii divulgatum eſt, complures in urbibus, & pagis à gentibus diſtracti erant, & quaſi membratim diſcerpti.* Hæc ſub Decio apud Euſebium. Euſeb. hiſt. l. 6. c. 34.

Idem de Diocletiano inquit: *Anno decimo nono Imperii Diocletiani omnibus in locis per Imperatoris literas palàm edictum fuit, ut tùm deturbarentur Eccleſiæ, ſoloque æquarentur.* Euſeb. hiſt. l. 8. c. 3.

Nonne & in Martyrologio Romano legitur? *Nicomediæ paſſio multorum millium Martyrum, qui cum in Chriſti natali ad dominicum conveniſſent, Diocletianus Imperator januas Eccleſiæ claudi juſſit, & ignem circumcirca parari, tripodemque cum thure præ foribus poni, ac præconem magnâ voce clamare, ut qui incendium vellent effugere, foras exirent, & Iovi thus adolerent; cùmque omnes unâ voce reſpondiſſent, pro Chriſto ſe libentiùs mori, incenſo igne conſumpti, eo die naſci meruerunt in Cœlis, quo Chriſtus in terris pro ſalute mundi naſci dignatus eſt.* Martyr. Rom. 25. Decemb.

Nicephorus autem eamdem hiſtoriam referens, ait: *Ignis Eccleſiam omnem complexus, illos omnes viginti millium numerum explentes in cinerem redegit.* Niceph. hiſt. l. 7. c. 6.

Euſebius quoque aſſerit, *urbem Chriſtianorum, quæ eſt in Phrygiâ, univerſam unà cum populo ejuſdem incenſam, propterea quòd tùm univerſus populus, qui Civitatem incoluit, tum Curator ejuſdem, & Præfectus præſidii, pariter cum Magiſtratibus, & privatis omnibus, ſe Chriſtianos ingenuè profitebantur; neque Infidelibus, qui eos idolis hoſtias offerre mandaverant, ullâ ex parte volebant obtemperare.* Euſeb. hiſt. l. 8. c. 23.

Idque factum perſecutione Diocletiani innuunt Euſebius, & Nicephorus. Conſtat etiam Maximinum, qui poſt Diocletianum, & Herculium Maximianum, & Galerium Maximianum, dominatus eſt in partibus Orientis, edicto ſanciviſſe, ut *quantò fieri poſſet longiùs ex urbibus pellerentur Chriſtiani.* Niceph. hiſt. l. 7. c. 10. Euſeb. l. 9. c. 2.

Ex his igitur, quæ relata ſunt, patet loca, quò convenirent fideles ad publicam orationem, & ea, in quibus degebant ad privatos uſus, ſubjacuiſſe poteſtati infidelium; idcòque juxta verba Joannis allegorica ſimul, & prophetica, quæ explicuimus, *atrium templi datum eſſe gentibus, & Civitatem ſanctam calcatam* fuiſſe ab Ethnicis.

Digitized by Google

Ex ℣. 2. *Menſibus quadraginta duobus.*

Eo numero menſium conficientium tres annos, & dimidium, alludit Joannes ad totidem annos, quibus ex hiſtoriâ Machabæorum, & Danielis prophetiâ duravit contaminatio Templi, & Civitatis Jeruſalem ſub Antiocho Epiphane.

1. Machab. 1. v. 57. 1. Machab. 3. v. 45. Quippe libro primo Machabæorum, *die quintâ menſis Caſleu*, qui nonus eſt, *quinto & quadrageſimo, & centeſimo anno*, ſcilicet Regni Græcorum, *ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum deſolationis ſuper altare Dei; & ſanctum conculcabatur.*

1. Mach. 4. v. 41. 52. 53. At Judas Machabæus devictis hoſtibus, *emundavit ſancta* templi Jeruſalem; *& obtulerunt ſacrificium ſecundùm legem ſuper altare holocauſtorum novum, quintâ & vigeſimâ die menſis noni, centeſimi quadrageſimi octavi anni.*

Undè liquet à collocato ſuper altare Dei idolo ab Antiocho uſque ad ſacrificium Deo oblatum ſuper novum altare ſub Judâ Machabæo, interceſſiſſe tres annos & viginti dies: quibus facilè, & cum ratione quiſquis addiderit ſaltem quinque menſes à tempore, quo *princeps tributorum*
1. Machab. 1. v. 30. 32. 33. 35. 36. *Regis Antiochi invaſit Jeruſalem*; non enim potuit pauciori tempore *ſuccendere Civitatem, deſtruere domos ejus, & muros ejus in circuitu; ædificare Civitatem David muro magno, & firmo, & turribus firmis, quæ eſſet in arcem; in eâque conſtituere milites, arma, & eſcas*, uti narratur cum multis aliis primo Machabæorum, antequàm collocatum fuerit abominandum idolum ſuper altare Dei.

Et ſanè tres illi anni cum dimidio vaſtitatis Jeruſalem, & profanationis Templi, ac ſæviſſimæ perſecutionis Judæorum ab Antiocho, præ-
Daniel. 12. v. 7. dicti erant à Daniele capite duodecimo *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, hoc eſt per annum, & duos annos, & dimidium anni.

Hanc explicationem ipſemet Joannes ſuppeditat: namque præfatos menſes quadragintà duos exponit verſu tertio hujus capitis, necnon verſu ſexto capitis duodecimi *per dies mille ducentos ſexaginta*, tribuens unicuique menſi triginta dies, propter rationes ſuis locis referendas; eodem autem capite duodecimo, verſu decimo quarto, ſignificat prædictum numerum dierum, *per tempus, & tempora, & dimidium temporis.*

Quapropter manifeſtum eſt, tres annos, & dimidium idem eſſe in Apocalypſi ac quadraginta duos menſes; & mille ducentos ſexaginta dies; necnon tempus, & tempora, & dimidium temporis; quam ultimam ſupputationem Joannes ex Daniele mutuatus eſt.

At nonnullæ Imperatorum Ethnicorum perſecutiones, quibus Chriſtiani Oratoriis, domibus, agris, civitatibus privati ſunt, durarunt tribus annis, ac ſemiſſe.

Euſeb. hiſt. l. 1. c. 1. 9. Sic teſte Euſebio *Decius* atrox perſecutor *non duos annos integros regnavit: & Gallus* ejus ſucceſſor *vix biennio integro Imperium rexit:* Quamobrem videre eſt perſecutionem à Decio inceptam, & à Gallo continuatam, duraſſe circiter tribus annis cum dimidio.

Poſtquàm

Digitized by Google

Poſtquàm *Gallus è medio ſublatus eſt*, referente Euſebio, *Valerianus Imperii gubernacula ſuſcipit: de quo*, inquit Dionyſius Alexandrinus, *ſignificatum eſt per revelationem Ioanni; ait enim, datum eſt ei os magna, & blaſphema loquens; & data eſt ei poteſtas faciendi per menſes quadraginta duos; cum iſta utraque in Valeriano videantur completa.* Euſeb. hiſt. l. 1. c. 9. Apoc. 13. v. 5.

Quid luculentius deſiderari poteſt ad probandum perſecutionem à Valeriano motam duraſſe tribus annis ac ſemiſſe? In eâ ſententiâ eſt Cardinalis Baronius ex relato Dionyſii Alexandrini teſtimonio; & ego ipſe, Deo dante, quæcumque dicuntur capite decimo tertio Apocalypſis, à verſu primo ad decimum, inter quæ refertur *poteſtas quadraginta duobus menſibus, & blaſphemia in Deum, & tabernaculum ejus*, oſtendam quàm maximè Valeriano convenire. Baron. in annal. an. 259. n. 6.

Quod ſpectat ad perſecutionem Diocletiani, à Galerio Maximiano ejus ſucceſſore protractam, animadverto etiam in illâ circiter tres annos & dimidium, uſque ad tempus, quo Conſt.ntinus appellatus eſt Auguſtus.

Siquidem ex Euſebio in Chronicis, *decimo nono anno Diocletiani, menſe Martio, in diebus Paſcha Eccleſiæ ſubverſa ſunt.* Euſeb. in Chron.

Secundo anno perſecutionis, Diocletianus Nicomediæ; Maximianus, ſcilicet Herculius, *Mediolani purpuram depoſuerunt.*

Galerius Maximianus, qui *ſexto anno Diocletiani ut Cæſar aſſumptus fuerat in regnum, ſolus biennio Auguſtus Imperium tenuit.*

Conſtantius autem, qui cum Galerio fuerat etiam Cæſar creatus, *diem obiit in Britanniâ Eboraci, poſt quem filius ejus Conſtantinus Regnum invadit quarto perſecutionis anno.* Hæc Euſebius in Chronicis.

At ex eodem Euſebio in hiſtoriâ, *Conſtantius perſecutionis contra nos intentatæ nullo modo particeps fuit; imò verò pios ſub ejus imperium ſubjectos, illæſos conſervavit; ac neque ſacras Eccleſiarum ædes diruit; neque aliud quicquam maleficii in nos omninò molitus eſt. Conſtantinus verò in Imperio conſtitutus, & Auguſtus ab exercitibus appellatus, paternæ erga Religionem noſtram pietatis veſtigia diligenter eſt perſecutus.* Euſeb. hiſt. l. 8. c. 28.

Itaque, cùm graviſſima perſecutio Diocletiani de ſubvertendis Eccleſiis, de exurendis libris ſacris, de cruciandis omni tormentorum genere Præpoſitis Eccleſiarum, atque delendis ubique terrarum Chriſtianis, inchoata fuerit anno Imperii ejuſdem Diocletiani dec'mo nono, menſe Martio, imminente Paſchali die, continuata verò fuerit à Galerio Maximiano, & anno quarto hujuſce perſecutionis evectus ſit ad Imperium Conſtantinus, qui Chriſtianis maximè favit, mihi videtur perſecutio illa, inter præfatos temporum terminos conſiderata, complecti circiter tres annos, ac dimidium. Euſeb. hiſt. l. 8. c. 2. 3. 13.

Quòd ſi quis attendere adhuc velit perſecutionem illam, quatenùs à prædicto anno quarto producta eſt ab eodem Galerio Maximiano uſque ad id temporis, quo ipſemet Galerius morbo Divinitùs inflicto laborans edictum in gratiam Chriſtianorum edidit, comperiet eam perſecutio-

nem

Digitized by Google

Euſeb. in Chronic. nem rursùs tribus annis, & ſex menſibus circiter duraſſe.

Etenim ex Euſebii Chronico is annus quartus perſecutionis, dùm Conſtantinus Imperium arripuit, erat circiter annus Chriſti trecenteſimus undecimus: ex eodem autem Chronico Galerius Maximianus moritur circiter anno Chriſti trecenteſimo decimo quinto. Sed videtur ſex menſibus ante mortem ſuam edictum dediſſe in gratiam Chriſtianorum; quippe Euſebius in hiſtoriâ refert *Maximinum, qui partes versùs Orientem regebat, neque ad ſex menſes integros paſſum eſſe ut noſtri tranquillè agerent.* Nempè veriſimile eſt Maximinum non vexaſſe Chriſtianos, quandiù Galerius à tempore edicti ſui pacifici morbo laboravit: verùm paulò poſtquàm illum ſcivit obiiſſe, perſecutionem renovavit. (Euſeb. hiſt. l. 8. c. 28. 29. Euſeb. hiſt. l. 9. c. 2.)

Quocirca ab anno Chriſti trecenteſimo undecimo uſque ad ſex menſes ante mortem Galerii Maximiani, quæ contigit anno trecenteſimo decimo quinto, enumerari poſſunt circiter tres anni & ſex menſes.

Igitur Chriſtianorum Eccleſiæ, & domus plerùmque datæ ſunt in poteſtatem gentium tribus annis, ac ſemiſſe.

ad Heb. 10. v. 34. Fideles autem tunc temporis eâ erant virtute prædìti, ut rapinam *bonorum* ſuorum *cum gaudio ſuſciperent, cognoſcentes* ſe *habere meliorem, & manentem ſubſtantiam*; Deumque, qui Cœlum, & terram implet, quemque ſuper omnia diligebant, piè, ac ſanctè ubique terrarum colerent. *Templum* verò *Dei ſanctum*, quod *ipſi erant*, illibatum ſervabant: noverant enim dictum ab Apoſtolo, *ſi quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Exultabant etiam, quòd ipſi *domus Dei eſſent, fiduciam, & gloriam ſpei, uſque ad finem, firmam retinentes.* (1. ad Cor. 3. v. 17. ad Heb. 3. v. 6.)

EXPLANATIO XL.

Quomodò Clerus, & populus Chriſtianus, tanquam duo teſtes fideles Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſub Ieſu à Ioſedecho prognati, & Zorobabelis, necnon Moyſis, & Eliæ figuris, ſint pietate ſuâ impietatem Ethnicam expugnaturi; Eccleſias ad cultum readificaturi; & varias plagas gentilibus inflicturi, à tertio ad ſextum verſum Capitis undecimi Apocalypſis.

VERS. 3. Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.

℣. 4. Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conſpectu Domini terræ ſtantes.

℣. 5. Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum; & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi.

℣. 6. Hi habent poteſtatem claudendi Cœlum, nè pluat diebus prophetiæ ipſorum; & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem; & percutere terram omni plagâ, quotieſcumque voluerint.

Verſ. 3. *Et dabo duobus teſtibus meis.*

PAULÒ antè quàm Christus in Cœlum aſcenderet, dixit Act. 1. v. 8.
diſcipulis ſuis, *accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus*
Sancti in vos; & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni
Iudeâ, & Samariâ, & uſque ad ultimum terra. Ii verò, quos Act. 1. v. 2.
tùm alloquebatur, non erant dumtaxat Apoſtoli, quos ultimâ Cœnâ 6. 10. 15.
Sacerdotes ſibi addixerat, ſed alii plures diſcipuli de plebe, qui tunc
convenerant in montem Oliveti; quique omnes replendi erant Spiritu Act. 4.
Sancto; ac *locuturi Verbum Dei cum fiduciâ*; nec non *reddituri*, quiſ- v. 31. 33.
que pro viribus ſuis, *teſtimonium Reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini*
noſtri, quamvìs perſecutionem paterentur à Judæis.

Ita Dilecto Diſcipulo Magiſter amantiſſimus è Cœlis revelans, quæ Eccleſiæ ſuæ futura ſunt tempore perſecutionum, quas ab Ethnicis paſſura eſt, Clerum illius, ac populum ſanctum, atque fidelem nuncupat *duos teſtes ſuos*, utpote dignos Apoſtolorum, aliorumque primorum diſcipulorum ſucceſſores, qui Divinitatem illius, ac Myſteria ſalutifera conſtanti uſque ad mortem animo palàm, & apud omnes nationes teſtabuntur.

Ex ℣. 3. *Et prophetabunt.*

Dùm *atrium*, ſeu locus Synaxis Chriſtianorum, Chriſto permitten- Apoc. 11.
te, *dabitur gentibus*; & ab iiſdem Ethnicis *calcabitur Civitas ſancta*, v. 1. 2.
hoc eſt vaſtabitur locus omnis, in quo fideles ſanctè, ac ſecundùm Deum viventes commorari conſueverunt, *dabit* Salvator *duobus teſtibus* ſuis Clero, & populo Eccleſiæ ſuæ, copiosè Spiritum ſuum; eoque animati, & confirmati *prophetabunt*. Quippe ſicuti moris fuit antiquorum Prophetarum, *Spiritu Sancto inſpirati loquentur ſancti* illi *homines Dei*; impietatem, cæteraque crimina intrepidè coarguent; Divinum

cultum ardenti zelo promovebunt; & quoſcumque poterunt homines, verbo, & exemplo ad caſtos mores perducent.

Ex ℣. 3. *Diebus mille ducentis ſexaginta.*

Cùm verò perſecutiones Ethnicorum adversùs Chriſtianos variis vicibus repetitæ ab Imperatoribus, quemadmodùm Explanatione præcedenti monſtratum eſt, *quadraginta duobus menſibus* ſint graſſaturæ; *duorum* illorum *teſtium*, videlicet Cleri, & populi, Chriſto fidiſſimorum, divina, & à Spiritu Sancto indita virtus tantùmdem temporis eniteſcet.
ad Rom. 5. v. 20. Vult enim Salvator ut, quando *abundabit delictum* Ethnicorum ad delendum, ſi poſſent, Evangelium, *ſuperabundet* ejus in Sanctis *gratia*, quâ fidem ei ſervent invictam.

Porrò, quòd *quadraginta duos menſes* Dominus deſignaverit *diebus mille ducentis ſexaginta*, tribuens eâ authoritate ſummâ, quâ pollet, unicuique menſium illorum completum numerum triginta dierum, id iis, quæ ſequuntur, rationibus, quantùm mihi videtur, judicavit faciendum.

Gen. 15. v. 16. Primò, quia tunc *complebuntur iniquitates* Ethnicorum adversùs Chriſtianos, quos perſequentur.

Jac. 1. v. 3. 4. Secundò, quia eo tempore *probatio fidei* Chriſtianorum *patientiam operabitur* in illis: *patientia autem opus perfectum habebit* in ipſis, *ut ſint perfecti, & integri, in nullo deficientes.*

ad Heb. 12. v. 1. 2. 3. Luc. 3. v. 23. Joan. 18. v. 37. Tertiò, *deponentes omne pondus, & circumſtans peccatum* eâ tempeſtate *current ad propoſitum ſibi certamen*; *aſpicientque in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum*, qui *annos* natus *triginta*, prædicans, & *teſtimonium perhibens veritati*, *ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem*; ac tandem *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ, atque in dexterâ ſedis Dei ſedet.*

Tales oportet eſſe Chriſtianos, potiſſimùm tempore atrociſſimarum perſecutionum, quas paſſuri ſunt ab Ethnicis; ac revera tales fuiſſe tunc temporis quàm plurimos è Clero, & ex populo fideli, conſtat monimentis Eccleſiæ, quorum unum, & alterum profero.

Euſeb. hiſt. l. 8. c. 12. 13. Euſebius teſtatur *Diocletiani perſecutionem primo anno ſolùm contra Eccleſiæ Præſides graſſatam: ſecundo* autem *anno præceptum generali edicto, ut univerſa plebs in ſingulis Civitatibus idolis immolare cogeretur.* En contra Clerum, & populum perſecutio. *Cùm verò*, inquit Ruffinus, *flamma perſecutionis Diocletianæ tota per populos, & ſacerdotes*, ecce duo teſtes, *exaggeraſſet incendia, poſſibile non eſt numero comprehendi quanti quotidiè penè per ſingulas quaſque urbes, & provincias Martyres*, ideoque teſtes fideles, *efficiebantur.* Ac rursùs idem author; *omnes Eccleſiarum Principes in vincula conjiciebantur*; en Clerus; *ſimulque cum his ex plebe*, en populus, *viri, & mulieres, nobiles, & ignobiles rapiebantur.*
Ruffin. hiſtor. l. 8. c. 4. 6.

Ex verſ. 3. *Amicti ſaccis.*

Euſeb. hiſt. l. 8. c. 12. Dubio procul ſancti illi Martyres, atque, ut verbis Euſebii utar, *generoſiſſimi veritatis teſtes*, tùm è Clero, tùm è populo Chriſtiano, non

modò,

modò, quiſque pro ſuâ conditione, indumentum, quod fideles *pietatem per bona opera promittentes deceret*, geſtabant; verùm etiam, cùm quærerentur ad mortem, ſicuti tenui victu utebantur, ita vili induebantur amictu. *Saccis* plerumque operti deſpiciebant luxum ſæculi, cui renuntiaverant; & è quo confeſtim exire cupiebant. *Egentes, anguſtiati, afflicti*, divinam miſericordiam flectere ſatagebant; ſuoque provocabant exemplo gentes ad pœnitentiam, nè perirent.

1. ad Tim. 2. v. 9.
ad Heb. 11. v. 37.

Certè de Chriſtianis Tertullianus in Apologetico inquit, *Cùm ab imbribus æſtiva hiberna ſuſpendunt, & annus in curâ eſt, nos jejuniis aridi, & omni continentiâ expreſſi, in ſacco, & cinere volutantes, invidiâ Cœlum tundimus; Deum tangimus; & miſericordiam extorquemus.*

Tertul. in Apol. c. 40.

Quantò magìs ingraveſcente perſecutione Martyres erant *amicti ſaccis*, tùm ſuâ ſponte, tùm perſecutorum ſævitie? Undè Baronius refert ex actis Sancti Sabini Martyris, quòd cùm *Nicomedia Maximiani Herculii execrandæ hoſtiæ ducerentur ad templum duodecim Deorum, quod erat intra Regiam, aderant quidem impii candidis, & magnificis veſtibus celebrantes feſtum ſui interitus: ſolus autem Indes, Eunuchorum princeps Chriſtianus, atris indutus erat veſtibus; & cùm hæc celebrarentur, maximo dolore affectus, cùm ſe in valdè obſcurâ incluſiſſet domuncula, impiorum flebat interitum. Renunciantur hæc Imperatori; & is ſtatim ab ipſo abripitur; & ſiſtitur ab illo judici judicandus. Cùm autem, etiam antequàm loqueretur, ei renuntiaret veſtis, quòd, quæ fiebant ab eo, cenſebantur digna luctu, & triſtitiâ, juſſit ejus manibus, & pedibus injectis catenis, & collo collari, eum ſervari incluſum in carcere.*

Baron. an. 301. n. XXIX. XXX.

Verſ. 4. *Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra, in conſpectu Domini terræ ſtantes.*

Zacharias Propheta *Ieſum filium Ioſedech ſacerdotem magnum*, & *Zorobabelem filium Salathiæ* de domo David, comparat duobus vaſis olei, quæ viderat conjuncta Candelabro Sancto, ut ex illis accenderentur ejus lucernæ noctu in templo Domini. *Vidi*, inquit, *& ecce Candelabrum aureum, & lucernæ ſuper illud; & duæ olivæ ſuper illud, una à dextris lampadis, & una à ſiniſtris ejus. Et dixit mihi* Angelus, *iſti ſunt duo filii olei, qui aſſiſtunt Dominatori univerſæ terræ.* Siquidem duo viri illi eximii, ac ſancti, quorum primus erat ſacerdos, & alter de populo, cùm non eſſet è tribu Levi, pacem, quæ oleo ſignificabatur, procuraturi erant populo Iſraëlitico à circumſtantibus inimicis; & ſplendore virtutum ſuarum longas captivitatis Babylonicæ tenebras depulſuri. Templum etiam à Nabuchodonoſore dirutum extructuri erant; & in eo ritus ſacros, & cultum Divinum, Deo ipſo mirum in modum adjuvante, inſtauraturi, quamvis gentes vicinæ, idolorum cultui addictæ, totis viribus reluctarentur.

Zachar. 3. v. 1. Cap. 6. v. 1. C. 4. v. 7. 10. 1. Eſdræ 5. v. 2. Zachar. 4. v. 2. 3. 14.
Eſdræ l. 1. c. 4. 5. 6.

Similes futuri erant temporibus perſecutionum Ethnicarum Sancti Martyres, & Confeſſores, ex Clero, & populo Chriſtiano: teſtimonio enim fidei ſuæ inſigni pacem promerituri erant Eccleſiæ, quæ à gen-

Digitized by Google

Matth. 5. v. 15. 16. tilibus vexabatur, & velut *lucerna ſuper candelabrum poſita in domo Dei* illuxere *omnibus domeſticis fidei*, ita ut etiam illorum lux tenebras infidelitatis diſſiparet. Suis quoque precibus, & moribus ſanctiſſimis Eccleſiarum, quæ ab Ethnicis evertebantur, inſtaurationem erant à Divinâ Majeſtate, cui omnia ſubſunt, impetraturi.

Euſeb. hiſt. l. 8. c. 29. Hinc Galerius Maximianus, Diocletiani in Imperio, & in Chriſtianorum perſecutione ſucceſſor, tandem edicto præcepit, *ut homines denuò ſe liberè Chriſtianos profiteantur; & ut ædes, in quibus convenire ſolent, reſarciant.*

Euſeb hiſt. l. 9. c. 8. Maximinus etiam, à Licinio Conſtantini collegâ victus, *hoc edictum ſtatuit divulgari, quo omnibus planè conſtet, liberam eſſe poteſtatem illis, qui Chriſtianam religionem ſequi voluerint, eam pro arbitratu ſanctè, ut eorum mos fert, & auguſtè excolendi: Quin etiam ut Dominica, & ſacras ædes reficiant, à nobis*, inquit, *conceſſum eſt.*

Euſeb. hiſt. l. 10. c. 5. Multò magìs Conſtantinus Magnus edixit, *ut loca Chriſtianorum, in qua ipſis in more poſitum erat anteà convenire, Chriſtianis ſine omni morâ, & dubitatione reſtituerentur*; necnon *ſi quæ ex his poſſeſſionibus, quæ ad Catholicam Chriſtianorum Eccleſiam in quibuſque Civitatibus, aut aliis locis pertinent, adhuc à civibus, aut ab aliis quibuſdam retineantur, eas quàm primùm iiſdem Eccleſiis, Anilinus Africæ Proconſul faciat reſtitui.*

Euſeb. hiſt. l. 10. c. 4. Quapropter Chriſtiani, acceptâ ab Imperatoribus poteſtate Eccleſias ab Ethnicis dirutas extruendi, earumque bona ſibi ablata recuperandi, diligentem in id operam navarunt, permoti exemplo Jeſu filii Joſedech Sacerdotis magni, & Zorobabelis in reædificatione templi à Nabuchodonoſore deſtructi. Eam ob pietatem fidelium, *Oratione pro Eccleſiarum exædificatione panegyricâ recitatâ*, quam videre eſt apud Euſebium, *Paulinus Tyriorum Epiſcopus, cui ipſe Deus, qui univerſum mundum ſuo complexu continet, ſui in terrâ domicilii, ac templi exædificationem, renovationemque conceſſit, appellatur novus Zorobabel, qui templo Dei multò majorem ſplendorem, quàm quo anteà nitebat, adjecit.*

Verſ. 5. *Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum: & ſi quis voluerit eos lædere, ſic oportet eum occidi.*

Præter figuras Cleri, & populi fidelis, ex Jeſu filio Joſedechi, & Zorobabele depromptas, quas verſu præcedenti explanavimus, Joannes verſibus explicandis ſubindicat ejuſdem Cleri, & populi figuras ex Moyſe,
Pſ. 98. v. 6. qui erat tribus Leviticæ, & de quo Pſalmiſta cecinit, *Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus ejus*, necnon ex Eliâ, qui erat è tribu plebeiâ. Præclaræ
Matth. 17. v. 3. certè Moyſes & Elias Sanctorum Martyrum figuræ; quandoquidem
Apoc. 11. v. 1. Moyſes, & Elias teſtes fuere inſignes glorioſæ Transfigurationis Chriſti: Martyres verò tùm è Clero, tùm è populo Chriſtiano, nuncupen-
Act. 7. v. 55. tur hîc ab ipſomet Chriſto *teſtes* ejus antonomaſticè; quippe non aliam
ad Philipp. 2. v. 11. ob cauſam acturi ſint, vel paſſuri, quàm quòd exemplo Protomartyris Stephani teſtabuntur *Jeſum Chriſtum ſtare a dextris Dei*, & *eſſe in gloria Dei patris.*

Figuras

Figuras illas ex Moyſe, & Eliâ, petitas hîc à Joanne jam explano.

Dum *ſurrexerunt contra Moyſem ducenti quinquaginta viri proceres ſynagogæ, ignis egreſſus à Domino interfecit* illos *ducentos quinquaginta viros.* Rursùs ubi *murmuravit omnis multitudo filiorum Iſraël ſequenti die contra Moyſem, vaſtata eſt incendio* divino, itaut *quatuordecim millia hominum, & ſeptingenti percuſſi fuerint.* Num. 16. v. 2. 35. 41. 47. 49.

Dùm etiam Ochozias Rex Iſraël ad Eliam, qui ei, quòd æger conſuluiſſet Beelzebud, comminatus fuerat mortem, miſit duos quinquagenarios jubentes, ut ad Regem veniret: *Elias dixit* utrique *quinquagenario, ſi homo Dei ſum, deſcendat ignis de Cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Deſcendit itaque ignis de Cœlo, & devoravit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo.* 4. Reg. 1. v. 10. 12.

Sic, ut Apocalypſis verba propoſita explicem, *ſi quis* ex Ethnicis *nocere voluerit* piis Dei cultoribus; & fidiſſimos Chriſti teſtes Clerum ac populum Chriſtianum atrocitate perſecutionum ſuarum *lædere* attentaverit, divinam ſentiet vindictam. Quare Sanctus Cyprianus ad Demetrianum, *lædere ſervos Dei, & Chriſti, perſecutionibus tuis deſine, quos læſos ultio divina defendit: nec enim umquam impiorum ſcelere in noſtrum nomen exurgitur, ut non ſtatim divinitùs vindicta comitetur.* S. Cypr. ad Demetr.

Hæc ſummariè, & in genere dicta ſint: venio ad exempla peculiaria ignis cœleſtis adversùs impios vibrati in ultionem divinam Chriſtianorum, ſicut olim Moyſis, & Eliæ.

Aurelianum, inquit Euſebius in hiſtoriâ, *eum literas contra nos compoſitas manu ſubſcriberet, divina ultio ſubito occupavit, brachiorum commiſſuris enervatis.* In Chronico autem idem Hiſtoriographus; *Aurelianus, cùm adversùm nos perſecutionem moviſſet, fulmen juxta eum, comiteſque ejus ruit; & non multò poſt occiditur.* Euſeb. hiſt. l. 7. c. 24. Euſeb. in Chron. an. 278.

Indè paret Imperatorem Ethnicum, cùm *vellet* Chriſtianis *nocere*, eoſque ſuâ perſecutione *lædere*, ac *occidere*, primùm divinitùs percuſſum dexterâ, dein fulmine; ac brevi occiſum.

Diocletiano quoque, inquit apud Euſebium Conſtantinus Magnus, *quid profuit bellum contra Deum noſtrum concitaſſe? Ut certè reliquam vitæ partem miſerè tranſigeret, dùm ſibi ſemper metueret malè, nè fulminis ictu concideret. Iſta loquitur Nicomedia: non tacent etiam qui eadem oculis viderunt, ex quorum numero ipſe equidem ſum. Palatium eius, & domus, fulmine eam depaſcente, faceque exedente, vaſtata fuit. Quas res ita eventuras ſapientes planè prædixerant: neque enim ſiluerunt, neque mœrorem pro ſceleribus tàm iniquè contra Chriſtianos admiſſis ſuſceptum, ſimulatione occultarunt; ſed perſpicuè, ac palàm ipſi inter ſe liberè de iiſdem diſſeruerunt. Quis talis furor, quæ planè Principatus inſolentia, ut homines cùm ſint, audeant tamen Deum bello laceſſere; inque Religionem Sanctiſſimam, Iuſtiſſimamque veſano animo inſultare; & tam infinita populi, hominumque juſtorum multitudini, nullâ causâ antecedente, exitium moliri?* Euſeb. Conſt. or. ad Sanct. Cœtum, c. 25.

Haud dubiè iis in perſecutionibus Imperatorum Ethnicorum attendit

Dominus jugem tùm à Clero, tùm à populo Chriſtiano fuſam orationem, quâ precabantur ipſum, ut illos liberaret à malo ſibi impendente; ac propterea *ignis* ille Cœleſtis, quem retuli, cenſendus eſt *exiſſe de ore eorum*, cùm immiſſus ſit à Deo exaudiente orationes illorum, & injurias ipſis iniquè illatas juſtè ulciſcente.

Verſ. 6. *Hi habent poteſtatem claudendi Cœlum, nè pluat diebus proph tiæ ipſorum.*

Jac. 5. *Elias*, ut ait Apoſtolus Jacobus ex libro tertio Regum, *oratione ora-*
v. 17. *vit, ut non plueret ſuper terram; & non pluit annos tres, & menſes ſex* in
3. Reg. 16. pœnam idololatriæ Regis Achab, ejuſque populi.
17.

Deuter. Multò antè Moyſes Iſraëli, qui *nollet audire vocem Domini, & facere*
28. v. 15. *omnia mandata ejus*, prænuntiaverat hanc maledictionem; *ſit Cœlum,*
23. 24. *quod ſupra te eſt, æneum; & terra, quam calcas, ferrea; det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem; & de Cœlo deſcendat ſuper te cinis, donec conteraris.*

At, inquit Tertullianus, *cùm de areis ſepulturarum noſtrarum* Ethnici
Tertull. ad *acclamaſſent, areæ non ſint; areæ ipſorum non fuerunt: Meſſes enim ſuas*
Scapulam. *non egerunt.*

Euſebius autem refert, ubi Maximinus edicto ſuo in Chriſtianos deſpexit Chriſtum, & Deos inanes jactitavit eò uſque ut aſſeteret mala antè
Euſeb. à Chriſtianis illata ceſſaſſe, & *jam lætas, & florentes ſegetes eſſe, ſpica-*
hiſt. l. 9. *rum ubertate redundantes; prata propter fœcundos, & moderatos imbres*
c. 6. *herbis, & floribus ſplendeſcentia; & aëris temperationem æquabilem, & amœnam; Deus, qui eſt ſuæ Eccleſiæ conſtans propugnator, arrogante tyranni contra nos oſtentatione refrenatâ, ſuum cæleſte præſidium nobis benignus præſtitit. Imbres igitur, & pluviæ, quæ hyberno tempore fieri conſueverant, ſolitam ſuam terræ irrigandæ conſuetudinem intermiſerunt. Vndè fames, præter omnium expectationem paſſim graſſari, & peſtis deinceps oberrare cœpit.*

Quamobrem, ſicuti Elias, zelo Dei adversùs Regem idololatram, & Sanctorum Prophetarum perſecutorem commotus, oratione ſuâ ferventiſſimâ prohibuit pluvias aliquot annis, ut famem graviſſimam paterentur, qui Deum Cœli, & terræ contemnebant: ita non dubium eſt quin ſancti ex Clero, & populo Chriſtiano, pari zelo adversùs impias Ethnici, ac ſæviſſimi Tyranni voces, & ſanctiones permoti, orationem ad Deum Spiritu Sancto incitatam fuderint, quò vellet dare gloriam Divinæ Majeſtati ſuæ, & Religioni ab ipſo inſtitutæ, quam impius ille blaſphemaverat. Exaudiri fuere, ac iccirco cenſendi ſunt precibus ſuis tunc temporis, ut olim Elias, *clauſiſſe Cœlum, nè plueret.*

Ex verſ. 6. *Et poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem.*

Exod. 7. Moyſes juſſu, & poteſtate Domini vertit in ſanguinem aquas flumi-
v. 19. 20. nis Ægypti, quòd in eas præcepto Pharaonis projeciſſent Ægyptii
C. 1. v. 22. mares, qui naſcebantur ex populo Dei.

Quidpiam

Quidpiam ſimile perfecit Elias zelo Domini permotus, dùm *Prophetis Baal quadringentos quinquaginta interfecit ad torrentem Ciſon*: nemo enim dubitaverit quin illius torrentis aquæ tot Pſeudoprophetarum ſanguine fuerint cruentatæ. 3. Reg. 18. v. 19. 40.

Sed & Sancti, ac Juſti, & Deo chari Chriſtiani *poteſtatem* nonnunquam *habuerunt convertendi aquas in ſanguinem* Ethnicorum, à quibus fuſus fuerat ſanguis fidelium: Etenim lex Divina dudùm promulgata eſt, *quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Verùm ipſi Chriſtiani ſanguinem impiorum non fuderunt propriis manibus; ſed ſanguis illorum innocuus ad Deum, pro cujus gloriâ effuſus eſt, clamavit; & obtinuit à juſto Iudice, ut & iniquorum ſanguis effunderetur. *Abſit*, inquit Tertullianus, *ut ulvionem à nobis aliquam machinemur, quam à Deo expectamus: tamen doleamus neceſſe eſt, quòd nulla civitas impunè latura ſit ſanguinis noſtri effuſionem.* Gen. 9. v. 6. Tertul. ad Scapulam.

Eapropter ex apertione ſecundi ſigilli libri cœleſtis jam explicatâ, *ſumpta eſt pax de terrâ*, ut bellis reciprocis *invicem ſe interficerent* Infideles, Judæi, & Ethnici, quò mortem ſibimet conciſcerent, qui plurimos Chriſtianos injuſtè peremerant. Apoc. 6. v. 4.

Quin etiam Herodianus de prælio commiſſo inter Severum, & Nigrum de Imperio contendentes, *diù*, inquit, *pugnatum eſt acerrimè; tantaque edita ſtrages, ut flumina per planitiem decurrentia majore aliquantò vi ſanguinis, quàm aquarum, in mare ſe volverent.* Herodian. l. 3.

Poſteà quoque, uti jam explicui in clangore ſecundæ tubæ Angelicæ, *facta eſt tertia pars maris ſanguis* ex plurimâ cæde Byſantiorum, qui Nigro faverant, & Chriſtianos perſecuti fuerant. Apoc. 8. v. 8.

Adjiciam ex Dionyſio Alexandrino, ſub Gallieno Imperatore, tàm gravem Alexandriæ ſeditionem obortam, & bellum inteſtinum commotum tàm cruentum, ut *iſti*, inquit, *placidi, & tranquilli urbis portus, fluctuum eorum, quibus Ægyptii erant in trajectione ſubmerſi, veram effigiem gerant, qui ſæpenumero propter hominum cædes in illis factitatas, & effuſum cruorem, ſimiles etiam maris rubri apparent. Fluvius item, qui in urbem illabitur, ſicut olim à Moyſe ob Pharaonis contumaciam erat in cruorem mutatus; ita jam ſanguine, cæde, & hominibus in eum demerſis contaminatus ſemper defluit. Idque planè meritò: multa namque, & gravia incommoda, perdito eorum conatu, Chriſtianis etiam ante hoc tempus importata fuerant.* Euſeb. hiſt. l. 7. c. 16. 17.

Ex ℣. 6. *Et percutere terram omni plagâ, quotieſcumque voluerint.*

Perſpicuum eſt ex libro Exodi, Moyſem accepiſſe à Deo poteſtatem percutiendi multiplici plagâ Ægyptum, quòd atrociter ſæviiſſent in Iſraëlitas Ægyptii; eſſentque rebelles voluntari Divinæ, & obduratis animis in ſuâ impietate perſiſterent. Exod. 12. primis capitibus.

At quamvis, teſte Tertulliano, *Chriſtiani precarentur ſemper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, Imperium ſecurum, domum tutam,* Tertul. Apolog. c. 30.

tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, nec umquam in alicujus perniciem conveniſſent; immò Ethnicorum *plurimi, non tantùm vulgares, ſed etiam honeſti viri, à dæmoniis, aut valetudinibus remediati fuiſſent beneficio Chriſtianorum:* tamen, *Ethnici exiſtimabant omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Chriſtianos eſſe cauſam.*

Apolog. c. 40. ad Scapulam ſub finem. Apolog. c. 40. Apolog. c. 41.

Calumniam refellit Tertullianus; atque Ethnicos alloquens concludit, *Vos igitur importuni rebus humanis; vos rei publicorum incommodorum; vos malorum illices ſemper, apud quos Deus ſpernitur; ſtatuæ adorantur.*

S Cyprian. contra Demetrian.

Subjicit ſanctus Cyprianus, *quale eſt, quòd in contumeliam Dei impugnatis, & opprimitis Dei ſervos? Pœnis, & cruciatibus acquieſcunt, certi, & fidentes, quòd inultum non remaneat quodcumque perpetimur; quantòque major fuerit perſecutionis injuria, tantò & juſtior fiat, & gravior pro perſecutione vindicta, cùm jam pridem Scriptura divina poſuerit, Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.*

Injurias itaque Chriſtianis innocuis, & patientiſſimis illatas ulciſcens Dominus juſtus judex infligebat Ethnicis varias plagas, quoties ſibi videbatur congruum; ac propterea cenſentur fideles *habere* ab ipſo *poteſtatem percutere terram omni plagâ quotieſcumque voluerint*, quatenùs aſſentientes voluntati Dei, pro cujus honore extrema quæque patiuntur, merentur patientiâ ſuâ, cæteriſque virtutibus eximiis ultionem ab illo de perſecutione ſibi iniquè illatâ.

Plura ſunt apud Authores Eccleſiaſticos cujuſvis plagæ in gratiam Chriſtianorum Ethnicis à Deo inflictæ exempla.

Tertull. ad Scapul.

Poſſumus, inquit Tertullianus ad Scapulam, *exitus quorumdam Præſidum tibi proponere, qui in fine vitæ ſuæ recordati ſunt deliquiſſe, quòd vexaſſent Chriſtianos. Vigellius Saturninus, qui primus hìc gladium in nos egit, lumina amiſit. Claudius Herminianus in Cappadociâ, cùm indignè ferens uxorem ſuam ad hanc ſectam tranſiſſe, Chriſtianos crudeliter tractaſſet; ſoluſque in Prætorio ſuo vaſtatus peſte, cùm vivus vermibus ebulliſſet, nemo ſciat, aiebat, nè ſpe gaudeant Chriſtiani. Tibi quoque optamus ſolam admonitionem fuiſſe, quòd cùm Adrumeticum Mavilum ad beſtias damnaſſes, ſtatim hæc vexatio ſubſecuta eſt.*

Nonnè Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium refert, in pœnam perſecutionis anteà illatæ Chriſtianis, ſeditionem Alexandriæ obortam, & peſtem, quæ bellum illud inteſtinum ſubſecuta eſt? *Iam*, inquit, *lamentationum plena ſunt omnia, propter multitudinem, cùm illorum, qui modò mortui ſunt, tùm horum, qui quotidiè moriuntur. Nam ſicut de primogenitis Ægyptiorum ſcriptum eſt, ſic & nunc ingens clamor editur; non enim eſt domus, in quâ non ſit mortuus: idque planè meritò: multa namque, & gravia incommoda, perdito eorum conatu, Chriſtianis etiam ante hoc tempus importata fuerant.*

Euſeb. hiſt. l. 7. c. 17.

Ruffinus etiam aſſerit, *Galerium Maximianum innumerâ vermium multitudine*

multitudine corroſum cum tàm intolerabili fœtore, ut nullus omninò, nè Ruffin.
Medicorum quidem poſſet propiùs accedere. Hinc pleroſque illorum, quòd hiſt. l. 8.
nec morbo aliquid mederi, nec vim fœtoris tolerare poſſent, interfici jubet. c. 18.
In his, cùm quidam jugulandus potiùs, quàm medicaturus aſſiſteret, Euſeb. hiſt. l. 8.
inſpiratus à Deo: Cur, inquit, Imperator, erras? & quod Deus infert, ab c. 28.
hominibus putas poſſe revocari? Nec humanus eſt iſte morbus, nec à medicis curatur. Sed recordare quanta in ſervos Dei egeris, quámque in Religionem Divinam impius, & profanus extiteris; & intelliges undè tibi poſcenda ſint remedia. Nam ego quidem mori cum cæteris potero; tu tamen à medicis non curaberis.

Maximinus quoque Chriſtianorum perſecutor *repentinâ Dei percuſſus* Euſeb.
eſt plagâ toto corpore; eique exilierunt oculi, & propriâ ſede elapſi eum hiſt. l. 9.
cæcum omninò reliquerunt. Ad extremum iſta propter amentiam, & temeritatem contra Chriſtum admiſſam, meritò ſe perpeti confeſſus, animam efflat. c. 8.

Multis aliis plagis percuſſi ſunt Ethnici ob impia facinora in Chriſtianos perpetrata; nec neceſſe eſt diutiùs exemplis referendis immorari;
cùm, uti anteà expoſuimus, *data ſint Angelo incenſa multa de orationi-* Apoc. 8.
bus Sanctorum omnium, antequàm ſeptem Angeli tubis clangerent, va- v. 3.
rias Ethnicis Chriſtianorum perſecutoribus plagas inuſturi. Hinc enim liquet Deum orationibus fidelium, ac præcipuè Sanctorum, tum ex Clero, tum ex populo, Martyrum, permotum, plagas illas, Angelorum ſuorum miniſterio inflixiſſe; atque iccirco Sanctos illos habuiſſe *poteſtatem percutiendi omni plagâ, quotieſcumque vellent, terram* Dæmonum cultui addictam, & piis Dei cultoribus adverſantem. Quæ enim erat voluntas,
& oratio fidelium, ſecundùm Deum viventium, & pro Deo occumben- Matth. 6.
tium, niſi ut ſubactis impiis, ſanctum haberetur apud omnes nomen v. 9. 10.
illius; fieretque voluntas ejus ſicut in Cœlo, & in terrâ? *Hoc votum eſt* Tertull. de
Chriſtianorum, inquit Tertullianus. or. Domin.

EXPLANATIO XLI.

Tempore perſecutionum, in plateis Romæ Ethnicæ, quæ multis de cauſis Sodoma, Ægyptus, & Ieroſolyma Chriſti interfectrix, dicitur, inſepulta jacebunt cum dedecore corpora Sanctorum Martyrum; ſed pace Eccleſiis redditâ, ſolemnes à fidelibus honores, utpote

Digitized by Google

Apocalypſis B. Ioannis Apoſtoli à Deo in Cœlum recepti, conſequentur : undè expaveſcent Infideles ; à ſeptimo ad duodecimum verſum Capitis undecimi Apocalypſis.

VERS. 7. Et cùm finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet adversùm eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.

℣. 8. Et corpora eorum jacebunt in plateis Civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.

℣. 9. Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus, corpora eorum per tres dies, & dimidium; & copora eorum non ſinent poni in monumentis.

℣. 10. Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & jucundabuntur; & munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant ſuper terram.

℣. 11. Et poſt dies tres, & dimidium Spiritus vitæ à Deo intravit in eos; & timor magnus cecidit ſuper eos, qui videbant eos.

℣. 12. Et audierunt vocem magnam de Cœlo, dicentem eis: Aſcendite huc; & aſcenderunt in Cœlum in nube; & viderunt illos inimici eorum.

Verſ. 7. *Et cùm finierint teſtimonium ſuum.*

Matth. 10. v. 18. CUM multi, tùm è Clero, tùm è populo Chriſtiano, *ducti ad Præſides, & ad Reges* Infideles, extremum conſtantiâ fidei ſuæ teſtimonium perhibuerint uni Deo, & filio ejus Jeſu Chriſto Domino noſtro,

Ex ℣. 7. *Beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet adversùm eos bellum.*

Imperator Ethnicus, tùm per ſe, tùm per ſuos miniſtros, tanquam ferox bellua, & commota à Dæmone furente ex abyſſo inferni, adversùs Deum, & adversùs Sanctos ejus, totis viribus expugnabit fidem, ac ſanctitatem devoti illius Cleri, & populi Chriſtiani.

Ex verſ. 7. *Et vincet eos, & occidet eos.*

Invictus quidem erit divinâ virtute illorum animus; & glorioſum de impietate triumphum aget: ſed ipſorum corpus, variis tormentorum generibus excruciatum, tandem fragilitate ſuâ conteretur, & occidet.

Ex verſ. 8. *Et corpora eorum jacebunt in plateis.*

Poſtquàm Imperatoris Ethnici juſſu interfecti fuerint ſive de Clero, ſive de populo fideles, *in plateis* tam intra, quàm extra mœnia urbium, in quibus mortem pro Chriſto ſubierint, *jacebunt* aliquandiù *eorum corpora*, ut ſint Infidelibus contemptui, ac ludibrio; Chriſtianis autem, ſi fieri poſſit, horrorem incutiant, & metum ingentem, nè parem exitum inhumanum obſtinatione ſuâ, ut loquuntur Ethnici, ſortiantur.

Ex verſ. 8. *Civitatis magnæ.*

Inhumana verò illa barbaries, & belluina feritas, quæ ſævit etiam in corpora Sanctorum, qui maluerunt mori, quàm in Deum peccare, graſſabitur pleriſque in locis Imperio Ethnico ſubjectis, quò pervenient Imperatorum Infidelium edicta; & ex urbe Româ, quæ eſt caput illius Imperii, cæteras in urbes erumpet. Propterea dicuntur Martyrum *corpora jacere in plateis Civitatis magnæ*, tametſi futurum ſit, ut in aliis etiam Civitatibus jaceant, quòd quidquid ubilibet fiebat juſſu, conſilio, & aſſenſu Romæ Imperatricis, jure merito dici queat factum Romæ, cujus authoritas illic vigebat; cujuſve homines, quocumque tandem loco degerent, privilegiis illius gaudentes, cenſebantur Cives Romani.

Etenim quòd *Civitas* illa, quam Beatus Joannes vocat *magnam*, ſit Roma, tunc Imperium Ethnicum tenens, & cauſa perſecutionum adversùs Chriſtianos toto orbe diffuſos, patet ex aliis locis Apocalypſis, fuſiùs ſuo tempore explanandis; nempe, *Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ; ebria de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Ieſu. Civitas magna, quæ habet Regnum ſuper Reges terræ: In ea ſanguis Prophetarum, & Sanctorum inventus eſt, & omnium, qui interfecti ſunt in terrâ.* Apoc. 17. v. 5. 6. 18. C. 18. v. 24.

Undè colligere eſt, ſi *ſanguis omnium Martyrum, qui interfecti ſunt, inventus eſt* in urbe Româ, tanquam ex quâ perſecutio in omnia terræ loca ei ſubdita graſſata eſt; conſequenter quoque dicuntur eorumdem Martyrum corpora *jacuiſſe in plateis Civitatis* illius *magnæ*; quippe quæ non jacuerint in aliarum Urbium plateis, niſi authoritate ſæviente illius Urbis primariæ.

Ex verſ. 8. *Quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma.*

Roma autem tunc temporis Ethnica, & Chriſtianorum perſecutrix atrociſſima, quæ alibi propter rationes ſuo loco referendas nuncupatur Babylon magna, appellatur nunc ſenſu allegorico *Sodoma.* Quippe ex Ezechiele Prophetâ, *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum ejus; & manum egeno, & pauperi non porrigebant; & elevatæ ſunt, & fecerunt abominationes coram me.* Ezech. 16. v. 49. 50.

Quis verò ex iis, qui hiſtoriam Auguſtam perlegerunt, ignorat ea fuiſſe vitia Romæ Ethnicæ Imperantis orbi; divitiis undequaque collectis affluentis; lautè, & opiparè quotidiè epulantis; ſpectaculis jugiter vacantis; omni luxui, ac laſciviei deditæ; & quodvis abominandum ſcelus perpetrantis?

An autem Romani tùm Ethnici ſubvenirent egenis, cùm, teſte Lactantio, *ſi homo eſuriat, ſitiat, algeat, ſuccurrendum eſſe non putent? Hinc eſt illa Plauti deteſtanda ſententia:*

Lactant. Inſtit. l. 6. c. 11.

Malè meretur, qui mendico dat quod edat:
Nam & illud, quod dat, perit;
Et illi producit vitam ad miſeriam.

At enim fortaſſe poëta pro perſonâ locutus eſt.

Quid Marcus Tullius in ſuis officialibus libris? Nonne hoc idem ſuadet, non eſſe omninò largiendum? Sic enim dixit: Largitio, quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit: ita bonitate benignitas tollitur, quâ quò in plures uſus ſis, eò minùs in multos uti poſſis. Et idem paulò poſt: Quid autem eſt ſtultius, quàm quod libenter facias, curare, ut id diutiùs facere non poſſis? Videlicet profeſſor ſapientiæ refrenat homines ab humanitate; monetque ut rem familiarem diligenter cuſtodiant, malintque arcam, quàm juſtitiam conſervare. Quod cùm intelligeret inhumanum eſſe, ac nefarium, mox ex alio capite, quaſi actus pœnitentiâ, ſic ait: Nonnumquam tamen eſt largiendum; nec hoc benignitatis genus omninò repudiandum; & ſæpe idoneis hominibus, egentibus, de re familiari eſt impertiendum. Quid eſt, idoneis? nempe iis, qui reſtituere, ac referre gratiam poſſint. Te igitur authore, ac præceptore juſtitiæ, quiſquis idoneus non erit, nuditate, ſiti, fame conficietur; nec homines copioſi, & uſque ad delicias abundantes, ſubvenient ultimæ neceſſitati.

Hæc Lactantius, quæ ſi iis rebus, quas ex hiſtoriâ Auguſtâ ſummariè retuli, conjungantur, fidem faciunt Romam tùm Ethnicam, de Imperio ſuperbientem, prædivitem, intemperantem, laſcivam, & flagitioſiſſimam, non abs re fuiſſe à Joanne comparatam Sodomæ, qualis hæc urbs nefanda ab Ezechiele deſcripta eſt.

Ex ℣. 8. *Et Ægyptus.*

Cum Ægypto etiam confertur Roma ut Ethnica. Siquidem prædixerat Dominus Abrahamo, quòd *peregrinum futurum eſſet ſemen illius in terrâ non ſuâ; & ſubjicerent eos ſervituti, ut affligerent.* Idque contigit, dum filii Iſraël cum patre ſuo *tanquam peregrini* excepti ſunt in Ægypto: cùm enim *multiplicati eſſent, ac roborati impleviſſent terram, Rex Ægypti ait ad populum ſuum, Ecce populus filiorum Iſraël multus, & fortior nobis eſt: venite, ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur; & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris. Propoſuit itaque eis magiſtros operum, ut affligerent eos oneribus; ædificaveruntque urbes Pharaoni Phiton, & Rameſſes; oderantque filios Iſraël Ægyptii; & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris*

Gen. 15. v. 13. Gen. 47. v. 4. Exod. 1. v. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 14. 15. 16.

Digitized by Google

duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premeban-tur. Hæc Scriptura ſacra.

At non modò Principes Apoſtolorum, & Patres populi Chriſtiani, Petrus, & Paulus Romam profecti ſunt tanquàm extranei, & peregrini, qui *non erant de mundo, ſicut* & Chriſtus *non* fuit *de mundo*: verùm etiam Joan. 17. v. 16.
fideles ab illis, tùm Romæ, tùm alibi inſtituti, cujuſcumque conditionis eſſent, non alios quàm peregrinos in terrâ ſeſe reputarunt. Iccirco Petrus aiebat: *Chariſſimi, obſecro vos tanquàm advenas, & peregrinos abſtinere vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſùs animam.* 1. Petr. 2. v. 11.
Paulus verò inquit: *Tempus breve eſt; reliquum eſt, ut qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*: 1. ad Cor. 7. v. 29. 31.
Quod ſanè peregrinorum eſt. Undè Tertullianus in Apologetico, quem conſcripſit Romæ pro Religione Chriſtianâ gentibus exoſâ, hæc loquitur: *Nihil illa de causâ ſuâ deprecatur,* Tertul. Apol. c. 1.
quia nec de conditione miratur: ſcit ſe peregrinam in terris agere: inter extraneos facilè inimicos invenire. Cæterum genus, ſedem, gratiam, dignitatem in Cœlis habere.

Cùm verò Chriſtiani plurimùm multiplicati fuiſſent, præſertim Romæ, undè *fides* illorum *ab initio*, & deinceps *annuntiabatur in univerſo mundo*, ad Rom. 1. v. 8.
tanquàm maximè inſignis in Urbe primariâ, Diocletianus, & Herculius Maximianus ejus collega, *qui*, inquit Baronius, *penitùs convellere Chriſtianam Religionem decreverant, ejus primùm vires infringere aggreſſi ſunt, Chriſtianos milites tollendo; nè, cùm in reliquos omnes publica eorum per orbem edicta ſævirent, ipſaque furens perſecutio graſſaretur, eſſent qui obſiſterent armati milites Chriſtiani; turbas cierent; & tumultuantes ſeceſſionem facerent, ac rebellarent.* Baron. an. 297. N. XXVII. Euſeb. hiſt. l. 8. c. 4.

Tempore autem *illo*, ſicuti refert idem Cardinalis, *quo Maximianus ex partibus Africæ rediit in urbem Romam, volens placere Diocletiano, ut in nomine ejus thermas ædificaret, cœpit ob invidiam Chriſtianorum omnes milites, ſive Romanos, ſive alterius gentis, ad afflictionem laboris compellere; & per varia loca alios ad lapides, alios ad arenam fodiendam damnare.* Baron. ann. 298. N. X. XI. XVII.

Ac rursùs idem Author, *omnes ubique legiones luſtratæ ſunt; & qui in eiſdem reperti Chriſtiani milites, exuti militiâ, ac penitùs exarmati, vincti Romam perducti, tanquam ſervi adſcriptitii thermarum operibus fuerunt mancipati. Thermis ſeptennio abſolutis, qui conſtantes in confeſſione nominis Chriſti perſtitere, nè laborum opere alleviati aliquid in Imperium molirentur, omnes numero decem millium ducentorum trium necati ſunt extra urbem ad guttam jugiter manantem.*

Euſebius etiam ait ſub Galerio Maximiano *innumerabilem ferè multitudinem eſſe eorum, qui ad æris metalla, in ſingulis Provinciis, non tàm miniſterii cauſâ, quàm afflictationis, & cruciatus fuere condemnati.* Euſeb. hiſt. l. 8. c. 14.

Potiſſimùm igitur propter illa opera ſervilia, graviſſima æquè ac moleſtiſſima, quibus condemnabantur ex Edicto Romanorum Imperatorum Chriſtiani, tùm Romæ, tùm aliis in locis Imperio Romano ſubditis, ipſa Roma præcipuè inter alias urbes Ethnicas appellata eſt Thermæ Dioclet. ex lateribus confectæ, videntur adhuc Romæ.

Ægyptus, quæ quondam ſimilibus operibus duris antiquum populum Dei vexavit.

Ex ✠.8. *Ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.*

Ieroſolymæ quoque, non quatenùs erat civitas à Deo electa, ut ibi nomen ejus ſanctiſſimum ab omnibus Judæis ſolemni ſacrificiorum ritu coleretur; ſed quatenùs in eâ Crucifixus eſt omnium Dominus, ipſa eadem Roma, tunc Ethnica, & Chriſtianorum perſecutrix, nomen habuit à Dilecto Chriſti Diſcipulo.

Matth. 27. v. 12. 18. Sicuti enim Ieroſolymis Sacerdotes Judæorum invidentes virtutibus
C. 26. Chriſti, à quo redarguebantur eorum vitia, commoverunt Pilatum Præ-
v. 65. ſidem Romanum, ut morti addiceret Chriſtum, tanquàm blaſphemum
Joan. 27. in Deum; adverſarium legis illius; *ſeductorem populi; perturbatoremve*
v. 7. *tranquillitatis publicæ, & inimicum Cæſaris:* ita perſæpè Sacerdotes genti-
Luc. 23. lium Romani impulerunt Imperatores Romanos, ut pœnam mortis de-
v. 2. 5. cernerent adversùs Chriſtianos, utpote blaſphemantes Majeſtatem Deorum; abrogantes, quantùm poſſent, ritus Religionis à patribus receptæ; diſſeminantes perverſam doctrinam; clades publicas impietate ſuâ inferentes; ac denique hoſtes Imperii.

Eas certè calumnias ab Ethnicis inuſtas Chriſtianis videre eſt in celeberrimis Authoribus, qui Apologias pro ſanctitate Religionis Chriſtianæ
Baron. ſcripſerunt; & Baronius notat perſecutionem à Diocletiano primis etiam
an. 286. Imperii ſui annis fuiſſe excitatam Romæ contra Chriſtianos Sacerdotum
N. xxxi. Ethnicorum ſuaſione. Quamobrem, referente eodem Cardinale, *San-*
N. xxiv. *ctus Sebaſtianus venientibus Imperatoribus dixit, iniquis ſurreptionibus animos Imperii veſtri templorum Pontifices obſident, ſuggerentes de Chriſtianis falſa*
N. xxvi. *commenta, tanquam illi ſint Reipublicæ adverſarii; & ad hoc Dominus meus Ieſus Chriſtus me reſervare dignatus eſt, ut conveniam, & conteſter vos coram omni populo injuſto judicio perſecutionem veſtram in Chriſti famulos ebullire.*

Luc. 23. Prætereà, quemadmodùm populus Ieroſolymitanus multoties *excla-*
v. 18. 21. *mavit, & inſtitit vocibus magnis; poſtulans ut crucifigeretur Chriſtus:* Sic
23. populus Romanus, cùm frequens conveniſſet in amphitheatra, ut gladiatorum prælia, reorumque cum leonibus, aliiſque feris certamina ſpectaret, plerùmque exclamabat contra Chriſtianos; expoſcebatque inſtanter, ut belluis in arenâ traderentur.

Tertul. *Statìm Chriſtianos ad leonem conclamant*, inquit Tertullianus; & ſpecia-
Apolog. tim obſervat Baronius ex actis Sancti Sabini Martyris Epiſcopi Spole-
c. 40. tani; *Cùm Maximianus Herculius Romæ eſſet, & in Circo maximo ſpectaret*
Baron. *Circenſes ludos, acclamatum eſt in Circo, Chriſtiani tollantur. Dictum eſt duo-*
an. 301. N. xviii. *decies. Iteratumque; Auguſte, Chriſtiani non ſint: clamatum decies. Ex*
xix. *quo factum eſt, ut perſecutio decreta ſit in Senatu; & Maximianus reſcriptum dederit, ut ubicumque Chriſtiani inventi fuerint, aut ſacrificare cogantur diis, aut pœnis intereant; facultatibuſque nudati, eadem fiſco cum tributis publicis ſocientur.*

Vlteriùs ſicuti prima perſecutio adversùs credentes in Chriſtum obor-

ta

ta eſt Ieroſolymis; & indè in alias Judæorum urbes perlata fuit: ita perſecutio gentium contra Chriſtianos prima excitata eſt Romæ. *Reperietis,* inquit Tertullianus, *primum Neronem in hanc ſectam, tùm maximè Romæ orientem, Cæſariano gladio ferociſſe*; ac poſtmodùm ex eâ urbe variorum Imperatorum edictis perducta eſt in cæteras Imperii Romani Civitates ea ferocitas adversùs cultores Chriſti.

Act. 8. v. 1. C. 9. v. 2. & deinceps. Tert. in Apolog. Euſeb. hiſt. l. 2. c. 24.

Poſtremò, cùm amantiſſimus Dominus factum ſibi reputet, quod fit credentibus in ipſum, *qui vos ſpernit, me ſpernit*, ait illis; & Saulo, fideles perſequenti, *quid me perſequeris?* dici poteſt Chriſtus crucifixus Romæ, non quidem in perſonâ ſuâ, ſicuti Ieroſolymis, ſed in pleriſque ſibi addictiſſimis: Quamobrem ipſemet Chriſtus Petro Româ egredienti occurrens dixit, *Venio iterùm crucifigi. Intellexit ergo Petrus, quòd iterùm crucifigendus eſſet Chriſtus in ſervulo: qui enim in ſeipſo jam pridem crucifixus fuerat, in Petro iterùm crucifigendum dicebat*, inquiunt Beatus Ambroſius, & Gregorius Magnus, uti refert Baronius.

Luc. 10. v. 16. Act 9. v. 4. Baron. an. 69. N. v1. v11. Ambroſ. in Auxent. Greg. Mag. in Pſ. 4. pœnit.

Verſ. 9. *Et videbunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies, & dimidium, & corpora eorum non ſinent poni in monumentis.*

Dies aliquando in Scripturâ uſurpatur pro anno, & tempore. Sic verba illa Oſee, *Vivificabit nos poſt duos dies; in die tertiâ ſuſcitabit nos*, ſi conferantur cum iis, quæ præcedunt, & ſequuntur, necnon aliis Prophetarum ſententiis, intelliguntur juxta ſenſum hiſtoricum de annis, ac temporibus excidii Jeruſalem, & Captivitatis Babylonicæ, quibus peractis futurum erat ut Judæi reverterentur in patriam ſuam; ibique priſtino ſplendori reſtituti Dominum unum colerent, ſpretis idolis, ob quæ extremas calamitates paſſi fuerant. Ita Chriſtus juxta vaticinium Iſaiæ ait de ſe ipſo, *Spiritus Domini miſit me prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis.*

Oſee 6. v. 3. Iſai. 61. v. 2. Luc 4. v. 19.

Item Paulus ex alio Iſaiæ oraculo, *tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies ſalutis.*

Iſai. 49. v. 8. 2. ad Cor. 6. v. 2.

Quamobrem ſicuti Joannes tres annos & dimidium, uti antè adnotavimus, perſecutionis adversùs Chriſtianos ſignificavit menſibus quadraginta duobus, & diebus mille ducentis ſexaginta; necnon per tempus, & tempora, & dimidium temporis, alluſione factâ ad perſecutionem Antiochi Epiphanis contra antiquum populum Dei, de quâ locutus eſt Daniel; ita nunc eoſdem tres annos, & dimidium anni ſignificat *per tres dies, & dimidium* diei.

Apoc. 11. v. 2. 3. C. 12. v. 6. 14.

Senſus igitur propoſiti loci Apocalypſis is eſt, quòd variarum nationum infideles tempore perſecutionum, quæ propter rationes antè dictas cenſebuntur durare *per tres dies & dimidium*, hoc eſt *per tres annos & ſemiſſem, videbunt in plateis corpora* Sanctorum Martyrum pro Chriſto interfectorum; nec ſinent pietate fidelium ſepulchris recondi.

Quàm id verum fuerit frequenter, liquet plurimis exemplis ex hiſtoriâ Eccleſiaſticâ depromptis, quorum unum, & alterum ſufficient.

Euſebius

Euſebius ex Epiſtolâ Eccleſiæ Viennenſis, & Lugdunenſis Eccleſiæ ad Aſiaticos de Martyribus Lugduni paſſis, inquit: *Corpora eorum, quos carceris peſtifer odor, & cruciatus ſuffocaverat, canibus laceranda objiciunt; ſtudioſeque nocte, & die obſervant, nè quiſquam è noſtris illa tumulis mandet. Tandem verò Martyrum in Amphitheatro interfectorum membra, quin etiam ſecuri percuſſorum capita unà cum corporum truncis collecta, dies complures ſimiliter militum excubiis inſepulta cuſtodiunt. Poſtquàm verò ſex dies continuos ſub dio jacuerunt, maximâ ignominiâ affecta, exuſta ſunt; & in cineres redacta ſparſa ſunt in Rhodanum, quò nullæ quidem illorum reliquiæ ampliùs ſuper terram reſtarent. Undè*, infert Euſebius, *quænam fuerint in reliquis provinciis eodem tempore facititata, conjecturâ aſſequi poterimus.*

Euſeb.hiſt. l. 5. c. 1.

Eodem Hiſtoriographo referente, *Maxys Tribunus* Cæſareæ in Palæſtinâ ſub Galerio Maximiano, *cadavera ſanctorum virorum ſub dio, ut à beſtiis dilaniarentur, noctu aſſiduè, & interdiu ſervari præcepit. Itaque non exiguum numerum hominum, multorum dierum ſpatio, huic immani, & barbaro mandato inſervientium cernere licebat. Quin etiam alii ex ſpeculâ, & loco edito, tanquàm operæ pretium facturi, nè cadavera ſurriperentur, ſedulò obſervabant. Itaque agreſtes beſtiæ, canes, & aves carnivoræ membra diſcerpſerunt humana; eaque huc illuc diſperſerunt; & tota Civitas undique viſceribus, oſſibuſque hominum conſtrata fuit.*

Euſeb hiſt. l. 8. c. 19.

℣. 10. *Et inhabitantes terram gaudebunt ſuper illos, & jucundabuntur, & munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant ſuper terram.*

Non dubium eſt quin Ethnici, qui Chriſtianos reputabant hoſtes Imperii, & authores omnis cladis publicæ, plurimùm lætarentur, dùm authoritate judicum in oculis totius plebis afficiebantur exquiſitis pœnis multi tùm de Clero, tùm de populo Chriſtiano, quos, uti antè fuſiùs explicui, Joannes appellat prophetas, utpote Spiritu Dei afflatos; expugnantes idololatriam; & cultum Dei promoventes: comparavitque illos Jeſu filio Joſedechi, & Zorobabeli; necnon Moyſi, & Eliæ.

Exultabant etiam plerumque gentiles, quòd Chriſtiani, quos infames cenſebant, privarentur honore ſepulturæ.

Teſtis eſt utriuſque illius Ethnicorum impiæ lætitiæ Epiſtola Eccleſiæ Lugdunenſis. *Præſes*, inquit, *beatos Martyres tanquàm ſpectaculum, & glorioſam pompam de illis multitudini præſtaturus, ad tribunal deduci jubet.* Dùm autem *corpora illorum dies complures militum excubiis inſepulta cuſtodiuntur, alii fremere, & dentibus contra eos frendere cœperunt, toto animo connitentes aliquam graviorem in ea exercere contumeliam. Nonnulli irriſione ludere, & falſos cachinnos tollere; ſummâque commendatione, & præconio idola ſua efferre; quibus quidem tanquàm authoribus pœnam, & ultionem Chriſtianorum acceptam retulerunt.*

Euſeb.hiſt. l. 5. c. 1.

Ex ℣. 10. *Et munera mittent invicem.*

Gentiles in ſignum publicæ lætitiæ de morte Chriſtianorum, quos publicos hoſtes exiſtimabant, ſibi invicem dapes ad epulandum, & congaudendum dono mittebant.

Non

Non dubitaverim etiam populos infenſiſſimos Religioni Chriſtianæ conſueviſſe deferre *munera* judicibus, qui homines ſectæ illius, & ſibi inimicos, ut putabant, morti condemnarent, vel condemnaviſſent.

Arbitror quoque urbes nonnunquam Legatos miſiſſe ad Imperatores Chriſtianorum perſecutores, ut eis gratias agerent; & in teſtimonium ſolemne grati animi *munera* ipſis inſignia præberent.

Viciſſim etiam Imperatores illi divitiis, honoribus, ac quibuſlibet beneficiis cumulabant eos, qui ardentiores ſeſe oſtenderant pro utilitate Reipublicæ contra Chriſtianos.

Hinc Hiſpania columnas erexit Diocletiano, & Herculio Maximiano, quòd Chriſtianum nomen, ut putabat, deleviſſent, quemadmodùm refert Baronius. Baron. an. 304. N. VIII.

Euſebius itidem narrat Antiochiam miſiſſe Legatos ad Maximinum Imperatorem, quibus eum rogaret ut juberet Chriſtianos ex urbibus expelli: Maximinum autem reſcripſiſſe, *ut intelligatis quàm grata nobis fuerit veſtra in hâc re petitio, animus noſter, qui eſt ad gratificandum paratiſſimus, abſque decretis, abſque poſtulatione, veſtris religioſis mentibus liberam cujuſcumque beneficii, & magnifici muneris pro iſto veſtro divino propoſito petendi facit poteſtatem. Iam ergo hoc petite, ut ſitis voti compotes; nam abſque morâ ipſum conſequemini.* Euſeb. hiſt. l. 9. c. 2. 6.

Verſ. 11. *Et poſt tres dies, & dimidium, Spiritus vitæ à Deo intravit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos.*

Ut hæc verba prophetica Sancti Joannis perſpicuè intelligantur, adnotare juvat ex ſacrâ Scripturâ quatuor mortis, & reſurrectionis genera.

Mors corporalis ex ſeparatione animæ à corpore; & reſurrectio corporalis poteſtate divinâ, dùm anima rurſùs corpori conjungitur. *Prodiit qui fuerat mortuus*, inquit noſter Evangeliſta de Lazaro reſuſcitato. Joan. 11. v. 44.

Mors ſpiritualis, quâ per peccatum anima ſeparatur à Deo ſummè Sancto; reſurrectio autem ſpiritualis, dùm anima rurſùs unitur Deo per gratiam: *Cùm eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, cujus gratiâ eſtis ſalvati, & conreſuſcitavit*, ait Paulus. ad Eph. 2. v. 5.

Tertium mortis genus civile eſt, dùm aliquis eſt deſpectui, & infamis cenſetur; reviviſcit verò civiliter, cùm ad priſtinum ſtatum honoris, & gloriæ revocatur. Sic Dominus Judæos tempore captivitatis Babylonicæ deſpectos, & vexatos comparat oſſibus aridis, & disjunctis plurimorum cadaverum jacentibus in campo; aitque Ezechiel ſe *prophetante factam commotionem, & acceſſiſſe oſſa ad oſſa, unumquodque ad juncturam ſuam.* Poſteà autem, ſicut *præceperat illi Dominus, dixit: A quatuor ventis veni, Spiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant.* Tùm, inquit Propheta, *ingreſſus eſt in ea* oſſa *Spiritus, & vixerunt; ſteteruntque ſuper pedes ſuos, exercitus grandis nimis valde*, in ſignum ſcilicet, ſicuti poſtmodùm declaratur, quòd Iſraëlitæ reducerentur à Domino in terram ſuam; ac priſtino ſuo honori, & robori reſtituerentur. Ezech. 37. à v. 1. ad 15.

Hervéus in Apocalypſim. Kk Parem

Parem reſurrectionem civilem, poſtquàm Imperatorum Ethnicorum perſecutiones deſierunt, & pax data eſt Chriſtianis beneficio Conſtantini Magni, Euſebius tùm proprio ſtylo, tùm ex verbis citatis Ezechielis, refert. *Deinceps*, inquit, *celebre ſpectaculum, nobis omnibus optabile, & vehementer deſideratum, ante omnium oculos proponebatur: dedicationum ſcilicet feſtivitates per urbes ſingulas; templorum nuper exædificatorum conſecrationes; frequentes Epiſcoporum in unum conventus; peregrinorum longè ab exteris regionibus accedentium concurſus; mutua populi in populum benevolentia; propterea quòd membra corporis Christi in unam quaſi harmonia, & concentus conſpirationem coibant. Quapropter aptè admodum, & convenienter oraculo Prophetico, quod futurum erat, myſticè præſignificanti, os ad os, & junctura ad juncturam coaleſcebat, & alia ejus generis, quæ divinus ſermo per obſcura quædam, & involuta ænigmata deinceps verè profatus eſt in eandem ſententiam. Vna erat ſacri Spiritus virtus, & potentia, quæ per univerſa Eccleſiæ membra permeavit; una omnium mens, & ſententia; una, & eadem fidei propenſio, & ſtudium; una ex omnium ore, & conſentiens Divinitatis laus.*

Euſeb. hiſt. l.10. c.3.

Quartum mortis, & reſurrectionis genus ex Religione eſt, dùm Sancti Martyres, qui pro Deo, & Chriſto occubuerunt, exiſtimantur ab impiis Ethnicis penitùs extincti; & ab ipſis extremo dedecore afficiuntur: ſed miraculis, quæ edunt poſt mortem, palàm demonſtrant ſe apud Deum, & Chriſtum vivere; necnon à piis Dei, & Chriſti cultoribus ſacros, ac publicos honores paſſim conſequuntur.

Sic Sanctus Ambroſius ad ſororem ſuam referens ſermonem, quem ad populum habuit de inventione corporum Sanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii: *Non immeritò*, inquit, *plerique hanc inventionem Martyrum Reſurrectionem appellant. Videte tamen utrum ſibi, an nobis certi Martyres reſurrexerunt. Cognoviſtis, immò vidiſtis ipſi multos a dæmonis purgatos; plurimos etiam, ubi veſtem ſanctorum manibus contigerunt, iis, quibus laborabant, debilitatibus abſolutos; reparata vetuſti corporis miracula, quò ſe per adventum Domini Ieſu gratia terris major infunderet, umbrâ quadam ſanctorum corporum pleroſque ſanatos. Quanta oraria jactitantur? Quanta indumenta ſuper reliquias ſacratiſſimas ex tactu ipſo medicabilia repoſcuntur? Gaudent omnes extremâ lineâ contingere; & qui contigerit, ſalvus erit. Gratias tibi, Domine Ieſu, quòd hoc tempore tales nobis Sanctorum Martyrum Spiritus excitaſti.* Hæc Ambroſius, quæ reſurrectionem religioſam innuunt.

S. Ambr. ep.85.

Apoc.20. v.4. 5. Nonne & Beatus Joannes Apocalypſis capite vigeſimo, inquit? *Vidi animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu; & vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis. Hæc eſt*, addit Joannes, *reſurrectio prima*, nempe religioſa ex charitate Chriſti erga Sanctos Martyres, quos palàm apud homines miraculis clarificat; & ex pietate fidelium, qui congruis illos propter Chriſtum honoribus proſequuntur; eamque reſurrectionem religioſam duraſſe mille annis ad literam, ut ſonant hæc verba, perſpicuè,

ſpicuè, Deo dante, explicabo, ſenſu Catholico, & hiſtorico, qui plurimùm remotus erit à Millenariorum errore. Nam de Reſurrectione corporali omnium, & ſingulorum hominum in conſummatione ſæculi, Sanctus Joannes loquitur poſt hæc eodem capite vigeſimo, verſu duodecimo, & decimo tertio, *mare, mors, & infernus dederunt mortuos ſuos, & judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum.* Apoc. 20. v. 12. 13.

Itaque verborum Apocalypſis, quæ nunc explicare debeo, *& poſt tres dies, & dimidium, ſpiritus vitæ à Deo intravit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos*, ſenſus eſt, poſtquàm terminatæ fuerint Ethnicorum Imperatorum perſecutiones, quarum duratio propter rationes antè dictas ſignificata eſt *per tres dies, & dimidium*, ideſt, tres annos, ac ſemiſſem; in Sanctos Martyres, quorum corpora ita deſpiciebantur à paganis, ut hi pleruraque *non ſinerent ea in monumentis poni, ſpiritus vitæ à Deo intravit*, quatenùs Dominus vim ſpiritualem, ac divinam illis contulit etiam poſt mortem ſuam edendi miracula, quibus pateret illos verè, ac ſanctè, & beatè apud Deum vivere; *& ſteterunt ſuper pedes ſuos* in ſignum vitæ illius novæ ab ipſis receptæ; quippe ab Ethnicis dejecti fuerant ac omni tormentorum, & ludibriorum genere attriti; quòd in Chriſtum Dei filium pro ſalute generis humani paſſum, ac viventem in ſæcula ſæculorum crederent: at Chriſtus miraculis ab illo per ipſos editis oſtendit ſe illos vitæ ſuæ, ac gloriæ perennis participes effeciſſe; necnon Imperatores ad Chriſtianam Religionem converſos Spiritu ſuo Divino permovit, ut iiſdem Martyribus propter ipſum publicos, ac ſolemnes honores decernerent.

Ita profectò Euſebius teſtatur *Conſtantinum* Magnum *Civitatem ipſius nomine nuncupatam permultis templis, hoc eſt præclariſſimis Eccleſiis, in honorem Martyrum adornaſſe; quæ partim in ſuburbibus erant, partim in ipſâ urbe, quibus tùm Martyrum celebravit memorias; tùm ipſam urbem Martyrum Deo conſecravit.* Euſeb. de vitâ Conſtant. l. 3. c. 47.

In eâ etiam *urbe ſui cognominis Apoſtolorum templum ad perpetuam illorum memoriam conſervandam ædificavit; & providens fore ut defunctus quoque precationum, quæ ibidem eſſent ad Apoſtolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur, cappas duodecim, quaſi ſacras quaſdam columnas, ad Apoſtolici collegii honorem, memoriamque attollens, medium inter ipſos conditorium ſuum*, ſive ſepulchrum, *locabat.* Euſeb. Conſt. vitæ l. 4. c. 58. 60.

Martyrum quoque domum, ait adhuc Euſebius, *incredibili, & optimo ſtudio Hieroſolymis coædificavit.* Euſeb. Conſt. vitæ l. 4. c. 40.

Civitates item, quæ apud cæteras gentes videbantur, vel maximè propter ſplendorem excellere, templis egregiis, magnificiſque exornandas curavit. L. 3. c. 49.

Ex verſ. 11. *Et timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos.*

Qui ex Ethnicis in ſua impietate perſiſtebant, & erant, ut dicitur verſu ſequenti, *inimici* Sanctorum Martyrum, videntes illos ab omnibus in Chriſtum credentibus, & ab ipſo Imperatore Chriſtiano tantâ

Digitized by Google

celebritate coli, timuerunt valdè, nè punirentur, quòd anteà in illos Martyres implacabili odio exarſiſſent; exquiſitis quibuſvis tormentorum generibus excruciaſſent ipſos; ac poſt mortem etiam immaniter pertractaſſent; ludibrioque, ac ignominiâ affeciſſent.

Ruffin. hiſt. l. 9. c. 10. Hinc Ruffinus, *cùm*, inquit, *apertâ indulgentiâ legitimorum Principum, Eccleſiarum ſtatus multò etiam clarior eſſet, quàm priùs fuerat, tùm inimicis pœnitudo ultima atrocitatis, & crudelitatis ſuæ fiebat, ita ut puderet eos aſpectus ipſe publicus; nec elevare oculos in hominum faciem auderent.* Hæc Ruffinus.

Timuerunt quoque vehementer pagani, nè cultus Deorum ſuorum brevi penitùs aboleretur, cùm ii, qui pro illo abolendo mortem oppetierant, tantam conſecuti eſſent etiam ab Imperatore, penes quem erat ſumma rerum poteſtas, venerationem.

Et ſanè Conſtantinus dùm venerabatur Martyres propter Chriſtum, cujus Divinitatem teſtificati fuerant, idololatriam ubique comprimebat, ut videre eſt multis locis apud Euſebium: unum duntaxat referam ex

Euſeb. Conſt. vitæ l. 4. c. 23. vitâ Conſtantini. *Omninò*, inquit, *omnibus Romano Imperio ſubjectis gentibus, & legionibus idololatriæ fores clauſæ erant; repreſſumque quodvis idolis ſacrificandi genus. Etiam ad ipſos gentium Præfectos Imperatoris nutu, & voluntate edictum perlatum eſt, ut illi perindè Dominicum diem venerarentur. Iidem conſecratos Martyribus dies honore proſequebantur; & feſtorum ſolemnitates in Eccleſiis celebrabant.*

Verſ. 12. *Et audierunt vocem magnam de Cœlo dicentem eis, Aſcendite huc.*

Animæ Sanctorum Martyrum, ſtatim atque ſuis corporibus fuerunt ſolutæ, aſcenderunt quidem in Cœlum, ut felicitatem Cœleſtem, &

Tert. de patient. c. 13. æternam conſequerentur. Unde Tertullianus martyrium dixit *experimentum felicitatis, divinæ ſedis aſcenſum*: ſed quia perſecutionum tempore non licebat Chriſtianis Beatos illos Martyres palam, & ſolemni ritu venerari; ac conſequenter ſancti illi honore iſto externo, civili, & religioſo, qui eis meritò debebatur, privati erant, quaſi eorum animæ non evolaſſent in Cœlum, nec Cœleſtem beatitudinem fuiſſent aſſecutæ, Joannes refert quòd *audierint vocem magnam de Cœlo dicentem eis*, ut illuc *aſcenderent*, quò ſignificet Dominus ſe velle, ut in terris ab hominibus juſtos honores percipiant, ſicuti decet Spiritus in Cœlum receptos, & felicitate perfruentes Cœleſti.

Ex verſ. 12. *Et aſcenderunt in Cœlum in nube.*

Sicuti Joannes, Ezechielem de Judæis è captivitate Babylonicâ priſtinæ gloriæ reſtituendis imitatus, Sanctorum Martyrum, qui priùs ab Ethnicis deſpiciebantur, cultu ſolemni paſſim honorandorum reſurrectionem civilem, ac religioſam expreſſit verbis metaphoricis ex reſurrectione corporali deſumptis, cùm dixit *ſpiritus vitæ intravit in eos*; ita nunc eorumdem Martyrum aſcenſionem civilem, ac religioſam ex publicâ hominum exiſtimatione, & teſtificatione quòd animæ illorum ſint

jam

jam in Cœlum receptæ, declarat allegoriâ ductâ ex Chriſti, quæ præteriit, & Sanctorum, quæ futura eſt, aſcenſione in Cœlum corporali: Act. 1. v. 9.
Aſcenderunt, inquit, *in Cœlum in nube*; & Lucas de Chriſto, *nubes ſuſcepit eum*; ac Paulus de ſe, & Sanctis, *rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aëra*. 1. ad Theſſ. 4. v. 17.

Nec abs re Joannes uſus eſt eâ allegoriâ: Quippe, cùm Sancti Martyres Chriſto *compaſſi ſint*, æquum fuit ut *conglorificarentur*; ac ideò ad Rom. 8. v. 17.
conſentaneum erat ut aſcenſio ipſorum religioſa, ſeu gloria externa, quæ eis defertur, propterea quod animæ illorum creduntur in Cœlo beatæ, verbis ad aſcenſionem Chriſti Domini relatis ſignificaretur.

Deindè honor ille exterior, qui Sanctis Martyribus exhibetur, ſignum eſt haud dubium, quod corpora illorum, quocumque tandem loco nunc ſint, aliquando reſurgent *in gloriâ*; atque *in nubibus rapientur cum Chriſto* in Cœlum. 1. ad Cor. 15. v. 43.

Ex ✠. 12. *Et viderunt illos inimici eorum.*

Dùm Ethnici *Martyrum* Lugduni paſſorum *corpora*, quæ *ſex dies continuos ſub dio jacuerant maximâ ignominiâ affecta, exuſſere, atque in cineres redacta ſparſerunt in Rhodanum*, referente Euſebio, *arbitrati ſunt illis regenerationem corporum prorsùs eripere; aiebantque: Freti ſpe reſurrectionis, non ſolùm peregrinam quandam, & novam nobis induxerunt Religionem; verùm etiam neglexerunt penitùs tormenta; & prompto, atque alacri animo ad mortem properarunt. Iam videamus, utrùm ſint reſurrecturi; & utrùm illorum Deus ipſos juvare, & è manibus noſtris eripere poſſit.* Euſeb. hiſt. l. 5. c. 1.

Nonnumquam etiam Martyrum corpora præcipitabantur ab Ethnicis tùm in flumina, tùm in mare, *nè, ut eorum ferebat opinio, quidam eos in ſepulchris, & monumentis conditos, Deos eſſe reputantes, divinâ veneratione proſequerentur.* Euſeb. hiſt. l. 8. c. 6.

At, quemadmodùm Joannes Apocalypſis primo capite dixit de Chriſto, *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt; & plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.* Apoc 1. v. 7.

Sic, dùm reipsâ ſuſcitabuntur Sanctorum Martyrum corpora, & beatis illorum animabus iterùm conjuncta, in Cœlos cum Chriſto evehentur; ii, qui illos anguſtiaverunt, ut ait Sapiens, *videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intrà ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtiâ ſpiritus gementes, hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: Ecce quomodò computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt.* Sap 5. v. 2. 3 4. 5.

Interim Ethnici quàm plurimi, qui tempore perſecutionis Sanctos Martyres quibuſlibet tormentis, ac ludibriis affecerant, viderunt pace Eccleſiis redditâ ſolemnes honores, quibus ubique fideles vitam illorum ſanctè actam, mortem in conſpectu Domini pretioſam, & perennem in Cœlo felicitatem ſunt proſecuti.

EXPLANATIO XLII.

Verſus decimitertii capitis undecimi Apocalypſis, de terra motu Hieroſolymitano, cùm Iudæi tentarent Templum reædificare, ſub Iuliano Apoſtatâ.

VERS. 13. Et in illâ horâ factus eſt terræ motus magnus; & decima pars Civitatis cecidit; & occiſa ſunt in terræ motu nomina hominum ſeptem millia; & reliqui in timorem ſunt miſſi; & dederunt gloriam Deo Cœli.

Verſ. 13. *Et in illâ horâ factus eſt terra motus magnus.*

MULTIS Scripturæ locis docemur horæ vocabulo non intelligi tantùm partem illam diei determinatam, quæ propriè dicitur hora, de quâ Chriſtus, *nonne duodecim ſunt horæ diei?* (Joan. 11. v. 9.) ſed etiam multò majus tempus, cui propterea attribuitur nomen horæ, quòd ex multis horis coaleſcat. Sic Chriſtus, ut plura facilè cuique obvia prætermittam, diſcipulos alloquens, inquit, *venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* (Joan. 16. v. 2.) Hora illa tempus eſt multos dies, menſes, & annos, in quibus Apoſtoli, aliique diſcipuli interficiendi erant, complectens.

Ita cùm dicit Joannes, *in illâ horâ factus eſt terra motus magnus*, intelligendus eſt eo tempore, nimirùm illo, de quo locutus eſt immediatè verſu præcedenti, *& aſcenderunt in Cœlum in nube, & viderunt illos inimici eorum:* (Apoc. 11. v. 12.) & ſenſus eſt juxta præcedentem noſtram eorumdem verborum explanationem, tempore, quo gentiles, Martyrum inimici, viderunt illos Imperatorum Chriſtianorum edictis ſolemnes honores à fidelibus conſequi, tanquam in Cœlum receptos, & beatos, *factus eſt ille terra motus*, cujus effectus ſingulares hoc verſu deſcribuntur.

Senſum illum confirmare juvat monimentis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Etenim, quantâ fieri poteſt, perſpicuitate explicaturus ſum terræ motum iſtum de eo, qui plurimos Judæos, cùm templi Hieroſolymitani inſtaurationem molirentur, abſumpſit. At Julianus Apoſtata non conceſſit Judæis id moliri, niſi ex odio, quo in Chriſtum, ejuſque Martyres, & Chriſtianam Religionem exardeſcebat.

Cùm

Cùm Iulianus videret, inquit Socrates, *Chriſtianos magno honore proſequi illos, qui, regnante Diocletiano, Martyrio occubuiſſent; cumque pro certo cognoſceret complures prompto, & alacri animo ad Martyrium velle contendere; ille, perindè quaſi Chriſtianos eſſet ab hoc beneficio repulſurus, aliâ viâ ad eos affligendos aggreditur.* Socrat. hiſt. l. 3. c. 10.

Sozomenus quoque, *non propterea Iulianus miſertus eſt Chriſtianorum, quòd clementior fuit iis, qui jam antè Eccleſiam perſecuti fuiſſent; ſed quòd ex præteritis rebus comperit ſupplicia Chriſtianis irrogata, nihil ad confirmandam gentilium religionem attuliſſe adjumenti; ſed eo pacto fidem Chriſtianam maximè auctam eſſe; & fortitudinem eorum, qui pro illâ mortem oppetiverant, multò plùs ſplendoris, & gloriæ conſecutam.* Sozomen. l. 5. c. 4.

Porrò autem (verba ſunt Socratis, & Theodoreti) *dùm Chriſtianos alio quodam modo divexare contenderet, contra verum Dei cultum rabiem exercere non deſtitit. Nam Iudæos contra verè Chriſtianos armavit. Ac primùm eos in unum coactos interrogat, quid ſit cauſa, cur, cùm lex hoſtias immolare præcipiat, illi non immolent? Atque, ut primùm reſponderunt unum locum ad cultum præſcriptum eſſe, illicò ipſe Dei hoſtis Iulianus jubet templum dirutum de integro extrui, qui exiſtimabat, (quæ ejus fuit inſcitia) prædictionem Domini ſe poſſe eludere.* Socrat. hiſt. l. 3. c. 17. Theodor. hiſt. l. 3. c. 17.

Cùm ſciret etiam Julianus, referente Sozomeno, *quòd Iudæi capitali odio Chriſtianos proſequerentur, propterea laboratum eſt ab eo, ut cultu, atque obſervantiâ, quâ erga Iudæos uſus eſt, Chriſtianos, quos oderat, graviter angeret.* Sozom. hiſt. l. 5. c. 21.

Ex verſ. 13. *Factus eſt terra motus magnus.*

Iudæi, inquit Ruffinus, *acceptâ à Iuliano reparandi templi licentiâ, in tantum inſolentiæ pervenerunt, ut aliquis eis Prophetarum redditus videretur. Igitur ex omnibus locis, atque provinciis convenere Iudæi, locum Templi olim igne conſumpti aggredi cœpere. Comite properandi operis ab Imperatore conceſſo, ſumptu publico, & privato res omni inſtantiâ gerebatur. Intereà inſultare noſtris, & velut reparatis ſibi regni temporibus, comminari acriùs, ac ſævitiam oſtentare; prorſus immani tumore, & ſuperbiâ agere.* Ruffin. hiſt. l. 10. c. 37.

Tum denique, addit Socrates, *minari cœperunt, ſe non minora Chriſtianis incommoda illaturos, quàm quæ ipſis olim à Romanis accidiſſent.* Socrat. hiſt. l. 3. c. 17.

Gentiles quoque, uti refert Sozomenus, *licet Iudæis infenſi, in hujus laboris ſocietatem venerunt, propterea quòd hoc modo perſuaſum habebant ſe ſuum conatum poſſe perficere; & Chriſti prædictiones perſpicuè falſas oſtendere. Iudæi autem & idem ipſum cogitabant.* Sozom. l. 5. c. 21.

Apertis igitur fundamentis, ait Ruffinus, *nihil omnino deerat, quin die poſterà, veteribus deturbatis, nova jacerent fundamenta; cùm tamen Cyrillus Hieroſolymis Epiſcopus, diligenti conſideratione habitâ, vel ex iis, quæ in Danielis Prophetâ de temporibus legerat, vel quæ in Evangeliis Dominus prædixerat, perſiſteret, nullo genere fieri poſſe, ut ibi à Iudæis lapis ſuper lapidem poneretur. Res erat in expectatione.* Ruffin. hiſt. l. 10. c. 37.

Et ecce, ſubjungit Ruffinus, *nocte, quæ ad incipiendum opus jam ſola reſtabat* Ruffin. hiſt. l. 10. c. 38.

reſtabat , terra motus ingens oboritur ; & non ſolùm fundamentorum ſaxa longè , lateque jactantur , verùm etiam totius loci penè ædificia complanantur.

Socrat. hiſt. l. 3. c. 17. Paria refert Socrates , cùm ait , *noctu ingens terræ motus excitatus , lapides veterum templi fundamentorum concuſſit ; omneſque unà cum ædificiis in proximo ſitis diſturbavit.*

Sozom. l. 5. c. 21. Itidem Sozomenus ; *dicitur terræ motus ingens factus eſſe ; & lapides terræ conquaſſatione è ſolo ejecti.*

Theodoretus verò , *terræ motum* , non *ingentem* tantùm , ut Ruffinus, Socrates , & Sozomenus , ſed *maximum* aſſerit *factum eſſe.*

Ex verſ. 13. *Et decima pars Civitatis cecidit.*

Ruffin. hiſt l. 10. c. 38. *Eo terræ motu* , inquit Ruffinus , *non ſolùm fundamentorum ſaxa longè, lateque jactantur , verùm etiam totius loci penè ædificia complanantur. Porticus quoque publica , in quibus Iudæorum multitudo , quæ operi videbatur inſiſtere, commanebat , ad ſolum deducta.*

Sanctus autem Joannes ſpatium illud omne , quod eo terræ motu excuſſum eſt , videtur deſignaſſe caſu partis , quæ quondam erat *decima*

Socr. hiſt. l. 3. c. 17. *pars Civitatis* Ieruſalem. Quippe, referente Socrate , *Iulianus præcepit ut templum Salomonis de integro reſtitueretur.* Everſa autem ejus fundamenta,& ædificia in proximo ſita , necnon porticus , in quibus magna pars , hoc eſt plura millia Iudæorum operi inſiſtentium commanebant , dejectæ , indicant propemodùm ſpatium non ſolùm antiqui templi , ſed etiam atriorum ejus,prout illa , cùm ſtarent, Joannes multoties viderat. Totum verò illud ſpatium templi , & atriorum ejus erat quaſi decima pars Civitatis Ieruſalem.

Adrichomius deſcription. Ieruſ. n. 1. Etenim Adrichomius *deſcriptione Ieruſalem , ſicut Chriſti tempore floruit,* aſſerit *Hieroſolymam validiſſimis portis , turribus , muris , & foſſis , item templo , palatiis , præclariſque ædificiis munitam , & exornatam , tempore Salomonis , aliorumque Regum Iuda , habuiſſe circuitum quinquaginta ſtadiorum :* at poſtquàm everſa eſt à Babyloniis , Zorobabel primò templum extruxit ; deinde *Nehemias urbem portis , turribus , validoque muro cinxit ambitu triginta trium ſtadiorum.* Undè *Titus eam expugnaturus , circumdedit muro triginta novem ſtadiorum.*

Adrichomius deſcr. Ieruſ. n. 102. Jam verò idem author , ubi diſſeruit de Templi Sancto Sanctorum, ubi erat Arca; de Sancto , ubi erat Candelabrum ; de Atrio Judæorum, quod fuit poſt altare holocauſtorum ; agit de atrio gentium, quod atrium exterius , & quartam partem templi vocat , quodque *ingredi poterant omnes Iudæi , etiam immundi , inſuper & alienigenæ gentes* ; aitque , *circumquaque erat continua porticus triginta cubitos lata , quæ intrinſecùs excelſis undique marmoreis ſuffulciebatur columnis , & deſuper laquearibus Cedrinis tegebatur ; cujus omnis gyrus quatuor ſtadia continebat.*

Quod cùm ita fuerit , patet gyrum illum quatuor ſtadiorum , in quo erat templum , fuiſſe circiter decimam partem triginta trium ſtadiorum, quibus circuitus Jeruſalem poſt captivitatem Babylonicam continebatur:

atque

atque iccitco Beatus Joannes, cùm ait *terra motu decimam partem Civitatis cecidiſſe*, indicavit partem illius Civitatis, in quâ quondam erat templum cum atriis ſuis, quod Judæi ſub Juliano Apoſtatâ ædificare moliebantur, immiſſo divinitùs terræ motu fuiſſe everſam, ut irritum eſſet Impiorum illorum contra Divina Chriſti oracula conſilium.

Si quis tamen fortaſſis nimiùm contentioſus objiceret, quatuor illa ſtadia excedere decimam partem triginta trium ſtadiorum circuitus Jeruſalé, reſponderem primò Beatum Joannem ex Divinâ revelatione percepiſſe non majorem partem quàm decimam illius civitatis ex præfato motu concuſſam; ac propterea illam partem decimam determinatè protuliſſe.

Secundò non eſt neceſſe in his loquendi formulis,quas Scriptura more humano refert,intelligere proportionem ad amuſſim mathematicam, quæ nec excedat tantiſper, nec paululùm deficiat; ſed ſufficere proportionem moralem,quæ vel paulò majorem,vel paulò minorem quantitatem indicet: nam in quantitate pauliſper majore reperitur ipſa, quæ deſideratur exacta quantitas; ideoque quamvìs exceſſus ille modicus reticeatur, nil falſi dicitur. Ita paulò minor quantitas exhibet, non quidem completam quantitatem, ſed ſaltem inchoatam, ac proximè accedentem.

Tertiò denique conjicio in Scripturâ ſacrâ rationem, quæ novi Teſtamenti Prophetam,omnes ferè Apocalypſis ſuæ ſententias ex veteri Teſtamento depromentem, potuit movere, ut aſſereret decimam, potiùs quàm aliam, partem antiquæ Ieruſalem cecidiſſe eo motu, quo concuſſa eſt illius civitatis pars, in quâ templum, ejuſque atria olim conſiſtebant; & ubi impii Iudæi partìm parabant templum denuò ædificare, partìm commanebant, ædificium illud, ſi poſſent, effecturi.

Nempe parte illâ Civitatis Hieroſolymitanæ decimâ Sanctus Ioannes deſignare voluit partem illius urbis potiſſimùm dicatam Domino,ejuſque cultui, propter templum in illâ ſitum, conſecratam.

Ezechiel quidem illam Hieroſolymorum partem,in quâ Iudæi è captivitate Babylonicâ reverſi, templum iterùm ædificaturi erant, vocat *primitias Domino. Cùm cœperitis*, inquit, *terram dividere, ſeparate primitias Domino, ſanctificatum de terrâ; & in ipſo erit templum, ſanctumque ſanctorum. Sanctificatum de terrâ erit Sacerdotibus miniſtris Sanctuarii; & erit eis locus in domos, & in Sanctuarium ſanctitatis.* Ezech. 45. v. 1. 3. 4.

Propterea verò illam Ieroſolymorum partem, in quâ futurum erat templum, Ezechiel nuncupat *primitias Domino*, quòd ſicuti prædeceſſores Iſraëlitæ offerebant juxta legem primitias fructuum Domino, tùm in tabernaculo Moſaïco, tùm in templo Salomonico, tanquam gratiam referentes Divinæ Majeſtati, quæ ipſos ex Ægyptiacâ ſervitute per deſertum introduxerat in terram, è quâ fructus optimos uberrimè colligebant; ita Dominus per Ezechielem Prophetam vellet, ut Iudæi è captivitate Babylonicâ reduces in terram ſuam, primùm, & ante omnia ei offerrent illam terræ ſuæ partem, in quâ priùs ædificatum erat templum; ac ſtatìm poſtpoſitis omnibus aliis curis, præcipuè intenderent ad in- Deuter. 26. à v. 1. ad 11.

ſtaurationem templi, gratias agentes Domino, quòd illos in terram illam benignitate ſuâ reduxiſſet. Quod cùm non facerent poſteà ingrati illi è Babylone revocati, graviter reprehenſi ſunt ab Aggæo Prophetâ; *Populus iſte dicit, nondùm venit tempus domus Domini ædificandæ; & factum eſt verbum Domini, dicens: Numquid tempus vobis eſt, ut habitetis in domibus laqueatis; & domus iſta deſerta?*

Aggæi 1. v.2.3.4.

Eam igitur ob rationem, quam retuli, Ezechiel partem Hieroſolymorum, in quâ futurum erat templum, nuncupat *primitias Domino* offerendas ex terrâ, in quam iterùm introducendi erant à Domino Iudæi.

Aliam autem ob rationem Ioannes eamdem urbis Ieruſalem partem, in quâ extructum fuerat templum, vocat partem illius Civitatis decimam.

Gen.28.à v.12.ad finem.

Nimirùm cùm *Iacob vidiſſet in ſomnis Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes per ſcalam à terrâ Cœlum tangentem, & Dominum dicentem ſibi, terram, in quâ dormis, tibi dabo, & ſemini tuo: & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ, evigilans ait: Non eſt hîc aliud niſi domus Dei; unde appellavit locum illum Bethel; erexitque ibi lapidem in titulum; ac cunctorum, quæ Dominus illi daret, vovit decimas ipſi oblaturum. Iuſſu etiam Domini ædificavit poſteà ibi altare; & appellavit nomen loci illius, domus Dei.*

Gen.35.à v.1.ad 7.

1.Paral.21.

At, cùm David vidiſſet Angelum Domini inter Cœlum, & *terram juxta aream Ornan Iebuſæi, & evaginatum gladium in manu ejus, & verſum contra Ieruſalem, ut percuteret illam peſtilentiâ, ceciderunt tàm ipſe, quàm majores natu, veſtiti ciliciis, & proni in terram;* & Deum precatus eſt. Angelus *autem Domini præcepit Gad Prophetæ, ut diceret Davidi, ut extrueret altare Domino Deo in areâ Ornan Iebuſæi. Et ædificavit ibi altare Domino; obtulitque holocauſta, & pacifica; & invocavit Dominum; & exaudivit eum in igne de Cœlo ſuper altare holocauſtorum; præcepitque Dominus Angelo; & convertit gladium ſuum in vaginam. Dixitque David, hæc eſt domus Dei, & hoc altare holocauſtorum.* Poſtmodùm *Salomon ædificavit domum Domini in Ieruſalem in monte Moria, qui demonſtratus fuerat David patri ejus in loco, quem paraverat David in areâ Ornan Iebuſæi.*

1.Paral. 22.v.1.
2.Par.3. v.1.

Itaque, cùm Salomon ædificaverit templum ubi pater ejus viderat Angelum; extruxerat altare; obtulerat ſacrificia; & locum illum nuncupaverat domum Dei, quemadmodùm Jacob locum, in quo viderat Angelos, appellavit domum Dei, & ædificavit ibi altare; quid ſupereſt in tantâ conformitate pietatis David, & Jacob, niſi ut exiſtimemus quòd, ſicuti Jacob vovit inibi Domino decimas cunctorum, quæ haberet, ita David locum, in quo futurum erat templum, dedicaverit Domino, ut ei eodem in loco offerrentur à populo ſuo omnium decimæ; necnon ipſemet David obtulerit Domino eundem locum tanquam decimam totius urbis, quæ erat caput regni ſui? Ac propterà Joannes illam Hieroſolymorum partem, in quâ templum Salomonis fuerat, quæque

co

eo terræ motu, de quo agitur, concuſſa eſt, dixerit *decimam partem Civitatis?*

Ex verſ. 13. *Et occiſa ſunt in terra motu nomina hominum ſeptem millia.*

Teſtatur Theodoretus, *Multa millia hominum in opere faciendo*, quod Judæi moliebantur ſub Iuliano Apoſtatâ, *laborem ſuum collocaſſe.* Theodor. hiſt. l. 3. c. 17.

At ex Ruffino, *porticus publica, in quibus Iudæorum multitudo, quæ videbatur operi inſiſtere, commanebat, ad ſolum deducta terra motu, omnes Iudæos, qui reperti ſunt, oppreſſere. Luce verò ortâ, cùm ſe mala crederent effugiſſe, ad requirendos eos, qui oppreſſi fuerant, reliqua multitudo concurrit. Ædes erat quædam in inferioribus templi demerſa, habens aditum inter duas porticus, quæ fuerant complanatæ, in quâ ferramenta, aliaque operi neceſſaria ſervabantur, è quâ ſubitò globus quidam ignis emicuit, & per medium plateæ percurrens, aduſtis, & exanimatis, qui aderant, Iudæis, ultrò, citròque ferebatur. Hoc iterùm, ſæpiuſque, & frequentiſſimè per totam illam diem repetens, pertinacis populi temeritatem flammis ultricibus coërcebat.* Ruffin. hiſt. l. 10. c. 38. 39.

Similia Theodoretus, & Sozomenus referunt. Theodor. hiſt. l. 3. c. 17. Sozom. l. 5. c. 21.

Unde colligere eſt ex tot millibus Iudæorum, qui, ut ait Theodoretus, *Vndique confluentes, tùm pecuniam, tùm propenſum ſtudium ad templi ædificationem conferebant*, facilè *occiſa* fuiſſe *ſeptem millia*, tùm nocturno terræ motu, tum ignis globo ſæpiùs per diem graſſante.

Plura etiam fortaſſis interempta ſunt; ſed Joannes illa reſtrinxit ad ſeptem millia; quemadmodùm Amos multò majorem numerum ſcelerum Iuda, ſeptenario numero comprehendit; *ſuper tribus ſceleribus Iuda, & ſuper quatuor non convertam eum*; eoque magis hanc rationem mihi perſuaſerim, quòd in pœnam ſcelerum Iuda ſubjungat Amos de ſuccendendâ Ieruſalem à Babyloniis, *& mittam ignem in Iuda, & devorabit ædes Ieruſalem:* Nonne enim mox videbamus ignem etiam immiſſum à Domino contra impios illos Iudæos, qui templum juſto Dei judicio dirutum ædificare contendebant, quaſi illuſuri prædictionibus Domini? Et numquid non ædes illius partis Ieruſalem, in quâ commanebant illi impii, terræ motu fuit devorata, excuſſaque ſunt templi fundamenta? Amos 2. v. 4. 5.

Fortaſſis quoque, cùm Dominus dicatur ſervaſſe, ac *reliquiſſe* quondam *ſibi* ex decem tribubus Iſraël *ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal*; è contra interempta cenſentur hîc *ſeptem millia* nefandorum Iudæorum, qui nollent *in nomine Ieſu genu flectere; & confiteri, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloriâ eſt Dei patris.* Coacti ſunt tamen, qui ex præfatâ commotione terræ, & inflammatione divinâ ſuperſtites fuere Iudæi, Chriſtum Dominum glorificare; quamobrem addit Ioannes, 3. Reg. 19. v. 18. ad Rom. 11. v. 4. ad Philip. 2. v. 10. 11.

Ex verſ. 13. *Et reliqui in timorem ſunt miſſi, & dederunt gloriam Deo Cœli.*

Interim, inquit Ruffinus, *pavore ingenti, & trepidatione omnes, qui* Ruffin. hiſt. l. 10. c. 39.

Digitized by Google

aderant, deterriti, ſolum verum Deum Ieſum Chriſtum confiteri cogebantur inviti. Sic deterriti Iudæi, atque gentiles, locum ſimul, & inaniter cœpta reliquere.

Socr. hiſt. l. 3. c. 17. Ita Socrates, *Iudæi graviſſimo timore perculſi, etiam inviti Chriſtum Deum confeſſi ſunt.*

Theodor. hiſt. l. 3. c. 17. Sic Theodoretus, *plagas cœlitùs inflictas admodùm veriti, aufugerunt indè, planè confeſſi eſſe eum verum Deum, quem majores ſui cruci affixiſſent.*

Sozom. l. 5. c. 21. Poſtremò Sozomenus, *factum eſt, ut alii eorum Chriſtum Deum eſſe exiſtimarent; iniquoque animo tuliſſe, quòd templum de integro ædificare conſtituerant; alii paulò poſt ad Eccleſiam ſe transferrent; initiarentur myſteriis; hymnis, & precibus Chriſtum pro ſuis improbè factis placarent.*

EXPLANATIO XLIII.

De tranſlatione Imperii Romani ab Ethnicis ad Chriſtianos; quâ ex mutatione Cœlites gratias agunt Deo; fidelium pietas, ac præſertìm Martyrum patientia remuneratur; Exterminantur autem Chriſtianorum præcipuè perſecutores, à decimo quarto ad decimum octavum verſum Capitis undecimi Apocalypſis.

VERS. 14. Væ ſecundum abiit; & ecce Væ tertium veniet citò.

℣. 15. Et ſeptimus Angelus tubâ cecinit; & factæ ſunt voces magnæ in Cœlo, dicentes: Factum eſt regnum hujus mundi, Domini noſtri, & Chriſti ejus, & regnabit in ſæcula ſæculorum. Amen.

℣. 16. Et viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas, & adoraverunt Deum, dicentes:

℣. 17. Gratias agimus tibi, Domine, Deus omnipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es; quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti.

℣. 18.

℣. 18. Et iratæ ſunt gentes, & advenit ira tua, & tempus mortuorum judicari, & reddere mercedem ſervis tuis prophetis, & ſanctis, & timentibus nomen tuum, puſillis, & magnis, & exterminandi eos, qui corruperunt terram.

Verſ. 14. *Væ ſecundum abiit, & ecce Væ tertium veniet citò.*

VBI explicuimus clangorem quartæ tubæ Angelicæ, audivimus Cœleſtem Spiritum, *dicentem voce magna, Væ, væ, væ habitantibus in terrâ de cæteris vocibus trium Angelorum, qui erant tubâ canituri.* Nimirùm prænunciabat ille ingentes calamitates ex reliquarum trium tubarum Angelicarum ſonitu Ethnicis futuras. Expoſuimus eas, quæ ſignificatæ ſunt à quinto, & ſexto Angelo, cùm tubis perſonuerunt; tertia mox ſecutura eſt; & jamjam adveniet. Apoc. 8. v. 13.

Verſ. 15. *Et ſeptimus Angelus tubâ cecinit, & facta ſunt voces magnæ in Cœlo.*

Eapropter ſeptimus Angelus tubâ cecinit; tuncque, ſicuti Apocalypſis capite decimo prædictum vidimus, *in diebus vocis ſeptimi Angeli, cùm cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut evangelizavit per ſervos ſuos prophetas:* Quippe, non ſecùs ac, dùm *ſeptimo circuitu Iericho*, urbis trans Jordanem primariæ, *clangerent buccinis ſeptem Sacerdotes, omniſque populus*, juxta præceptum Domini à Joſuevo ſignificatum, *vociferaretur, muri illius urbis illicò corruerunt*; eaque redacta eſt in poteſtatem Iſraël populi Dei: ita juſſu Domini noſtri Jeſu Chriſti, veritate ſuâ, & ſanctitate, ac potentiâ implentis figuras legis, & Prophetarum, quando *ſeptimus Angelus tubâ cecinit, facta ſunt in Cœlo voces magnæ*, ſignificantes ſubverſionem impietatis paganæ in urbe Româ, *omnium* gentium primariâ, ac *reginâ*; quæque, ut ait Euſebius, *quaſi caput mundi eſt, totiuſque Romani Imperii moderatrix*; necnon tranſlationem ejuſdem Imperii ab Ethnicis ad Chriſtianos, qui jam unicus populus Dei cenſentur. Apoc. 10. v. 7. Joſue 6. v. 8. 16. 20. 21. Euſeb. V. Conſt. l. 1. c. 20.

Ex verſ. 15. *Dicentes, factum eſt regnum hujus mundi, Domini noſtri, & Chriſti ejus.*

Quamdiù enim Imperatores Romani Dæmones, ac falſos Deos coluerunt, & Chriſtianam Religionem ſunt perſecuti, Imperium Romanum, præcipuum *hujus mundi regnum*, erat regnum Dæmonis, utpote illius impio cultui addictum: undè Diabolus appellabatur à Chriſto *Princeps hujus mundi*; & à Paulo *Deus hujus ſæculi.* Sed cùm Divina Majeſtas Imperatores Ethnicos rejecit, ſubſtituitque Conſtantinum Magnum, qui unum Deum, orbis Conditorem, ac Dominum, & Chriſtum Dei filium, per quem omnia facta ſunt, adoravit, necnon, Joan. 12. v. 31. 2. ad Cor. 4. v. 4.

 quantùm

quantùm potuit, pro novit, Religionem Chriſtianam, haud dubiè Imperium, ſeu, ut loquitur Sanctus Joannes, *regnum hujus mundi factum eſt Domini noſtri, & Chriſti ejus*, quem ſtudioſè, & impensè coluit: ſicque cœperunt impleri Prophetarum oracula, quæ prædicebant fore, ut
Pſ.71. v.8. 11. *adorarent Chriſtum omnes Reges terræ, omnes gentes ſervirent ipſi.*

Ea profectò mens fuit Conſtantini Magni, quemadmodùm multis teſtatur Euſebius.

Etenim Victo Maxentio, Romæ crudelem, & impiam tyrannidem
Euſeb. hiſt. l. 9. c. 8. agente, Conſtantinus *ſubſidii ſibi à Deo allati conſcius, confeſtim paſſionis Servatoris trophæum in manu propriæ ſuæ ſtatuæ, in celeberrimo totius urbis loco poſita collocari mandat: Deum omnium bonorum, quæ ipſi obtigerant, authorem collaudat; & legem pro Chriſtianis abſolutiſſimam, accuratiſſimamque conſcribit.*

Euſeb. vitæ Conſt. l. 1. c. 2. & c. 1. ſub finem. *Hic, utpote fidelis, & ſpectatus Dei famulus, iſtud præſtitit, prædicavit apud omnes, quòd verum Deum agnoſcebat; & eorum, qui nequaquàm Dii ſunt, prorsùs deteſtabatur errorem; ſeque & Dei ſervum palàm nuncupavit; & miniſtrum ſummi Regis ingenuè confeſſus eſt.*

Euſeb. V. Conſt. l. 1. c. 41. *Decimo Imperii ſui anno dies ſolemnes, & publicos celebrare, preceſque, quibus gratias ageret Deo omnium Regi, dicare cœpit.*

Euſeb. V. Conſt. l. 2. c. 13. 19. *In præliis committendis Deum ſua ipſius anima præponere; & illius conſiliis omnia tranſigere conſuevit*; victoque Licinio movit *cunctos, ut Deum ſummum omnium Regem eſſe prædicarent.*

C. 46. *Omnibus provincialibus cujuſque nationis, qui falſo idololatriæ errore ante ipſius ætatem implicati fuiſſent, literas dedit, prudentique perſuaſione cohortatus eſt eos, qui ipſius parebant Imperio, ut Deum omnium authorem agnoſcerent, & ipſum Chriſtum palàm, & perſpicuè Servatorem eſſe profiterentur.*

Euſeb. V. Conſt. l. 3. c. 2. C. 3. *Hic Chriſtum Dei libero ore, & ſermone in omnes divulgavit; atque interdùm vultum ſalutari illâ paſſionis ſignavit notâ. Quin etiam in tabulâ depictâ, quam in ſublimi ante palatii veſtibula ſuſpenderat, ſe omnium oculis contemplandum propoſuit; ſalutareque paſſionis inſigne ſupra caput*
C. 48. *ipſius locatum. Iſtud Imperatori ſanctiſſimo Regni firmum videbatur eſſe propugnaculum.*

Euſeb. V. Conſt. l. 4. c. 20. Docuit legiones ut in hanc formulam precarentur; *Te ſolum Deum agnoſcimus; te Regem profitemur; te adjutorem invocamus: per te victorias conſecuti ſumus: abs te & præſentem felicitatem conſecutos fatemur; & futuram adepturos ſperamus.*

Iſta Euſebius, quibus patet Regnum, ſeu Imperium hujus mundi, ſive Romanum, anteà dæmonum, & falſorum Deorum cultui ſubditum, factum eſſe per Conſtantinum Regnum, ac Imperium Dei, & Chriſti filii Dei, quem coluit.

Hinc Xiſtus V. Pontifex Maximus ad baſim inſignis Obeliſci, Julio Cæſari primo Romanorum Ethnicorum Imperatori, quondam dicati, quem, Romæ in plateâ Baſilicæ Sanctorum Apoſtolorum Petri &

Pauli erigi curavit, cum Crucis ſigno inſcribi fecit hæc verba, *Chriſtus Vincit, Chriſtus Regnat, Chriſtus Imperat.*

Viſum quidem eſt Imperium Romanum rursùs redactum in poteſtatem Ethnicorum, ac Dæmonum ſub Juliano Apoſtatâ: ſed paulò poſtquàm Civitatis Jeruſalem pars illa, in quâ Judæi authoritate illius impii Imperatoris moliebantur contra Chriſti prædictionem Templum denuò extruere, everſa eſt inſueto terræ motu, rediit iterùm ad Chriſtianos Imperium Romanum; ideòque ſubditum eſt rursùs Chriſto omnium Domino: Quapropter Beatus Joannes *Regnum hujus mundi retulit factum Domini noſtri, & Chriſti ejus*, poſt illam mirabilem terræ commotionem Hieroſolymitanam; quippe paulò pòſt Julianus, qui anno dumtaxat uno, & octo menſibus Imperium tenuit, occiſus eſt; & ex ejus interitu reverſum eſt Imperium Romanum ad Chriſtianos, & ad Chriſtum Regem Regum, & Dominum Dominantium.

Ex verſ. 15. *Et regnabit in ſecula ſeculorum.*

Conſentit illa Joannis Prophetia his verbis Danielis: *In diebus Regnorum illorum*, quorum *quartum ferro comminuente, & domante omnia*, Dan. 2. v. 40. 44.
ſignificabatur Romanum Imperium, *ſuſcitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur; & ipſum ſtabit in æternum:* ac rursùs, *Regnum,* Dan. 7.
& poteſtas, & magnitudo Regni, quæ eſt ſubter omne Cœlum, detur populo Sanctorum Altiſſimi, cujus regnum, regnum ſempiternum eſt; & v. 27.
omnes Reges ſervient ei, & obedient.

Ex ℣. 15. *Amen.*

Concludit Joannes ſententiam ſuam hâc voce, *Amen*, imitatus Prophetam Regium, qui non abſimile fudit oraculum de Chriſto, cùm dixit, *benedictum nomen Majeſtatis ejus in æternum; & replebitur Ma-* Pſ. 71.
jeſtate ejus omnis terra, fiat, fiat. Amen, Amen. v. 19.

Verſ. 16. *Et viginti quatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas, & adoraverunt Deum, dicentes:*

Verſ. 17. *Gratias agimus tibi, Domine, Deus omnipotens, qui es, qui eras, & qui venturus es, quia accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti.*

Cœlites, de quibus dudùm ſatis, ſuperque locuti ſumus, Chriſtum Filium Dei, ac Deum omnipotentem, qui quondam verſabatur in terris inter mortales, degitque nunc palàm in Cœlis inter Beatos, ac venturus eſt omnium judex, pœnas, aut præmia decreturus hominibus, adorant; eique gratias referunt, quòd ſummam ſuam in Reges, ſeu Imperatores Ethnicos poteſtatem oſtenderit; & Regnum hujus mundi, ſive Imperium Romanum, quod Diabolus execrandâ impietate uſurparat, ipſe ſanctitatis ſuæ, & Deitatis virtute recuperaverit.

Verſ. 18. *Et iratæ ſunt gentes.*

Cùm nationes, Dæmonum cultui addictæ, Religionem Chriſtianam, quam anteà odio implacabili perſequebantur, viderunt ad ſummum

mum honoris faſtigium gratiâ Chriſtianorum Imperatorum evectam ;
concepere adversùs Sanctos Dei cultores ingentem iram , atque invi-
Pſ. 111. diam , juxta illud Pſalmiſtæ effatum , *juſtus exaltabitur in gloriâ ? pec-*
v. 9. 10. *cator videbit , & iraſcetur ; dentibus ſuis fremet , & tabeſcet.* Sed & idem
Pſ. 98. v. 1. Vates præeinit , *Dominus regnavit , iraſcantur populi* , ſcilicet impii : ſe-
cùs , *exultet terra* , nempe ea , quæ Dominum ſuum , ut par eſt , colit.
1. Mach. Sic quoque libro primo Machabæorum dicitur , *factum eſt , ut audierunt*
1. v. 67. *gentes in circuitu , quia ædificatum eſt altare , & ſanctuarium , ſicut priùs,*
irata ſunt valdè.

Ex ℣. 18. *Et advenit ira tua.*

Quo tempore pagani Chriſtianos perſequebantur , Chriſtus patien-
tiam exhibebat , ut fideles ſibi devinctos probaret , coronaretque perſe-
cutionis illatæ victores. Provocabat etiam benignitate ſuâ gentiles ipſos,
ut reſipiſcerent. At poſteà quàm diù , multùmque in impietate ſuâ per-
ſtitere, ipſe tandem juſtè iratus eſt adversùs impios illos obduratos ; eoſ-
que ſtatuit debitis pœnis afficere ; & idololatriam penitùs delere. Ita
Nahum 1. *Deus* apud Prophetam Nahum dicitur *Æmulator , & ulciſcens Dominus :*
v. 2. 3. *ulciſcens Dominus, & habens furorem : ulciſcens Dominus in hoſtes ſuos ; &*
iraſcens ipſe inimicis ſuis : Dominus patiens , & magnus fortitudine. Qui
priùs patienter tulit adverſantes ſibi , poſtmodùm plectit non deſiſten-
tes ab iniquitate : remunerat verò juſtos , & pios Divinitatis ſuæ culto-
res , qui propter ipſum graviſſima quæque perpeſſi ſunt : undè additur.

Ex verſ. 18. *Et tempus mortuorum judicari.*

Apoc. 6. Didicimus Apocalypſis capite ſexto, *animas interfectorum propter ver-*
v. 9, 10, 11. *bum Dei , & teſtimonium* Chriſti , piè , & humiliter poſtulare ſibi à
Deo jus fieri adversùs eos , qui ipſis mortem conſciverant ; ac dicere,
uſquequò , Domine , non judicas ; & non vindicas ſanguinem noſtrum ?
Dictum eſt autem *illis , ut requieſcerent adhuc tempus modicum , donec*
compleantur conſervi eorum , & fratres eorum , qui interficiendi ſunt ſicut
& illi. Expectarunt ſanctæ illæ animæ tempus iſtud ſibi à Deo indi-
ctum ; & dùm completus eſt , quem Dominus voluit , Martyrum nume-
rus , jus eis fit ab eodem Domino tanquàm juſto judice ; eorumque ſan-
guis , ſicuti peroptabant, ad ejuſdem Chriſti gloriam , vindicatur.

Ex verſ. 18. *Et dare mercedem.*

Duplex quidem præmium promeruere Sancti Martyres ; unum inter-
num ſibi proprium , nempè gloriam animæ , & corporis ; externum al-
terum , ſibi etiam honorificum , & jucundum , videlicet excidium im-
pietatis Ethnicæ , & pietatis Chriſtianæ ſtabilimentum. Gloriam ani-
mæ ſuæ , ſtatim atque propter Chriſtum obiere , conſecuti ſunt. Dilata
verò eſt gloria corporis illorum ad generalem Reſurrectionem , quæ fu-
tura eſt in conſummatione ſæculi : interim aſſequuntur , ut prorsùs de-
leatur ſuperſtitio pagana ; & vigeat toto orbe Chriſtiana Religio , quod
vehementer cupierunt , & pro cujus rei adipiſcendæ gratiâ mortem atro-
ciſſimam pio , ac forti animo ſubiere.

Ex

Digitized by Google

Ex verſ. 18. *Servis tuis.*

Martyres dicuntur ſervi Dei, & Chriſti, quia, cùm Ethnici colerent idola, & *ſervirent creaturæ potiùs quàm Creatori*, ipſi *Dominum Deum ſuum adorabant; & illi ſoli ſerviebant.* Gloriabantur etiam ſe eſſe ſervos Chriſti, ut videre eſt in Apoſtolis, quorum humilitatem, & pietatem imitabantur; nec non in Cœlo glorioſum illud ſuæ ſervitutis erga Chriſtum Dominum nomen, & officium retinent; undè dicitur de illis, ac de aliis fidelibus in Cœlum receptis, *ſervi ejus ſervient illi.* ad Rom. 1. v. 25. Matth. 4. v. 10. Apoc. 22. v. 3.

Ex verſ. 18. *Prophetis.*

Spiritu veritatis animabantur Martyres, ut unum Deum verum intrepidè colerent; ac falſorum Deorum cultum execrandum redarguerent. Agebantur ſpiritu Dei, ut bona quæque opera in Deo, & propter Deum facerent. Corroborabat illos ſupra vires humanas ſpiritus fortitudinis, ut acerbiſſima quæque propter ipſum paterentur. *Spiritus Patris* illorum *loquebatur in illis*, præſertim cùm ſtabant ante Reges & Præſides teſtimonium Chriſto Dei Filio perhibituri. Videbant perſæpe Divina illuſtrati à Spititu Sancto. Prædicebant nonnumquam eventura, eodem ſpiritu Dei præmonſtrante; & præſentibus, ac temporalibus deſpectis futura, & æterna contemplabantur, ad eaque toto animo anhelabant; & pro illis conſequendis nullum non mortis genus libenter oppetebant: Quæ omnia quondàm ante Chriſti adventum Prophetis pro ſuo modulo, & tempore ex Spiritus Sancti multiplicibus donis competebant.

Ex verſ. 18. *Et ſanctis.*

Meritò Martyres nuncupantur Sancti; quippe qui ſanctè vixerunt; ſanctè obierunt; &, ut apud omnes nomen Dei Sanctum haberetur, totis viribus adlaborarunt. Ipſe Paulus Romanis in Chriſtum credentibus ſcribebat, *omnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei, vocatis ſanctis*. Et quod magis eſt, ipſi Dæmones, necnon Ethnici cogebantur aliquando veritatis evidentiâ, & divinâ virtute Chriſtianos Juſtorum nomine appellare. Teſtis eſt apud Euſebium Conſtantinus: *Apollinem id temporis*, inquit, *hoc oraculum edidiſſe ferunt, juſtos qui in terris verſabantur, impedimento ipſi fuiſſe, quò minùs vera loqueretur; & Deum altiſſimum conteſtans*, addit Conſtantinus, *audiebam, cùm jam puer admodùm eſſem, eum, qui illo tempore principem locum inter Romanos Imperatores obtineret, à ſatellitibus ſuis curioſè inquirentem rogaſſe, quinam eſſent illi in terris juſti? quendamque ex vatibus ſuis reſponſum dediſſe, eos eſſe Chriſtianos.* ad Rom. 1. v. 7. Euſeb. V. Conſt. l. 2. c. 49. 50.

Ex ỽ. 18. *Et timentibus nomen tuum.*

Obſervarunt Martyres quod Propheta Regius dixit, *Timete Dominum omnes ſancti ejus*; &, *beati omnes, qui timent Dominum.* Cuſtodierunt etiam verbum, quod Spiritus Chriſti mentibus illorum ptolocutus eſt, & refertur ab uno Apocalypſis Angelo, *dicente magnâ voce ſedentibus ſuper terram, timete Dominum, & date illi honorem; & adorate eum, qui fecit Cœlum, & terram.* Hoc Sancto timore perculſi Martyres, Deum unum Creatorem omnium coluerunt; & contempſerunt idola; ac quam- Pſ. 33. v. 10. 127. v. 1. Apoc. 14. v. 6. 7.

vìs propter illum contemptum Infideles acerba quæque comminarentur
Matth. 10. ipſis, tamen præceptis divinis obſequentes, *non timuerunt eos, qui corpus*
v. 28. *occiderent; ſed timuerunt eum, qui poteſt animam, & corpus* prævaricantium *perdere in gehennam.*

Ex ℣. 18. *Puſillis, & magnis.*

Nempe cujuſvis ætatis, & conditionis Martyres extitere; & Deum, ac Chriſtum filium ejus unum Deum piè timentes, & colentes, non modò beatitudinem æternam in Cœlis conſecuti ſunt; ſed etiam, quod vehementer optarunt, obtinuere abolitionem Ethnicæ ſuperſtitionis, & cultum unius Dei toto orbe terrarum.

Ex ℣. 18. *Et exterminandi eos, qui corruperunt terram.*

Sanctus Joannes antiquorum Prophetarum, idololatriam fornicatio-
Apoc. 18. nis nomine paſſim exprimentium, ſtylum ſecutus, poſtquàm retulit Apo-
calyſis capite decimo octavo excidium Romæ ut Ethnicæ, Cœlites refert
Apoc. 19. *laudantes Deum, qui judicavit de meretrice magnâ, quæ corrupit terram*
v. 1. 2. *in proſtitutione ſuâ, & vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum de manibus ejus*; ſiquidem Roma tùm Ethnica, authoritate, quâ pollebat abutens, omnes nationes ſibi obſequentes, arctè devinxerat Dæmonum cultui, cui & ipſa erat addicta; necnon illas concitaverat adversùs Sanctos Dei cultores Chriſtianos, quorum ſanguinem atrociter fudit. Eam ob rationem ait nunc Beatus Joannes, *adveniſſe tempus exterminandi eos, qui corruperunt terram*, quòd advenerit tempus, quo deleatur penitùs falſorum Deorum cultus execrandus; pereant Imperatores Ethnici Chriſtianæ Religionis perſecutores, & præcipui miniſtri, qui illam perſecutionem vel excitarunt, vel executioni mandarunt.

Sic poſtquàm Conſtantinus Magnus Imperium ſuum Chriſto Do-
mino acceptum retulit, ac ſubjecit; Galerius Maximianus Diocletiani
Euſeb. V. Conſt. ſucceſſor, teſte Euſebio, *infinitâ vermium multitudine corroſus interiit,*
l. 1. c. 50. *conſcientiâ ſcelerum, quæ contra Eccleſiam admiſiſſet, perculſus.*
51. 52. Maximinus quoque Galerii ſucceſſor *toto corpore plagâ cœlitùs delapſâ exhauſtus eſt; & ſuas, quas contra Deum pugnas ſuſceperat, palàm elocutus, ſolum Deum Chriſtianorum verum eſſe ipsâ experientiâ ſe comperiſſe teſtatus eſt.*

Euſeb. hiſt. l. 9. c. 9. *Deindè aliis, qui pietatis in Deum inimici erant, omnes honores, omnia ſplendoris inſignia prorsus adimuntur. Vniverſi porrò, qui videbantur Maximini partes defendere, qui præcipuis dignitatis ornamentis ab eo honorati erant, quique, quò illi magìs blandirentur, in noſtram Religionem protervè, & petulanter impetum fecerant, interfecti ſunt. Alii etiam non pauci, quorum conatu fines tyrannidis Maximini, & roborati, & propagati dicuntur. Theotecnum ultio Divina, quæ in oblivionem ſcelerum ejus contra Chriſtianos editorum neutiquam venerat, ad eumdem numerum cum reliquis præſtigiarum ſociis adjunxit. Iſtis omnibus adjecti fuerunt Maximini liberi, quos ipſe honoris Regii participes effecerat. Quin etiam hujus tyranni cognati, & familiares, qui antè tam inſolenter gloriati erant,*

eadem

eadem ſupplicia ſuſtinnerunt. Siquidem diſciplinam non exceperant, non norant, neque intellexerant ſacrarum literarum admonitionem, quæ ſic loquitur: Nolite ſperare in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. Exibit Spiritus ejus, & revertetur in terram ſuam; in illâ die peribunt omnes cogitationes eorum.

EXPLANATIO XLIV.

Ex aperturâ Templi Cœleſtis, & apparitione Arcæ Teſtamenti in eo, necnon ex tonitruis, & terræ motu, ac grandine magnâ, relatis verſu decimo nono Capitis undecimi Apocalypſis, oſtendens ſignificari futurum, ut, quamvìs Diocletianus Eccleſias Chriſtianas, & libros ſacros combureret; atque omnibus modis impediret nè Martyrum corpora haberentur in honore, tamen Eccleſiæ Chriſtianæ ubique tandem extruerentur; in earumque adytis aſſervarentur libri ſacri: ſignum Crucis Victoriam de impietate promittens Conſtantino cœlitùs appareret: vera Crux, & nonnulla præcipuorum myſteriorũ Chriſti ſanctiſſima loca, ab Ethnicis obtecta, detegerentur; in iiſque conſtruerentur Eccleſiæ: Crucis quoque cœleſte ſignum, præter terræ motum, & tempeſtatem inſuetam, appareret, cùm molirentur Iudæi Templum Hieroſolymis inſtaurare: impius autem Cæſar Galerius ſub Diocletiano, in gratiam Deorum ſuorum

 publicè

Digitized by Google

publicè perorans, argueretur à Deo vero ſubitis, & extraordinariis tonitruis, pluviis, & denſâ grandine: ignis, libros ſacros comburens, aliquandò miris imbribus, & grandine permixtis extingueretur: denique, Deus inſolitis terræ motibus, procellis, ac tonitruis cogeret nonnumquàm Ethnicos, ut ſinerent, fideles debitum honorem Sanctis Martyribus rependere.

VERS. 19. Et apertum eſt templum Dei in Cœlo, & viſa eſt Arca teſtamenti ejus in templo ejus; & facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.

Verſ. 19. *Et apertum eſt templum Dei in Cælo.*

Apoc. c. 4. v. 8. DILECTUS Chriſti Diſcipulus viderat quidem anteà in Cœlo eminenter primam partem externam antiqui Templi Hieroſolymitani, nempe atrium Sacerdotum, in quo erant Mare Æneum, Altare holocauſtorum, & Sacerdotes, ac Levitæ, peragentes ea, quæ ad ſacrificiorum ritum, & laudes Dei decantandas ſpectabant.

Apoc. c. 1. v. 8. Viderat & mediam illius templi partem internam, in quam ſoli Sacerdotes ſingulis diebus introibant; quæque Candelabrum aureum ſeptem Lucernarum, & altare aureum thymiamatis habebat.

Nunc verò conſpicit in Cœlo adytum templi intimum, & ſecretiſſimum, in quod ſolus Pontifex ſemel in anno intrabat; quodve Arcam fœderis continebat.

ad Heb. 9. v. 3. 25. Porrò hæc pars templi intima vocabatur *Sancta Sanctorum*, ſeu abſolutè, & ſimpliciter *Sancta*, utpote totius templi pars ſanctiſſima; eamque propterea Joannes nuncupat per excellentiam *Templum Dei*, ſive Sanctuarium peculiare Divinæ Majeſtatis.

Ex verſ. 19. *Et viſa eſt Arca teſtamenti ejus in templo ejus.*

Exod. 37. Illâ in parte ſecretiſſimâ Templi collocata erat Arca, quam duo Cherubini ſuis alis obumbrabant; cenſebaturque veluti Thronus Dei: undè Pſalmiſta Deum precans aiebat, *Qui ſedes ſuper Cherubim*; & Iſraëli-
Pſ. 79. v. 2. Pſ. 98. v. 5. tas alloquens, inquit, *Exaltate Dominum Deum noſtrum; & adorate ſcabellum*

Digitized by Google

bellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt : Eâque in Arcâ aſſervabantur tabulæ legis datæ à Deo per Moyſem.

Velum autem erat oppanſum illi parti ſecretiſſimæ templi, ne Sacerdotes introëuntes quotidiè in ſanctuarium ſibi commune, intuerentur Arcam. Quin etiam ipſe Pontifex, intraturus in Sancta Sanctorum, præcipiebatur *implere thuribulum de prunis altaris* holocauſtorum; & injicere in eas thymiama, *ut poſitis*, inquit Scriptura, *ſuper ignem aromatibus, nebula eorum, & vapor operiat oraculum, quod eſt ſupra teſtimonium; & non moriatur.*

Deuter.10. v. 1. 2. Exod.26. v.33. C.27.v.21. Levit.16. v.12.13.

Attamen Sanctus Joannes videt illam partem intimam, & ſecretiſſimam templi in Cœlo apertam; atque in eâ conſpicit Arcam teſtamenti, ut indè intelligamus; Primò quòd, etſi Diocletianus, & Maximianus Herculius *edicta miſſuri eſſent per omnem terram, ut cuncta, quæ uſquam eſſent, Eccleſia ad ſolum uſque deſtruerentur, & Scriptura Sacra igni comburerentur*; tamen fieri non poſſet, quin poſteà ſub Imperatore Chriſtiano Conſtantino Eccleſiæ Chriſto dicatæ rurſùm conſtruerentur; aperirentur pietati fidelium illûc convenientium; & inibi Scripturæ, tàm veteris, quàm novi Teſtamenti aſſervarentur; legerentur; exponerentur; ab omnibus in honore haberentur tanquàm verba ſanctiſſima, ab ipſo Domino prolata.

Euſeb. & Ruffin. hiſt.l.8. c.2.

Secundò Arca teſtamenti erat figura Crucis, in quâ Chriſtus *reconcilians nos Deo per ſanguinem* ſuum, *novi teſtamenti mediator fuit morte* ſuâ *ſanctiſſimâ intercedente.* Sicuti etiam erat ſuper Arcam propitiatorium, quod vocabatur oraculum, quia Dominus indè oracula fundebat; & Majeſtas Dei cenſebatur inſidere Cherubinis Arcæ, quæ appellabatur Scabellum pedum ejus; ita Jeſus Chriſtus, poſitus ſuper crucem, *eſt propitiatio pro peccatis noſtris*; & quot in cruce verba protulit, tot extitere ſapientiæ illius divinæ oracula; ac poſtquàm inſedit Cruci, exaltatus eſt ſuper omnem principatum, & poteſtatem Cœleſtem.

ad Col.1. v.20. ad Heb.9. v.15. Exod.16. v.34. Exod 37. v. 6. 1.Joan.2. v.1.2. ad Phil.2. v.8.9.

Quapropter, cùm Arca teſtamenti fuerit figura Crucis Chriſti Domini, Dilectus Diſcipulus, ut ſignificet Crucem Salvatoris apparituram Cœlitùs Conſtantino de impietate Ethnicâ triumphaturo, ait, juxta ſtylum ſuum perpetuis allegoriis ſapienter contextum, ſe vidiſſe Arcam teſtamenti in templo Cœleſti: Quippe hujuſce capitis verſu decimo quinto, ſignificaverat tranſlationem Imperii ab Ethnicis ad Chriſtianos; nunc autem reddit tàm mirabilis mutationis cauſam, nimirùm Cœleſtem Conſtantino apparitionem Crucis, in quam exaltatus eſt Chriſtus Dominus, ut omnes gentes traheret ad ſui cultum; Dæmones *ejiceret à principatu hujus mundi*; ipſumque *traderet Deo, & Patri regnum.*

Joan.12. v.31.32. 1. ad Cor. 15.v.24.

Et ſanè, quemadmodùm Evangeliſtarum teſtimonio Chriſtus horâ ferè ſextâ, ſeu meridianâ elatus eſt in Crucem, ibique ſtetit uſque ad horam nonam; ita, referente Euſebio, atteſtatus eſt Conſtantinus *cum jurejurando, cùm jam Sol ad medium Cœlum aſcendiſſet, die in pomeridianum tempus paululum inclinante, ſe crucis ſignum, ex lucis ſplendore figura-*

Luc.23. v.44. Euſeb.vitæ Conſtant. l.1.c.22.

tum, in ipſo Cœlo Soli imminens, manifeſtò oculis aſpexiſſe; inque eo inſcriptionem conſignatam, quæ hæc verba complectebatur, In hoc vinces; ac re ipsâ poſtmodùm eo ſalutari, & potenti ſigno munitus ſuos, & Dei hoſtes vicit.

Tertiò, eadem Apocalypſis verba, quæ apertum in Cœlo templum, & viſam Chriſti Crucem, arcâ teſtamenti ſignificatam, indicant, arbitror intelligenda, quòd nonnulla loca eximia myſteriis Chriſti inſignioribus ſanctificata, ac verè templa effecta, quæ Ethnicorum impietate clauſa fuerant, aperirentur pietate Conſtantini, & Helenæ Matris ejus; necnon illa ipſa Crux, in quam Salvator exaltatus fuerat, è terra erueretur; & fidelium oculis, ac venerationi in templo magnificentiſſimo exponeretur.

Ruffin. hiſt. l. 10. c. 7. 8. *Helena*, inquit Ruffinus, *Conſtantini mater, fœmina incomparabilis fide, & religione animi, ac magnificentiâ ſingulari, divinis admonita viſionibus, Hieroſolymam petit; atque ibi locum, in quo Sacroſanctum corpus patibulo affixum pependerat, ab incolis perquirit: Qui idcircò ad inveniendum difficilis erat, quòd ab antiquis perſecutoribus ſimulacrum in eo Veneris fuerat defixum, ut ſi quis Chriſtianorum in illo loco Chriſtum adorare voluiſſet, Venerem videretur adorare. Et ob hoc infrequens, & penè oblivioni datus fuerat locus. Sed religioſa fœmina, cuncta ex eo prophana, & polluta deturbans, tres confuſo ordine reperit cruces. Sed obturbabat reperti muneris lætitiam uniuſcujuſque crucis indiſcreta proprietas. Aderat quidem & titulus ille, qui Græcis, & Latinis, atque Hebraicis literis à Pilato fuerat conſcriptus; ſed nec ipſe ſatis evidenter Dominici prodebat ſigna patibuli. Macarius per idem tempus Eccleſiæ Epiſcopus cum Reginâ, & populis ad Deum precem fudit, ut mulier, quæ ſemiviva ibi decumbit, ſtatim, ut eam lignum ſalutare contigerit, à mortis januis revocetur ad vitam; & cùm hæc dixiſſet, adhibuit primò unam ex tribus; & nihil profecit: adhibuit ſecundam; & nè ſic quidem aliquid actum eſt. Ut verò admovit tertiam, repentè mulier conſurrexit; & ſtabilitate virium receptâ, alacrior multò, quàm cum ſana fuerat, magnificare Dei potentiam cœpit. Sic evidenti indicio Regina voti compos effecta, templum mirificum in eo loco, in quo Crucem repererat, regiâ ambitione conſtruxit: ligni verò ſalutaris partem detulit filio; partem verò thecis argenteis conditam dereliquit in loco; quæ etiam nunc ad memoriam ſollicitâ veneratione ſervatur.* Hæc Ruffinus.

Euſeb. vitæ Conſt. l. 3. à c. 24. ad 42. Euſebius autem deſcribit magnificentiam templi, quod Conſtantinus mandavit conſtrui eo in loco, in quo Chriſtus crucifixus fuerat, ſepultus, & redivivus.

Addit Conſtantinum, ejuſque Matrem religioſiſſimam curaſſe fabricari Eccleſias in Bethleem, ubi Chriſtus natus fuerat, & in monte Olivarum, undè in Cœlum aſcenderat.

Sozomen. l. 5. c. 16. Quartò, cùm authoritate Juliani Apoſtatæ, qui eò uſque oderat crucem, ut ejus inſigne à Conſtantino juxta viſiones Divinas fabrefactum, ſuſtulerit e ſignis militaribus Romanis, Judæi, & ipſi Crucis inimici, aperuiſſent Hieroſolymis fundamenta veteris templi, in quo, ſi ipſum denuò extruerent, collocarent arcam fœderis ſimilem priori Arcæ; præter terræ motum, & ignem adversùs illos impios divinitùs immiſſum,

de

de quo jam locuti ſumus, templum Cœleſte veri Dei, & Chriſti quodammodò apertum eſt; atque vera Arca teſtamenti, nempe ſignum Crucis, quâ reconciliati ſumus Deo, viſa eſt mirabiliter.

Sequenti nocte, inquit Ruffinus, *in veſtimentis omnium Iudæorum ſignaculum Crucis ita evidens apparuit, ut etiam qui diluere pro ſui infidelitate voluiſſet, nullo genere valeret abolere.*

Ruffin. hiſt. l. 11. c. 39.

Ita Socrates, *effigies Crucis radiorum lumine figurata illorum veſtimentis tanquàm impreſſa videbantur, quas, cùm dies illuceſceret, contemplantes, & eluere, delereque cupientes, nullo modo poterant.*

Socrat. l. 3. c. 17.

Sozomenus quoque, *Omnium Iudæorum amictus ſigno Crucis notatus fuit, & veſtimenta habuerunt ſtellis quodammodo variata, perinde quaſi textorum artificio maculis diſtincta fuiſſent.*

Sozom. l. 5. c. 21.

Theodoretus verò expreſſiùs aſſerit ad explanationem noſtram, *nocte, & poſtridie rursùs, fulgentem Crucis ſalutaris formam in Cœlo viſam eſſe; ipſaque Iudæorum veſtimenta crucis figuris, non fulgentibus illis quidem, ſed ex nigro colore confectis, ſignata.*

Theodor. hiſt. l. 3. c. 17.

Ex verſ. 19. *Et facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.*

Non apparitione dumtaxat Crucis mirabili, Chriſtus inanes hoſtium ſuorum conatus, & ſe eſſe verè Deum oſtendit, ſed etiam ſtupendis tonitruis, grandine, & terræ motu, declaravit, dùm Chriſtianæ Religionis perſecutores ipſum, ejuſque ſacra verba, & Sanctos Martyres gravibus injuriis afficerent.

In primis enim, dum Galerius Maximianus Cæſar tempore Diocletiani, frequentiſſimo theatro Nicomediæ peroraret in gratiam ſuorum Deorum, *non permiſit ex Alto is, cujus ſunt judicia vera juſtificata, mendaciis ampliùs gloriari adversùs veritatem. Sed dùm loqueretur, cùm dies ſerenus, & Sol regionem ureret meridianam, repentè erupit ſonus multorum tonitruum; & eliſus fuit ignis ex nubibus, & profundæ tenebræ, & denſa grando cum ventis vehementibus; & malum hoc horrendum vocem propemodùm emittebat eſſe gravem Dei commoti iram. Nec ſtetit Deus terrere; ſed fluvii quoque aquarum impetu inundantes, & ſegetes funditùs evellentes, agricolarum labores in mare deportarunt: idque, cùm eſſet æſtas; & ſperaretur fore ut longo tempore non plueret.* Iſta Baronius ex actis Sanctorum Martyrum Iudes, & Domnæ.

Baron. an. Chr. 301. à n. VI. ad X.

Deinde anno vigeſimo Diocletiani; *Cœlum pro Dominicis Scripturis dimicavit, quas cùm Magiſtratus ſacrilegus igni in foro apponeret, ſubitò imber ſereno Cœlo diffunditur; ignis Scripturis Sanctis admotus extinguitur. Grandines adhibentur; omniſque ipſa Regio pro Scripturis Dominicis, elementis furentibus, devaſtatur*, inquit ex actis Proconſularibus Martyrum Africæ Baronius.

Baron. an. Chr. 303. n. XXXVIII.

Præterea, cùm Præſes ſub Diocletiano *Corpora Beatiſſimorum Martyrum Tharaci, Probi, & Andronici paſſorum in Civitate Tharſi Ciliciæ, mandaſſet militibus admiſcere cum corporibus extinctorum gladiatorum, ut cognoſci*

Baron. an. Chr. 390. à n. 2. ad 13.

Digitized by Google

ſci non poſſent, orantibus Macario, Felice, & Vero Chriſtianis Dominum, & Chriſtum ejus, ut de Cœlo auxilium mitteret, & Sanctorum corpora illis oſtenderet, ſubitò terræ motus factus eſt, & tonitrua, & fulgura, & magna tempeſtas imbrium; ac cùm propterea milites cuſtodes aufugiſſent, mox tres facellæ, veluti ſtellæ apparuerunt ſupra Sanctorum corpora, quæ præcedentibus illis Cœleſtibus lucernis ſublata ſunt & ſepulta, uti refert etiam Baronius ex actis Proconſularibus.

Baron. an. Chr. 304. n. xxix. S. Ambroſ. ſer. 90. Ulteriùs Sanctus Ambroſius, martyrium Beatæ Agnetis, quæ juxta ſententiam Baronii paſſa eſt penè ultimo anno perſecutionis Diocletianæ, proferens, ait, quòd *cùm omnis turba Chriſtianorum ad illius ſepulchrum concurreret, inſidias à paganis perpeſſi ſunt; & videntes populum infidelium ſuper ſe venientem armatum, omnes fugerunt; aliquanti tamen lapidum ictibus læſi evaſerunt: ſed Emerentiana lapidibus obruta eſt. Eâdem horâ fit terræ motus vehementiſſimus; & cùm nimia eſſet Cœli ſerenitas, tantæ coruſcationes, tantaque fulgura, & tonitrua extiterunt, ut pars maxima populi expiraret. Undè factum eſt ut nullus penitùs ex eò advenientibus ad ſepulchra Sanctorum aliquas moleſtias excitaret.*

Quòd ſi quis contenderet fulgura, tonitrua, terræ motum, & grandinem, de quibus hîc loquitur Joannes, debuiſſe contingere poſt apparitionem Crucis cœleſtem, quandoquidem referantur poſt illam; reſponderem non eſſe neceſſe id inferre ex verborum contextu, cùm perſæpe Sacra Scriptura in rebus enarrandis non ſervet ordinem temporum, quo illæ evenerunt; ſed plerumque poſteriores priùs & priores poſteriùs referat, prout videtur ſapientiæ Divinæ, cui omnia tempora ſunt præſentia. Plura poſſem ex Apocalypſi proferre hujus obſervationis exempla: ſufficiat unum, & alterum ex hoc capite undecimo, quod explano. Sanctus Joannes verſu decimo tertio, terræ motum Hieroſolymis tempore Juliani Apoſtatæ obortum retulit, antequam aſſereret verſu decimo quinto regnum hujus mundi factum Domini noſtri, & Chriſti ejus, tempore Conſtantini Magni; & tamen Conſtantinus Imperium tenuit multis annis ante Iulianum. Item hoc verſu decimo nono, quem pertracto, declarat Ioannes viſam Arcam teſtamenti, ideſt Crucem, in templo Cœleſti; cùm tamen apparuerit Conſtantino, priuſquàm Imperium ſuum ſubjiceret Chriſto, uti dictum eſt anteà verſu decimoquinto.

Verùm quamvìs propoſita difficultas videatur abundè ſoluta, nihilominùs, nè ullus cuivis quantumlibet contentioſo ſcrupulus ſuperſit, dico Sanctum Ioannem verſu decimo-tertio mentionem dumtaxat expreſſam feciſſe terræ motus, quo decima pars Civitatis Hieroſolymitanæ concuſſa eſt; reticuit verò apparitionem Crucis, quæ etiam tunc temporis viſa fuit in Cœlo: Quare hiſtoriam, quam verſu decimotertio incœperat, reſumens hoc verſu decimo nono, poſtquàm aſſeruit *adveniſſe*, ſcilicet ſub Conſtantino, tempus *exterminandi* præcipuos Ethnicos, *qui* impietate ſuâ *terram corruperant*, ait: *Et viſa eſt Arca teſtamenti*; nempe Crux,

Digitized by Google

Crux, *in Cœlo*, non tantùm Conſtantino, ſed etiam tempore Iuliani, nimirùm dùm *facta ſunt fulgura, & voces, & terræ motus* Hieroſolymitanus, de quo antè locutus fuerat. Etenim ex Socrate præter illum terræ motum, qui tunc contigit, *ignis cœlitùs demiſſus omnia opificum inſtrumenta abſumpſit.* Et Theodoretus, *poſtquàm infinitos gypſi, & calcis modios in unum congeſſerant, ex improviſo ventos vehementes cœpiſſe ſpirare; turbines ingruere; tempeſtates, ac procellas oriri, quæ totam illam materiam diſſipaverunt.* Socrat l. 3. c 17. Theodor. hiſt. l. 3. c. 17.

Etſi autem grandinis non fiat tunc temporis expreſſa mentio; tamen inter illum *ignem cœlitùs demiſſum*, de quo Socrates, & inter illos *ventos vehementes, & turbines, & tempeſtates, ac procellas*, de quibus Theodoretus, facilè potuit grando permiſceri, quemadmodùm permixta eſt cum *eliſo ex nubibus igne, & ventis vehementibus, ac imbribus,* dùm Galerius Maximianus in gratiam ſuorum Deorum peroraret; & libri ſacri comburerentur tempore Diocletiani, ſicuti antè retulimus.

Non abſonum erit, ut puto, ſi alia memoratu digna fulgurum, de quibus hic loquitur Joannes, exempla proferam ſub Iuliano Apoſtatâ.

Videlicet ex Theodoreto, cùm Iulianus Antiochiæ degens, mandaſſet transferri Sancti Martyris Babylæ reliquias, quòd ex illarum viciniâ oraculum Diabolicum Apollinis Daphnæi conticuiſſet, *fulmen de Cœlo delapſum, univerſum incendit delubrum; & ipſam Apollinis ſtatuam in cineres redegit.* Theodor. hiſt. l. 3. c. 9. 10.

Cùm etiam, referente Sozomeno, impius ille Princeps, *Chriſti ſtatuam, quam mulier à ſanguinis profluvio liberata collocaverat Cæſareæ Philippi, deturbaſſet, ſuamque in ejus loco poſuiſſet, ignis violentus de Cœlo delapſus ſtatuam illam Iuliani circiter pectus perſecuit; caputque unà cum collo in terram dejecit; atque in faciem humi eâ in parte defixit, quà fuerat à pectore divulſa; ex quo quidem tempore tanquàm fulminis ictu ambuſta manet.* Sozom. l. 5. c. 20.

Sic Chriſtus verus Deus, illo Iuliani tempore, quo veram Arcam teſtamenti, hoc eſt, Crucem ſuam, in Cœlo oſtendit, renovavit contra illum impium Apoſtatam miracula, quæ quondam patrarat, dùm *tulerunt Philiſtiim Arcam Dei; & intulerunt eam in templum Dagon:* Etenim *invenerunt* paulò poſt *Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terrâ coram Arcâ Domini; caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen. Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo.* 1. Reg. 5. v. 2. 3 4. 5.

Ita *Deus Deorum Dominus exaltatus eſt in gentibus.* Pſ. 49. v. 1.

Alias *exaltationes Dei*, capitibus explanandis refert Sanctus Joannes, ut omnes rursùs norint, *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos; quia non repellet Dominus plebem ſuam,* etſi perſecutionibus gentium afflictam. 45. v. 11. 149. v. 6. 94 v. 3. 93. v. 14.

EXPLANATIO XLV.

Sex primorum verſuum Capitis duodecimi Apocalypſis, quibus Eccleſia Chriſti Sponſa, fidem ejus, & Apoſtolorum habens immutabilem, fœta promiſſionibus Divinis, nititur, ut edat in lucem virum, qui eam à perſecutionibus, quas patitur, liberet: adverſatur autem ipſi Diabolus, tùm per ſeſe, tùm Imperatorum Ethnicorum, qui ei addicti ſunt, ferocitate. Eccleſia verò prudenter fugit tempore perſecutionum ſibi illatarum; ac tandem enititur Conſtantinum, qui raptus ad Divina contuenda, pacem ei tribuit; gentium delubra, & idola conterit; & cultum Dei in omnes Imperii ſui fines diffundit.

VERS. 1. Et ſignum magnum apparuit in Cœlo. Mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.

℣. 2. Et in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat.

℣. 3. Et viſum eſt aliud ſignum in Cœlo: Et ecce draco magnus rufus, habens capita ſeptem, & cornua decem; & in capitibus ejus diademata ſeptem.

℣. 4. Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum Cœli, & miſit eas in terram: Et draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cùm peperiſſet, filium ejus devoraret.

℣. 5.

℣. 5. Et peperit filium ejus maſculum, qui recturus erat omnes gentes in virgâ ferreâ; & raptus eſt filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.

℣. 6. Et mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum, ut ibi paſcant eam diebus mille ducentis ſexaginta.

Verſ. 1. *Et ſignum magnum apparuit in Cœlo:*

BEATUS Joannes Capite præcedenti ſummariè retulit *Regnum hujus mundi factum Domini Noſtri, & Chriſti ejus*; Apoc. 11. v. 15. hoc autem capite, & nonnullis aliis explicaturus eſt per partes myſterium illud; ediſſeretque quomodò mirabilis iſta Imperii ab Ethnicis ad Chriſtianos tranſlatio evenerit. Icciroo, cùm Dominus omnia, quæcumque vult, faciat in Cœlo, & in terrâ, *ſignum magnum* rei magni momenti in terrâ futuræ, nec umquàm ſatis ſuſpiciendæ, exhibet in Cœlo.

Ex verſ. 1. *Mulier.*

Antiqui Prophetæ de populo Iſraël, impietate ſuâ inanibus diis addicto, locuti ſunt ſub ſpecie mulieris, quæ *fornicata eſt cum multis amatoribus*: Jer. 2. v. 1. Evangelicus autem Propheta Eccleſiam Chriſtianam repræſentat ſub ſigno mulieris caſtæ, utpote quæ unum Deum colit; eique pietate ſuâ conjuncta fidem intemeratam ſervat. Ante Joannem Paulus Eccleſiæ, & mulieris comparationem propoſuerat. *Vir*, inquit, *caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto; ita & mulieres viris ſuis. Viri diligite uxores veſtras; ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* ad Eph. 5. v. 23. 24. 25.

Ex verſ. 1. *Amicta ſole.*

Hæc mulier, quâ intelligitur Eccleſia, Virgo eſt, & ſponſa Chriſti, integritate fidei ſuæ, & perfectione charitatis erga ipſum. Undè Paulus, *deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* 2. ad Cor. 11. v. 2. *In Chriſto Ieſu fides, quæ per charitatem operatur, valet.* ad Gal. 4. v. 6. Dùm *baptiſata eſt in Chriſto, Chriſtum induit*; ad Gal. 3. v. 27. ſiquidem *expoliavit veterem hominem cum actibus ſuis, & induit novum, ubi omnia, & in omnibus Chriſtus.* ad Col. 3. v. 9. 10. 11. At Chriſtus ex Scripturis eſt *ſol intelligentiæ*, & *ſol juſtitiæ*, quòd è tenebris erroris, & peccati animas eruat; eaſque luce veritatis, ac ſanctitatis perfundat. Sap. 5. v. 6. Malach. 4. v. 2. Quapropter Eccleſia ejus ſponſa videtur *amicta Sole*, quippe quæ Chriſti ſplendore, non tantùm interiùs, ſed etiam exteriùs refulgeat. Quid enim in Eccleſiâ, ut Eccleſiâ, & ſponſâ Chriſti, ineſt ſive in fide, ſive in moribus, ſive in ſacramentis, ſive in ritibus, quod Chriſtum non præ ſe ferat, & exhibeat? Meritò itaque apparet Eccleſia tanquam *mulier amicta ſole.*

Ex verſ. 1. *Et luna ſub pedibus ejus.*

Ecclic.27. *Homo Sanctus*, inquit Author ſacer libri Eccleſiaſtici, *in ſapientiâ ma-*
v.12. *net ſicut Sol: nam ſtultus ſicut luna mutatur.* Eccleſia verò fidem habet
ad Eph. 4. invariabilem, & immutabilem, juxta Pauli effata: *Vnus Dominus, una*
v. 5. *fides: Ieſus Chriſtus heri, & hodie: ipſe & in ſacula: doctrinis variis, &*
ad Heb. *peregrinis nolite abduci. Stabiles eſtote, & immobiles: non enim eſt aliud*
13. v. 8 9. *Evangelium; & ſi quis vobis Evangelizaverit præter id, quod accepiſtis,*
1. ad Cor. *anathema ſit.* Quare, cùm fides Eccleſiæ, non ſit fides temporum va-
15. v. 58. riabilis, ſed perpetuò eadem, convenienter exhibetur Eccleſia *Sole*, qui
ad Gal. 1. ſemper idem eſt, *amicta*; & *lunam*, cujus mutationibus nequaquàm
v. 7. 9. obnoxia eſt, *ſub pedibus habere*, & conculcare.

Ex verſ. 1. *Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim.*

ad Eph. 5. Ex Paulo *caput Eccleſiæ Chriſtus*: Chriſtum autem circumcingit duo-
v. 23. denarius numerus Apoſtolorum; qui, *cùm ad juſtitiam erudierint multos,*
Dan. 12. *fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpetuas æternita-*
v. 3. *tes.* Horum duodecim Apoſtolorum doctrinâ, & ſanctitate, veluti duo-
decim ſtellarum fulgore, coruſcat Eccleſia; & tantoperè nitet, ut ad-
mirationi ſit omnibus, qui eam contemplantur.

ad Rom. Quemadmodùm etiam corpus à capite vim habet ſentiendi, & ſeſe
10. v. 17. movendi: ſic Eccleſiæ ſenſus omnis, & motus oritur à Chriſto per
18. Apoſtolos. *Audit verbum fidei* ab Apoſtolis traditæ. Novit *myſteria* Di-
1. ad Cor. vina, quorum Apoſtoli *diſpenſatores* fuerunt. Speculatur cum illis *glo-*
4. v. 1. *riam Domini*; & *bonum Chriſti odorem*, quem ſparſerunt, excipit. *Guſtat*
2. ad Cor. *donum cæleſte*; & *Spiritum Sanctum*, *cujus participes facti ſunt*, ſpirat.
3. v. 18. Quod *contrectaverunt de verbo vitæ*, & ipſa piè, ſanctèque contrectat
C. 2. v. 15. in ſacroſanctis myſteriis. Denique *imitatrix* eſt *Apoſtolorum*, *ſicut* & illi
ad Heb. 6. *imitatores fuerunt Chriſti.*
v. 4.
1. Joan. 1.
v. 1.

℣. 2. *Et in utero habens.*

1. ad Cor. Eccleſia fœta erat ingenti fide, ſpe vehementi, præponderante deſi-
11. v. 1. derio videndi effectum tandiù expectatum pollicitationis Divinæ, quâ
Luc. 1. promittebatur ei, multiplici teſtimonio Scripturarum, fore, ut *ſine ti-*
v. 74. 75. *more de manu inimicorum liberata ſerviret in juſtitiâ, & ſanctitate Chri-*
Pſ. 71. *ſto*; ipſique etiam *omnes gentes ſervirent*; ac *Princeps hujus mundi ejice-*
v. 11. *retur foras*; & ipſe Chriſtus omnium Dominus *exaltatus à terrâ traheret*
Joan. 12. *omnia* ad ſeſe.
v. 31. 32.

Ex verſ. 2. *Clamabat parturiens.*

Pſ. 119. *Ad Dominum, cùm tribularetur* ab adverſariis Eccleſia, *clamabat*; ju-
v. 1. geſque *preces, & ſupplicationes* magno affectu *cum lacrymis, & cla-*
ad Heb. 5. *more valido ei offerebat*, ut dignaretur ipſam à tot, tantiſque inimicis
v. 7. *ſalvam facere.*

Ex verſ. 2. *Et cruciabatur, ut pariat.*

Joan. 16. Non ſolùm dolores à perſecutoribus Eccleſia patiebatur, & *in mundo*
v. 33. *preſſuram habebat*; ſed etiam jejuniis, aliiſque exercitationibus peracer-
bis

bis corpus, & animam ultrò excruciabat, ut gratiam, quam poſtulabat à Sponſo, impetraret, vel extorqueret.

Ex verſ. 3. *Et viſum eſt aliud ſignum in Cœlo; & ecce draco magnus rufus.*

Draco ille magnus, ex verſu nono hujuſce capitis, eſt *diabolus*; apparetque *rufus*, quia ardens eſt irâ, & odio implacabili adverſus ſanctam Eccleſiam cultui Dei addictam.

Præterea, dicuntur *dracones obvii deprehenſi in adverſos erigere ſe, oculoſque maximè petere; ac plerumque ex ictibus conficere*; necnon *ebibere ſanguinem; eoque inebriari.* At ex Paulo diabolus *excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti*; tantoque ardore ſanguinem fidelium ſitit, & excipit, ut Roma, cùm eſſet horrendæ ſuperſtitioni dæmonium mancipata, moveretur que à Diabolo adverſùs Chriſtianos, aſſeratur à Joanne *ebria de ſanguine ſanctorum, & de ſanguine martyrum Ieſu.* Plin. hiſt. Nat. l. 8. c. 12. 2. ad Cor. 4. v. 4. Apoc. 17. v. 6.

Ex verſ. 3. *Habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus ejus diademata ſeptem.*

Exhibetur diabolus, tanquam draco, habens capita ſeptem, cum ſeptem diadematibus, & cornua decem, quia, ut Eccleſiam perſequeretur, utebatur impiâ poteſtate Romæ tunc temporis Ethnicæ, & Imperium tenentis, quæ Apocalypſis capite decimo ſeptimo, dicitur *Civitas magna habens regnum ſuper* Reges terræ, quæque oſtenditur ſub ſpecie *mulieris ſedentis ſuper beſtiam habentem capita ſeptem, & cornua decem*, hoc eſt, ut ibidem explicatur, *ſeptem montes, & ſeptem Reges*, necnon alios *decem Reges*, ſeu Imperatores Ethnicos, qui *pugnabunt cum Agno*, ſcilicet Chriſto; & quos Chriſtus *cum electis ſuis, & fidelibus vincet*, ſicuti fuſiùs refertur citato capite; & per partes ſingulas ibidem enucleatiùs, Deo dante, explicabo. Apoc. 17. v. 18. 3. 9. 12. 14.

Verſ. 4. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem ſtellarum Cœli, & miſit eas in terram.*

Diabolus ad ſua conſilia nefaria pelliciebat, ducebatque poſt ſe vi authoritatis ſuæ impiæ tertiam partem Angelorum nequam ſibi devinctorum; & miſit illos in terram, ut oppugnarent Chriſtianos, qui tertium hominum genus conficiunt. Hic ſenſus eſt verborum, quæ propoſita ſunt: ſed ut is perſpicuè pateat omnibus, juvat eadem verba ſingularim explanare.

Ex verſ. 4. *Et cauda ejus.*

Quandoquidem cauda ſit à tergo animantium, atque avium, transfertur caudæ nomen, non ſolùm ad nobilium virorum, & mulierum veſtes, quæ à tergo ſunt oblongiores cæteris partibus; verùm etiam ad turbam hominum, qui perſonas digniores, quibus ſubſunt, ſequuntur. Sic exercitus, ſeu longus ductus militum, qui ſequuntur Ducem antecuntem, appellatur nonnunquam cauda Ducis illius: undè ſi hoſtis aggrediatur eum, non à fronte, ſed à tergo, dicitur eum adoriri in caudâ,

l'attaquer en queuë. Quapropter cauda draconis, ſeu diaboli, eſt militia tartarea malorum Angelorum, qui illum ſequuntur tanquàm ducem.

Ex v. 4. *Trahebat.*

Videre eſt ſerpentes propter longitudinem illorum, & diſtinctionem multiplicium nodorum, ex quibus coaleſcunt, non moveri totos ſimul; ſed caput, cum progreditur, trahit corpus, & caudam per varias partes, unam poſt alteram, eæque ſequuntur neceſſitate naturali attractæ. Sic, cùm Dux exercitus incipit antecedere, non illicò totus ſimul exercitus incedit; ſed paulatim, ac per partes ſucceſſivas progreditur; attamen Ducem, cui ſeſe juramento obſtrinxit, neceſſitate quâdam morali ſequitur juxta motum ſibi ab ejus imperio inditum. Ita cùm Angeli, rebelles Deo, ſeſe ſubdiderint diabolo, ad eam neceſſitatem ſeſe perverſitate ſuâ adegerunt, ut ei obſequantur; iſque ipſos, quocumque vult, alios poſt alios, authoritatis ſuæ malignitate pertrahit ad ſeſe.

Ex verſ. 4. *Tertiam partem ſtellarum Cœli.*

ad Col. 1. v. 13. ad Rom. 13. v. 12. Joan. 3. v. 20. Iſai. 14. v. 12.

Quamvis mali angeli vocentur à Paulo *poteſtates tenebrarum*, quòd peccati tenebris obvoluti ſint; ac in eos, qui perpetrant *opera tenebrarum*, hoc eſt, ſcelera, quæ in tenebris vel pudore, vel metu hominum ſolent fieri, dominentur: tamen propter aciem mentis naturalem, quæ etiam nunc in ipſis micat, dici queunt ſpiritus fulgentes; unde diabolus, qui cæteros ſibi ſubditos præcellit acumine, nuncupatur utplurimùm *Lucifer*; ideoque angeli tenebrarum comparari poſſunt ſtellis, quæ inter tenebras noctis lucent; nec totam ejus depellunt caliginem.

ad Eph. 2. v. 2. C. 6. v. 12. Luc. 8. v. 5. 12.

Cùm autem è locis Cœli ſuperioribus, in quibus creati fuerant omnes Angeli, miris gratiæ ſplendoribus coruſcantes, ii, qui à Deo deſciverunt, in pœnam ſuperbiæ illorum amandati fuerint ad has partes inferiores aëris, qui & in Scripturis appellatur Cœlum; ea propter retinere poſſunt nomen tralatitium ſtellarum Cœli, nempe aërii, ac caliginoſi, utpote nubibus obnoxii. Hinc à Paulo dicuntur *Spiritus aëris hujus; & ſpiritualia nequitiæ in Cœleſtibus*; necnon à Chriſto per parabolam loquente vocantur *volucres cœli.*

Ex verſ. 4. *Tertiam partem.*

ad Heb. 1. v. 14. Gen. 3. Sap. 2. v. 24. 25.

Jam verò, ſicuti Paulus bonos Angelos aſſerit eſſe *omnes adminiſtratorios ſpiritus, in miniſterium miſſos propter eos, qui hereditatem capient ſalutis*; contrà, perditorum angelorum turba execrabilis in perditionem hominum eſt conjurata. Undè diabolus primum hominem adortus eſt; eique peccatum ſuaſit, ac ejus in crimine univerſum genus humanum implicavit. Quamobrem dixit Sapiens, *invidiâ diaboli mors introvit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* At ante Incarnationem Verbi Divini, diabolus videtur angelos ſuos diviſiſſe quodammodò in duas turmas, ut hominum, qui tunc temporis erant, duplex genus, Judæos ſcilicet ac gentiles, expugnarent: Judæos à veri Dei cultu abjicerent; & in vitia quæque impellerent: gentiles autem erroribus, ac flagitiis conſectaneis idololatriæ magìs ac magìs irretirent.

Sed

Sed poſtquàm Chriſtiana Religio cœpit efflorefcere; & juxta Prophetiam Zachariæ, alio jam Apocalypſis loco relatam, tertiam partem, ſeu tertium hominum genus in terrâ producere; diabolus diſtribuit omnes Angelos ſuos in tres turmas, ut non modò Judæos, & Gentiles, ſed etiam Chriſtianos totis viribus oppugnarent. Zachar. 13. v. 8 9.

Hanc tertiam partem malorum angelorum traxit poſt ſe diabolus in prælium adversùs Chriſtianos; idque Joannes ſignificavit his verbis, *cauda ejus*, nempe Draconis, *trahebat tertiam partem ſtellarum Cœli.*

Ex verſ. 4. *Et miſit eas in terram.*

Primùm quidem videtur diabolus tertiam illam partem angelorum nequam ad ſe convocaſſe, ut quemque illorum quodammodò ſeparatim mitteret ad laceſſendum quemlibet Chriſtianum; ac ſi minùs, quàm vellet, eâ in pugnâ proficerent, colligeret poſteà ipſos in unum exercitum; totiſque, & conjunctis viribus omnes Chriſtianam Religionem expugnarent. Undè proximis verſibus hujus capitis videbimus *prælium magnum Michaëlis, & Angelorum ejus, cum dracone & angelis ejus.* Apoc. 12. v. 7. Illi Sancti Angeli præliabuntur, ut Chriſtianam Religionem tueantur: mali autem angeli, quò illam, ſi poſſint, evertant. Interim ipſe Diabolus mentis ſuæ dolos, & vaſtitiem in id potiſſimùm intendit, ut ſi quis videatur curſu temporum Eccleſiam inſigniter propugnaturus, ac è perſecutionibus liberaturus, eum enecet. Quamobrem additur à Sancto Joanne,

Ex verſ. 4. *Et draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cùm peperiſſet, filium ejus devoraret.*

Infantes nonnumquam à ſerpentibus ingentis magnitudinis voratos fuiſſe teſtis eſt Plinius, cùm refert ſub *Claudio Principe occiſæ in Vaticano ſerpentis ſolidum in alvo ſpectatum infantem.* Id dictum velim, ut figuræ in verbis relatis propoſitæ congruitatem indicem. Quoad rem autem, quæ ſub eâ figurâ latitat: Plin. hiſt. Nat. l. 8. c. 14.

Non ſecùs ac infeſtus hoſtis, & ſagax explorat diligenter ſtatum illius, in cujus perniciem juravit, ut datâ occaſione illum perimat; ita diabolus Chriſtianorum piè, ſanctèque Deum colentium adverſarius infenſiſſimus, atque egregiè aſtutus, obſervat ſedulò quæ in illis peraguntur, ut cùm ſeſe obtulerit opportunitas ipſis nocendi, detrimentum, quodcumque potuerit, illis inferat. Hâc arte peſſimâ dæmon inſtructus, quia novit Eccleſiam, mulieris, ut antè dictum eſt, nomine ſignificatam, concepiſſe ſpem, quòd tandem aliquando ab Ethnicorum perſecutionibus liberetur, ac gentes ſubigantur Chriſto, aſſeritur *ſtare ante illam*, tanquàm defixus perpetuò in eam, ut attendat nùm reipsâ oboriatur ei aliquis, qui ipſi tantum bonum, quod ſperat, procuret. Quòd ſi animadverterit enatum talem virum, decrevit omnes artes ſuas, cunctamque nequitiam ſuam conferre, ut quoquo modo, ſive per ſeſe, ſive per miniſtros quoſlibet ſibi devinctos, angelos malos, vel homines nefarios, ipſum interimat; ac ſpem Eccleſiæ velut inaniter conceptam eludat.

Verſ. 5.

Digitized by Google

Verſ. 5. *Et peperit filium maſculum.*

Quidquid tamen vafer, & nequiſſimus hoſtis diabolus molitus fuerit adverſùs ſanctam Eccleſiam; nihilò ſeciùs ipſa pietate ſuâ in Deum non intermiſſâ, charitate erga nationes etiam ei adverſantes perpetuâ, humilitate ſui ipſius profundâ, bonorum operum praxi aſſiduâ, & malorum ſibi illatorum non deficiente patientiâ, obtinuit tandem à Deo optimo, & maximo virum Imperio deſtinatum, qui eam benignè excipiat; perſecutores amoveat; cultum Dei amplificet.

Ex verſ. 5. *Qui recturus erat gentes in virgâ ferreâ.*

Is Imperator Chriſtianis favens, nationes ei ſubditas, quæ falſos Deos colerent, recturus erat authoritate Chriſti Domini, & ad gloriam illius, juſtâ, ac ſanctâ ridigiditate; earumque delubra, & ſimulacra deſtructurus: ait enim Propheta Regius Chriſto de gentilibus: *Reges*
Pſ.2.v 9. *eos in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes eos.*

Ex verſ. 5. *Et raptus eſt filius ejus.*

Talem Imperatorem dixerim, & filium Eccleſiæ,& filium Dei. Filius eſt Eccleſiæ, utpotè editus enixis ejus precibus, & vehementi dolore, quem in perſecutionibus Ethnicorum perpeſſa eſt. Addo Imperatorem iſtum ſuſcepiſſe fidem Eccleſiæ; & inter filios ejus fuiſſe cooptatum. Filius autem Dei eſt, tanquàm à Deo promiſſus, & datus. Quocirca dici
Gen.35. v.18. queat tùm *Benoni, filius doloris* Eccleſiæ: tùm *Benjamin, filius dextera Excelſi.*

Ex verſ. 5. *Ad Deum.*

Ut Imperator ille amplecteretur fidem Chriſti, cujus gloriæ ſerviret, & Eccleſiæ, cui prodeſſet, *raptus eſt* divinâ gratiâ ad contuendum mirabili mentis exceſſu Chriſtum, qui non homo tantùm, ſed & Deus eſt.

Ex verſ. 5. *Et ad thronum ejus.*

Evectus quoque fuit favore divino ad conſpiciendum cœlitùs ſignum ſalutiferum Crucis, quæ Chriſti Dei eſt thronus; quippe cui Chriſtus ut Rex pro ſalute populi ſui inſedit; & per quam Regnum ſibi de gentibus vendicat.

Hæc propoſitorum Apocalypſis verborum interpretatio maniſeſtè patet in Conſtantino Magno.

Euſeb.vitę Conſt. l.1. c.8. Etenim, ut de eo poſt Euſebium in illius vitâ loquar; *Cùm crudele quoddam tyrannorum genus populum Hebræorum labore, & cruciatu graviter affligeret, Deus illum commiſeratus benignè reſpexit; Moyſemque prophetam, cùm adhuc puer eſſet, in ipſis mediis tyrannorum domiciliis educandum, atque ſapientiâ, quæ apud illos fuit, imbuendum providè curavit. Poſteà verò iſte Dei Propheta egreſſus eſt ex ædibus tyrannorum*, ut mortem ſibi ab illis imminentem declinaret; ac tandem *univerſam gentem ſuam, cui fuit Dux à Deo præfectus, ab hoſtibus penitùs liberavit; & tyrannorum genus ſupplieiis inflictis inſectatus eſt: ſic etſi tyranni noſtrâ memoriâ Eccleſiam miſerè divexarint, Conſtantinus tamen medius inter*

lo

Digitized by Google

hos interjectus (qui quidem paulò poſt tyrannos è medio ſuſtulit) dùm adhuc adoleſcens eſſet, non aliter atque ipſe Dei famulus Moyſes, in familiis tyrannorum aſſiduè vitam degit: ut enim corporis compoſitione ad pulchritudinem aptâ, & ſtaturæ, ut ætas tulit, proceritate nemo cum illo comparari potuit, & virium etiam firmitate tantùm ſuperavit æquales, ut illis nonnihil terroris injiceret: ſic virtutibus animi multò magìs quàm corporis ornamentis nobilitatus eſt; quippe modeſtiâ primùm ſuum decoravit animum; deinde politiore literaturâ; tùm prudentiâ à naturâ prope inſitâ; ad extremum ſapientiâ divinitùs animo conſignatâ eximiè educavit. C. 13.

Quem quidem, cùm illi, qui tùm rerum potiebantur, adoleſcentem generoſum eſſe, robuſtum, procerum, excelſo, & erecto animo præditum animadverterent, invidiâ ſimul fuerunt, & metu perculſi: Quâ re inducti tempus opportunum obſervant ſedulò, quo gravi aliquâ contumeliâ eum afficiant: quod quidem adoleſcens animadvertens, ſiquidem Dei nutu inſidiæ contra illum comparatæ, ſemel, & iterùm fuere perſpicuè deprehenſæ, fugâ ſalutem quæſivit; atque in eâ re exemplum magni Prophetæ Moyſis eſt probè imitatus. Iſta Euſebius. C. 14.

Nicephorus addit, *Diocletianum, & Galerium Maximianum, auguribus, auſpiciiſque conſultis occultè, cognoviſſe Conſtantinum, non modò toto Romanorum Imperio potiturum, verùm etiam Græcorum idololatriæ everſorem; ac Chriſti, & Chriſtianorum eximium amatorem futurum. Itaque Diocletianus illum Alexandriæ in Ægyptiâ Achillis rebellione, quamvis egregia manu edentem facinora, interficere eſt conatus; & Galerius in Palæſtinâ ei inſidias ſtruxit: quibus ille compertis, nutu Dei, qui omnia rectè, & ſapienter dirigit, Nicomediâ ſolvens, ad patrem trajecit.* Nicephor. l. 7. c. 19.

Sed &, relatu Zoſimi, Maximianus Herculius, qui abjectâ cum Diocletiano purpurâ, Imperium recuperare tentabat, *fallere conabatur Conſtantinum; eique ſtruere nitebatur inſidias, eorum operâ militum, quos ille penes ſe habebat.* Quin etiam *Maxentius occaſiones gerendi adversùs Conſtantinum belli quærebat.*

Ita ex Euſebio, Nicephoro, & Zoſimo liquet quomodò diabolus Imperatorum Ethnicorum adminiculo conatus ſit Conſtantinum, futurum Eccleſiæ filium, & Chriſtianæ Religionis vindicem, ac liberatorem enecare. Hoc ſignificaverat Joannes, cùm dixiſſet, *draconem ſtetiſſe ante mulierem, ut filium ejus devoraret.*

Quòd autem pius ille Imperator *recturus eſſet omnes gentes in virgâ ferrea*, juxta relatam à nobis explanationem, manifeſtum eſt etiam apud Euſebium. *Non ſolùm*, inquit, *ſervatorem ſuum magno affecit honore; verùm etiam ſuperſtitioſum gentium errorem omnibus modis coarguit. Itaque quorumdam delubrorum veſtibula ejus mandato in quaque Civitate nudata, portæque dirutæ. Aliorum tectum cum laquearibus, tegulis ablatis, deturbatum. Aliorum inſignia monumenta ex ære fabricata, in foro Civitatis Imperatoris nomine nuncupatæ omnibus palam propoſita, ut intuentium oculis pro turpi ſpectaculo ſubjicerentur. Miſit quoque viros, qui tùm ſin-* Euſeb. vitę Conſtant. l. 3. c. 52.

gulari Imperatoris ſanctimoniâ, tùm ſuâ ipſorum in Deum pietate freti, in ſingulis urbibus, regionibuſque errorem longinquo tempore inveteratum omninò profligarunt.

Denique, quòd *raptus fuerit ad Deum, & ad thronum ejus*, uti prædictum eſt à Joanne, Conſtantinus, viſo Chriſto Domino, & ſigno ſalutari Crucis ejus in Cœlo, quemadmodùm verba Ioannis ſuperiùs explicui, teſtatur idem Hiſtoriographus his verbis. *Dei opem precibus implorant Imperatori, viſio quadam Divina, & inprimis admirabilis apparuit; quam nobis ipſis poſteâ jurejurando confirmavit. Cùm jam Sol ad medium Cœlum aſcendiſſet, die in pomeridianum tempus paululùm inclinante, dixit ſe Crucis ſignum ex lucis ſplendore figuratum in ipſo Cœlo Soli imminens, manifeſtò oculis aſpexiſſe, inque eo inſcriptionem conſignatam, quæ hac verba complectebatur, In hoc vinces. Admiratio ingens, & totum exercitum, qui eum quòpiam iter facientem comitabatur, atque adeò hujus prodigii ſpectator fuerat, inceſſit. Se dubitatione admodùm intra ſe diſtrahi, quid tandem illud oſtentum ſibi vellet, aſſeruit; atque eum diù, multumque de eo cogitantem, oppreſſit nox. Ibi ei dormienti Chriſtum Dei cum ſigno in Cœlo monſtrato viſum eſſe; præcepiſſeque ut exemplari ad imitationem illius ſigni, quod in Cœlo apparuerat, fabricato, eo tanquàm præſidio in præliis cum hoſtibus committendis uteretur. Conſtantinus admiranda illâ viſione obſtupefactus, nullum alium Deum, quàm qui ipſi apparuiſſet, colendum eſſe ſtatuit.*

Euſeb. vitæ Conſt l. c. 22. 23. 26.

Verſ. 6. *Et mulier fugit in ſolitudinem.*

Eccleſia Chriſti conſilium, & exemplum ſecuta, tempore perſecutionum ſeceſſit, quantùm ei fas fuit, ab urbibus, in quibus graſſabatur perſecutio; ſeſeque recepit in loca ſolitaria, quæ eſſent à conſpectu impiorum remota, ubi protegente Deo tuta eſſet, atque incolumis.

Sic Euſebius ex Dionyſio Alexandrino perſecutionem tempore Decii illatam Alexandriæ narrans, ait: *Uno quaſi animorum impetu omnes in piorum ædes irruere, expoliare, diripere, diſſipare, exurere; adeò ut civitas illa veram ſpeciem urbis ab hoſtibus captæ, diſpoliatæque probè repræſentaret. Fratres ergo deflectere è viâ; & in loca ſeparata, ac ſolitaria ſe ſubducere; rapinam bonorum ſuorum cum illis, quibus Paulus illuſtre perhibebat teſtimonium, cum gaudio ſuſcipere.*

Euſeb. hiſt. l. 6. c. 34.

Baronius autem ad annum Diocletiani & Maximiani decimum octavum, refert ex actis Martyrum Nicomediæ; *Quibuſcumque virginibus earum corpora erant valentia, ipſa ſtatim fugam ſpectabant; & ad montes, & ſpeluncas, & ignotas ſolitudines celeriter abibant, malentes vitam degere cum feris, quàm cum hominibus feris longè immanioribus; & qui corpora virginitatem exercentia probro afficere, inhoneſtum non eſſe exiſtimant.*

Baron. an. Chr. 301. N. xxxi.

Idem Cardinalis ad annum primum Galerii Maximiani, qui Diocletiano ſucceſſerat, ex Sancto Baſilio inquit, Cæſareæ in Cappadociâ, *complebantur ſupra modum carceres; domus inſignes, & opulentæ evacuabantur: pleni ſaltus, plena perfugis loca deſerta, ob unum tantùm crimen, quòd Chriſtum*

Baron. an. Chr 304. N. lxi. lxii. S. Baſil. or. in Gordiū Martyrem.

Chriſtum colerent. Ac ſpeciatim de Gordio Martyre, *relictis omnis generis facultatibus, ad vaſta, deſerta, & hominibus invia loca contendit, longè melius ſecum agi putans, ſi in ferarum receſſibus, quàm inter idola vana cum hominibus habitaret.*

Paria teſtatur Nazianzenus de proavis Sancti Baſilii, quos ſub eadem perſecutione aſſerit *ad quamdam Ponticorum montium ſylvam confugiſſe.* Nazianz. in S.Baſil.

Nec dubium eſt quin ex Maximini, Galerio Maximiano ſuccedentis, edicto, quo præcipiebatur, *longo locorum intervallo, ex urbibus, & agris in exilium ejicere Chriſtianos*, plurimi ex illis compulſi fuerint in ſolitudines ſecedere. Bar. ad an. Chr. 304. n. 21v. Euſeb. hiſt. l. 9. c. 6.

Ex verſ. 6. *Ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi paſcant eam.*

Vellet certè Diabolus Eccleſiam in ſylvis, & montibus, aliiſque deſertis, & abditis locis degentem enecare fame: ſed Chriſtus Dominus, pro quo perſecutionem atrociſſimam patiebatur, victum ei multis, & miris modis, quos referre lubet, ſuppeditabat.

In primis, quemadmodùm *Abdias domus Achabi* Regis Iſraël *diſpenſator, vir timens Dominum, cùm interficeret Iezabel Prophetas Domini, abſcondit de Prophetis Domini quinquagenos, & quinquagenos in ſpeluncis; & pavit eos pane, & aquâ:* Sic nemo dubitaverit quin perſecutionum tempore plurimi ex Chriſtianis ad inopiam redacti, & latitantes in antris, ac cavernis, aliiſque locis, alerentur liberalitate divitum, qui pleni fide, & charitate ſuas ipſis opes libenter erogabant. Horum ſanè monumenta præclara ſunt Catacumbæ Romanæ, in quibus fideles numeroſiſſimi, cùm perſecutiones in eos graſſarentur, delituere; & victum duxere. 3. Reg. 18. v. 13.

Baronius etiam ex rebus geſtis à Caio Papâ refert ad annum Diocletiani tertium, quòd *ex Sancti Cay Pontificis conſilio Chromatius, vir illuſtriſſimus, Chriſtianos illos omnes, qui ſcilicet nuper crediderant, in domum ſuam recepit; cunctoſque ita fovit, ut nullus omninò ſacrificandi neceſſitati ſuccumberet. Verùm, quia tanta perſecutionis extitit vis, ut opinio Chriſtianæ Religionis ab eo ſuſceptæ celari jam non poſſet, meruit ex ſacro reſcripto Chromatius, ut medelæ gratiâ in Campano littore, ubi lati ceſpitis erat dominus, demoraretur; fecitque copiam Chriſtianis omnibus cum ipſo ire volentibus eò commigrandi, ad perſecutionis rabiem declinandam.* Baron. an. Chr. 286. n. 3 v.

Quare non immeritò Chromatium ex eâ erga Chriſtianos, perſecutionibus Diocletiani vexatos, charitate, comparaverim Abdiæ paſcenti latitantes Prophetas Domini, quos Iezabel perſequebatur.

Deindè, cùm Chriſtus Dominus, turbarum illum ſequentium miſertus, *nè deficerent*, paverit ſemel *in deſerto quinque panibus, & duobus piſcibus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis*; alterâ etiam vice *ſeptem panibus, & paucis piſciculis, quatuor millia hominum, extra parvulos, & mulieres,* aluerit. Quis ambigat amantiſſimum Salvatorem pari miſericordiâ quandoque motum fuiſſe erga ſanctiores fidelium catervas ad loca deſerta pro illius confeſſione nominis relegatas, ubi interirent, niſi ipſe ſubveniret? Plura alia, iiſque majora miracula, in gratiam ſuorum Matth. 14. & 15.

Digitized by Google

rum Martyrum, dùm leonibus, aliiſque feris exponerentur in amphitheatris devorandi, edidit.

Putaverim quoque eum nonnumquàm Sanctos illos, ſibi addictiſſimos, tenui victu ita corroboraſſe, ut pleriſque poſteà diebus nullo indigerent alimento, quò vires refocillarent. Sic quondam Elias impiam, & perſecutricem Iezabelem fugiens, cùm comediſſet panem ſibi ab Angelo
3. Reg. 19. v. 8. porrectum in deſerto, *ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.*

Præterea, ſicuti, dùm fames graviſſima populum Achabi, & Jezabelis atterebat, præcipiente Domino Elias receſſit indè, & abſcondit ſe
3. Reg. 17. à v. 1. ad 6. in torrente contra Jordanem; *ac corvi deferebant ei panem & carnes mane, & veſperi*; exiſtimaverim Chriſtum Dominum ſimile ſubſidium aliquoties piis ſuis cultoribus, in deſerto propter illum commorantibus, contuliſſe; & reipsâ illud pluribus annis præſtitit Paulo, poſtquàm Decii
Hieron. in vitâ Pauli Eremitæ. perſecutionem fugiens in eremum ſeceſſit.

Poſtremò, non ſecùs ac olim Deus populo ſuo, cùm in deſerto erraret, non tantùm manna, quo veſceretur plurimis annis, præbuit; ſed
Num. 11. etiam carnes petenti magnam copiam coturnicum, quibus ſatiarentur, in eorum caſtra mirabiliter immiſit: Ita creaturarum omnium Dominus feras aliquandò impellebat, ut ſervis ejus ſeſe ipſas in edulium dederent.

Greg. Naz. or. in S. Baſil. Cùm, inquit Gregorius Nazianzenus de proavis Sancti Baſilii, *in montibus, & ſylvis ſuaviores quaſdam epulas expeterent, ut qui temporis longinquitate fracti, ac debilitati eſſent, dicebant: Quid, fieri hoc nequit, ut Deus, qui peregrinum populum, & profugum ita copiosè in deſerto aluit, nos hodierno die lautioribus obſoniis paſcat? Tot feræ divitum menſis, quales quondam nobis erant, fugâ elapſæ, his in montibus latitant. Tot eſculenta aves ſupra nos, qui eas expetimus, ſupervolant. Quorum quid omninò eſt, quod Te, vel ſolùm annuente, non facilè capi poſſit? Hæc eorum verba erant; ac præda verborum eorum erat obſonium ſponte oblatum, convivium nullo labore instructum. Cervi è tumulis repentè apparentes: Quâ magnitudine! Quàm pingues! quàm ad necem prompti, & parati, orationis tantùm, juſtæque petitionis vinculo conſtricti! Quantùm voluntas ferebat, detentum eſt: quòd ſuperarat ad ſylvam in ſecundam menſam relegatum eſt. Ex quo etiam convivæ grati, beneficiique memores, ad eam dimicationem, quæ hæc illis afferebat, alacriores redditi ſunt.* Iſta piè, & facundè Nazianzenus, ut ſolet.

Baron. ad an. Chr. 304. N. LVII. *Ex quibus*, uti adnotavit Baronius, *inſinuatur Dei providentia erga fideles ſuos, qui Evangelii causâ extorres facti eſſent, ut hoc uno exemplo quid erga cæteros profugos factum ſit, (quòd ſcripta deſint) exiſtimatione quis aſſequi poſſit.*

Ex ✠. 6. *Diebus mille ducentis ſexaginta.*

Num. 11. Ep. Iac. 5. v. 17. Numerus ille dierum, conficiens quadraginta duos menſes, ſeu tres annos, ac ſemiſſem, aſſignatur à Joanne, comparatione quâdam ad tempus, quo Elias ſingulari providentia Dei mirabiliter alitus eſt, cùm

graſſaretur

graſſaretur fames ex ſiccitate trium annorum, ac ſex menſium oborta.

Præfato etiam dierum numero Sanctus Joannes deſignavit tres annos ac dimidium, quibus duravit perſecutio Decii à Gallo, & Voluſiano continuata; necnon illa, quæ à Valeriano excitata eſt.

Denique Joannes de cæteris perſecutionibus adversùs Chriſtianos motis locutus eſt habitâ ratione trium annorum, & dimidio, quibus Antiochi Epiphanis perſecutio contra Judæos antiquum populum Dei graſſata eſt, uti jam Explanatione trigeſimâ nonâ ſecundi verſus Capitis undecimi oſtendi.

Cæterùm, ſi quis adversùs ea, quæ protuli, referret hæc verba Euſebii ex Dionyſio Alexandrino, tempore Decii; *Quid attinet percenſere multitudinem eorum, qui in ſolitudine, & montibus vagi, erranteſque, fame, ſiti, frigore, morbis, latronibus, beſtiis fuerunt extincti?* Adderem ex eodem Authore, *quorum electionis beatæ, & eximiæ victoriæ teſtes ſunt hi, quibus adhuc ex illo numero vita ſuppeditat*, ut pateret Sanctorum illorum, qui variis illis modis in ſolitudine interierunt, mortem ipſis proficuam plurimùm, & in conſpectu Domini pretioſam fuiſſe. Euſeb. hiſt. l. 6. c. 34.

Sed audiamus hâc ſuper re quàm præclarè Sanctus Cyprianus, Dionyſii Alexandrini contemporaneus, conſolabatur eos, qui ut Chriſti fidem illibatam ſervarent, in loca deſerta tempore perſecutionis fugiebant, & interibant. *Ubicumque*, inquit, *in illis diebus unuſquiſque fratrum fuerit à grege interim neceſſitate temporis, corpore, non ſpiritu ſeparatus, non moveatur ad fugæ horrorem; nec recedens, & latens deſerti loci ſolitudine terreatur. Solus non eſt, cui Chriſtus in fugâ comes eſt. Solus non eſt, qui templum Dei ſervans, ubicumque fuerit, ſine Deo non eſt. Et ſi fugientem in ſolitudine, ac montibus latro oppreſſerit; fera invaſerit; fames, aut ſitis, aut frigus afflixerit; vel per maria præcipiti navigatione properantem tempeſtas, ac procella ſubmerſerit; ſpectat militem ſuum Chriſtus ubicumque pugnantem; & perſecutionis causâ pro ſui nominis honore morienti præmium reddit, quod daturum ſe in perſecutione promiſit: Nec minor eſt Martyrii gloria, non publicè, & inter multos periſſe, cùm pereundi cauſa ſit propter Chriſtum perire. Sufficit ad teſtimonium martyrii ſui teſtis ille, qui probat Martyres, & coronat.* S. Cyprian. ep. 56. ad Thibaritanos.

EXPLANATIO XLVI.

Referens ad tempora Conſtantini, & Maxentii, necnon Licinii, prælium Sanctorum Angelorum, & Dæmonum; illorum quidem de ſubvertendâ impietate Ethnicâ; horum autem

pro illâ tuendâ : dejectionem horum , qui antè adorabantur ut Dii, & Chriſtianos perſequebantur : Angelorum verò Sanctorum, ac Martyrum victoriam ; & de eâ cœleſtem lætitiam , à ſeptimo verſu ad primam partem duodecimi verſus Capitis duodecimi Apocalypſis.

VERS. 7. Et factum eſt prælium magnum in Cœlo : Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum dracone; & draco pugnabat , & Angeli ejus.

℣. 8. Et non valuerunt , neque locus inventus eſt eorum ampliùs in Cœlo.

℣. 9. Et projectus eſt draco ille magnus , ſerpens antiquus , qui vocatur Diabolus , & Satanas , qui ſeducit univerſum orbem ; & projectus eſt in terram , & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt.

℣. 10. Et audivi vocem magnam in Cœlo , dicentem : Nunc facta eſt ſalus , & virtus , & regnum Dei noſtri , & poteſtas Chriſti ejus , quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum , qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die , ac nocte.

℣. 11. Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni, & propter verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.

℣. 12. Propterea lætamini Cœli, & qui habitatis in eis.

Verſ. 7. *Et factum eſt prælium magnum in Cœlo. Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum dracone.*

IS eſt Cœleſtium Spirituum pro Dei honore zelus , & ea eſt illorum erga pios Dei cultores charitas , ut vires ſuas omnes exerant pro ipſius gloriâ tuendâ ; & ſuppetias , quantas poſſunt , ferant fidiſſimis ſervis Divinæ Majeſtatis , cùm periclitantur. Hinc *princeps* militiæ Cœleſtis , *gladium evaginatum tenens* , apparuit Joſuevo ; & præbuit ſe ipſum paratum , ut cum eo expugnaret

Joſue 5. v. 13. 14.

hoſtes

hoſtes Dei, infenſos ejus populo. Indè etiam ortum eſt, ut copioſus Angelorum exercitus advolaverit ad auxilium Eliſæi Prophetæ, quem ferox Syrorum turba moliebatur interficere. Nonne & Angelus Sanctus, blaſphemiis Rabſacis commotus, milites Sennacherib uſque ad centum octoginta quinque millia unâ nocte peremit; & pium Ezechiam, ejuſque populum ab exercitu tàm numeroſo feliciter liberavit? Plura ſunt in Scripturis Sacris argumenta benevolentiæ Sanctorum Angelorum erga homines Deo devotos, & zeli cœleſtium illorum ſpirituum pro divino, quem læſum vident ab impiis, honore vindicando.

4. Reg. c. 6.

4. Reg. 18. & 19.

Contrà verò Dæmones tanto in Deum, à quo pœnis æternis juſtè condemnati ſunt, & in homines virtute præditos, à quibus deſpiciuntur, odio exardeſcunt, ut nihil non moliantur, quò Divinæ Majeſtatis gloriam imminuant, ac, ſi poſſint, prorsùs aboleant. Sanctos quoque Dei ſervos, & amicos perſequuntur atrociſſimè, ut eos à pietate, & ſanctitate, necnon æternâ felicitate, ſi valeant, dejiciant.

Illis tàm diverſis affectibus, & tàm oppoſitis ſtudiis, Sancti Angeli, & Dæmones incitati, pugnam inter ſe vehementem, ac frequentiſſimam haùd dubiè committunt: Illi pro Deo, & ſervis ejus: hi contra Deum, & ejus cultores. Certamen hujuſmodi à ſe viſum perhibet Sanctus Joannes.

Verſ. 7. *Factum eſt prælium magnum in Cælo.*

Prælium ſanè illud magnum eſt, quidquid in eo attendam; ſive perſonas decertantes, dignitate naturæ ſuæ ſpiritalis, hominibus corpore, & animo concretis, longè ſuperiores; ſive numerum pugnantium, quàvis hominum multitudine majorem; ſeu locum certaminis, in Cœlo aſſignatum; ſeu cauſam, pro quâ dimicatur.

Quippe inter bonos, & malos Angelos agitur, nùm unus verus Deus ſicut in Cœlo, ſic & in terrâ adoretur; an plures falſi dii colantur ulteriùs. Lis eſt, nùm homines flagitioſiſſimi, necnon ipſi Dæmones perditiſſimi, ac malorum omnium authores, pro Deo ſummè bono, & Sancto, habeantur in honore.

Movetur quoque ingens controverſia, & quantâ fieri poteſt, agitatur animorum contentione, utrùm Chriſtiana Religio ſit adhuc calumniis execrandis laceſſenda; ejuſque ſectatores omni tormentorum genere debeant futuris temporibus iterùm excruciari; vel veritas, ac ſanctitas tàm piæ profeſſionis ſit cunctis propalanda; recipienda ab omnibus; & pacem oporteat credentibus in Chriſtum impertiri.

Ex ℣. 1. *Michaël, & Angeli ejus præliabantur cum dracone.*

Michaël, cujus nomen ſignificat *quis ut Deus*, præeſt exercitui Cœleſti pro Dei gloriâ certaturo; & cum Sanctis Angelis ſuis validiſſimè propugnat, quòd nullus, quantumvìs Sanctus, æquiparandus ſit Deo; multò minùs homo iniquus, ac Dæmon peſſimus habendus ſit in veneratione tanquàm Deus. Contendit etiam ſervos Dei, qui pietate ſuâ pacem cum Deo habent, pacificè tractandos eſſe; nec ullis calumniis, aliiſve injuriis præter fas debere patere.

Ex

Ex verſ. 7. *Et Draco propugnabat, & Angeli ejus.*

Ex adverſâ parte ſtat Draco, cujus nomine ſignificatur acies oculorum illius, acuta quidem; ſed ſubdola, & prava: ita enim videt, ut bonis alienis invideat; & inſidias tendat, ut noceat. Ille autem vafer, & protervus Dæmonum anteſignanus, cum angelis nequam, qui ejus ſuperbiæ, & pravitati adhæſerunt, obſiſtit Michaëli, & ſancto ejus exercitui; ac contendit quòd, dùm homines ſuis ſunt vitiis à Deo averſi, ſeſeque tradiderunt ipſi diabolo, debeant quoque ſub ſuâ diabolicâ poteſtate detineri.

Addit, ab hominibus, cùm mandata Dei contempſerunt, & ipſi Dæmoni flagitia ſuadenti obtemperarunt, ipſummet Dæmonem fuiſſe prælatum Deo; atque iccirco ab illis ſaltem habendum velut Deum: Quæ enim res alteri præponitur, non minoris, ſed majoris, vel ſaltem æqualis pretii cenſenda eſt ab eo, à quo præponitur.

Quòd ſi ipſe Diabolus, utpote perdita, & infeliciſſima creatura, non promereatur eum honorem, quo anteferatur Deo, vel etiam coæquetur: flagitioſos tamen homines dignos eſſe eâ pœnâ, ut ipſummet Diabolum, cui ultrò ſe dediderunt, contempto Deo, agnoſcant tanquam Deum ſuum, ac Dominum.

Prætereà inolitum eſſe à multis ſæculis apud omnes nationes plurium Deorum, ſeu Dæmonum cultum, Deo uno juſto judice id permittente, & Angelis ejus, tanquam aſſeſſoribus, vel miniſtris, annuentibus.

Quid igitur veniat in mentem Michaëli, & Angelis ejus, poſt tot tempora receptam ubique Religionem abolere? Cur illam priſtinis ſæculis non deleverunt, ſi potuerunt? aut ſi id eis, ut eventu probatur, non fuit poſſibile, quam ob rem nunc id inaniter tentant? Itanè ſerò ſapiunt, vel rebus humanis provident, qui ſe ſapientes plurimùm, ac valdè providos gloriantur? Sua ſit illis hæc qualiſcumque gloria: fruantur eâ: per nos licet. Æquo jure nobiſcum decertent: eum quoque honorem, qui nobis libenter impenditur à tot, tantiſque hominibus, integrum relinquant. Ut poſſedimus ab annis plùs quam bis, & ter mille, ita deinceps poſſideamus.

His, & paribus aliis rationibus ſuperbè, ac protervè collatis, tanquàm telis ab hoſte infenſiſſimo ferociter vibratis, Dæmones pro retinendâ impietate ethnicâ, adversùs Sanctos Angelos pro Dei, & Chriſti filii Dei cultu dimicantes, decertarunt.

Harum rationum à Diabolo prolatarum confirmatio poteſt eſſe oratio, quam Licinius pro diis ſuis inanibus, adversùs Conſtantinum Dei, & Chriſti cultorem eximium, præliaturus, habuit ex Dæmonum, quos antè conſuluerat, ſuggeſtu, in hæc verba, quæ refert Euſebius.

Euſeb. vitę Conſt. l. 2. c. 4. 5.

Viri, amici, & ſocii, Dii iſti ſunt patrii, quos ex majoribus antiquitùs colendos accepimus; quoſque religiosè, & ſanctè veneramur. Iſte, qui nobiſcum prælium initurus eſt; patriis inſtitutis violatis, præ errore, quo captus eſt, peregrinum quemdam Deum colens, impiâ opinione mentem imbuit;

buit; & turpi iſtiuſ infigni exercitum ſuum magnopere dedecorat: Quo fretus, procedit in aciem, & non contra nos ſolùm, ſed multò potiùs contra ipſos Deos, quorum cultum ut proditor deſeruit, arma ferre aggreditur. Hoc igitur in tempore liquidò conſtabit, & quis noſtrûm opinionis errore vagetur, & utrùm Diis, qui à nobis, an qui ab alterâ parte, coluntur, priores deferendæ ſint. Si noſtri potiantur victoriâ, quod non dubium eſt, poſt victoriam hoc loco partam, ad bellum contra impios faciendum maturemus oportet.

Iſta apud ſuos coràm oratione diſſeruit Licinius: nobis verò ejus verba retulerunt hi, qui eadem auribus accepiſſent, inquit Euſebius.

Verſ. 8. *Et non valuerunt.*

Verùm hæ rationes Dæmonum futiles, & tela inania fuere. Vicit falſitatem veritas, & ſanctitas impietatem. Deus, maximoperè patiens injuriæ ſibi illatæ, vendicavit tandem honorem ſuum; nec ultrà tulit gloriam nomini ſuo debitam, Dæmonibus deferri. Miſertus eſt humani generis; & infidelitatis tenebras, quibus obcæcatum fuerat, lumine fidei deterſit.

Ex ℣. 8. *Neque locus inventus eſt eorum ampliùs in Cœlo.*

Deus Angelos, qui in ipſum rebellarunt, è Cœlo, in quo creati fuerant, dejecerat; ademeratque eis omnem ſpem in beatorum Angelorum Cœlos umquàm provectum iri. Sed nihilominùs ſuperbi illi ſpiritus deinceps ambierant aliquem in Cœlo illo ſuperiore locum, ſi non reipsâ, ſaltem exiſtimatione hominum, occupare; ac pro Deo ipſo, cui ex Scripturâ *Cœlum ſedes eſt*, & omnis creatura ſubjacet, haberi, & coli. Iſai. 66.

At verus, & unus Deus ſtatuit evellere ex animis omnium nationum v. 1.
erroneam illam opinionem plurium Deorum, ac propttereà dæmones protrudere ab illo Cœleſti loco, quem ementitâ Divinitate ſibi arrogarunt, & procuravere ab Ethnicis confingi.

Sic Iſaïas de Rege Babylonis, qui victoriis ſuis elatus exiſtimabat ſe Iſai. 14.
tanquàm Deum; *Quomodò cecidiſti de Cœlo Lucifer? qui dicebas in corde* v. 4. 12. 13.
tuo, in Cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſimilis 14.
ero Altiſſimo. Nam & Nabuchodonoſor ille, de quo liber Judith, *Dixit* Judith 2.
cogitationem ſuam in eo eſſe, ut omnem terram ſuo ſubjugaret Imperio; & v. 1. 3.
præcepit Holoferni, ut omnes Deos terræ exterminaret, videlicet ut ipſe ſolus C. 3. v. 13.
diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuiſſent Holofernis potentiâ ſubjugari.

Ita de Antiocho Epiphane, Judæorum impio perſecutore, gravi corporis colliſione, & plagâ divinitùs inflictâ vexato, qui antea ſe æquiparabat Deo, liber ſecundus Machabæorum refert: *Is, qui ſibi videbatur* 2. Mach. 9.
etiam fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbiâ repletus, v. 7. 8. 9.
& montium altitudines in ſtaterâ appendere, & paulò antè ſidera Cœli con- 10. 12.
tingere ſe arbitrabatur, ait, juſtum eſt ſubditum eſſe Deo; & mortalem non paria Deo ſentire.

Cùm igitur ſuperbi Principes, Divinitatem ſibi arrogantes, dicantur

ab ipſo ſpiritu Dei, ſcripturarum ſacrarum authore, *ſe arbitrari ſidera cœli contingere, in Cœlum conſcendere, & ſuper aſtra Dei ſolium ſuum exaltare*; juſto Dei judicio, ex illo inani ſuperbiæ faſtigio dejecti, aſſerantur *cecidiſſe de Cœlo*; quantò magìs Diabolus, & angeli ejus, ambientes honorari ab Ethnicis tanquam Dii, cenſendi ſunt, tùm ſuperbiæ ſuæ cogitatione, tùm ipſorum Gentilium errore, locum ſibi effinxiſſe, ac vendicaſſe in Cœlo; & poſtmodùm *non inveniſſe ampliùs in Cœlo locum*, quòd non ampliùs exiſtimati ſint dii, ſed dæmones peſſimi; nec ullo honore deinceps, ſed omni contemptu, & odio afficiendi.

Verſ. 9. *Et projectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit univerſum orbem; & projectus eſt in terram, & Angeli ejus cum illo miſſi ſunt.*

Itaque nequiſſimi illi ſpiritus, ac omni modo cacodæmones, non ampliùs adorati ſunt tanquàm Dii in Cœlo conſiſtentes; ſed cunctis gentibus tanto fuerunt deſpectui, tantæque execrationi, ut illorum templa, quantumvìs versùs Cœlum elata, & ſimulacra supernè collocata, everſa ſint; in terram dejecta; & conculcata.

Ita certè proterendus fuit *draco ille magnus, ſerpens antiquus, vocatus Diabolus, & Satanas*, qui poſtquàm felicitati primorum hominum invidit, iiſque ingeſſit ſuperbam à vero Deo independentiam, & opinionem plurium Deorum nefandam, eodem quoque errore perverſo dementavit cunctas nationes; earumque ſaluti numquam non eſt adverſatus.

Hæc in genere dicta ſint ad interpretationem prælii, & victoriæ ſanctorum Angelorum adversùs Dæmones.

Verùm illâ eâdem pugnâ, & victoriâ non dubito ſignificatum eſſe certamen, quod boni, & mali angeli commiſerunt: Illi, ut ſuppetias ferrent Conſtantini exercitui: hi autem, ut Maxentii primùm, ac poſteà Licinii copias adversùs Conſtantinum numeroſiſſimas inſtigarent; ac, quantùm poſſent, obfirmarent. Etenim ſi ſuperaret Conſtantinus, futurum erat, ut Religio Chriſtiana primas teneret; delereturque ſuperſtitio ethnica: ſecùs ſi Maxentius, vel etiam Licinius vinceret, cultus Dæmonum augeretur, & opprimerentur Chriſtiani.

Nazar. 2. paneg. Conſtant. c. 14. At Nazarius Conſtantinum alloquens, inquit: *In ore eſt omnium Galliarum, exercitus viſos, qui ſe divinitùs miſſos præ ſe ferebant; & quamvìs cœleſtia ſub oculis hominum venire non ſoleant, quòd craſſam, & caligantem aciem ſimplex, & inconcreta ſubſtantia naturæ tenuis eludat; illi tamen auxiliatores tui aſpici, audirique patientes, ubi meritum tuum teſtificati ſunt, mortalis viſus contagium non refugerunt. Sed quænam illa fuiſſe dicitur ſpecies? Qui vigor corporum? Quæ amplitudo membrorum? Quæ alacritas voluntatum? Flagrabant verendum neſcio quid umbones coruſci; & cœleſtium armorum lux terribilis ardebat: tales enim venerant, ut tui crederentur. Hæc eorum ſermocinatio: hoc inter audientes ferebant; Conſtantinum petimus: Conſtantino imus auxilio. Habent profectò, & Divina*

vina jactantiam; & Cœleſtia quoque tangit ambitio. Illi Cœlo lapſi, illi
divinitùs miſſi gloriabantur, quòd tibi militabant. Magnum hoc, Impe- Nazar. in
ratorum maxime; ſed de tuâ pietate non mirum, adeſſe tibi in omni- paneg.
bus ſummam illam Majeſtatem, quæ te circumflexa tueatur. Hæc Na- Conſt.
zarius. c. 16.

Contrà verò de Maxentio, quem Conſtantinus profligaturus erat, inquit Euſebius: *Ad extremum Tyranni ſcelera ad magicæ artis delabebantur* Euſeb. vitę
præſtigias. Quippe interdùm mulieres gravidas diſſecuit; nonnumquàm te- Conſt. l. 1.
nerorum infantium viſcera perſcrutatus eſt; aliquando mactavit leones, c. 30.
ſæpe infandas adjurationes ad dæmones excitandos, quò illorum ſubſidio belli impetum abs ſe averteret, uſurpavit: Nam horum adjumentis ſperavit ſe victoriâ facilè potiturum. Iſta Euſebius.

Ex illis autem Nazarii, & Euſebii teſtimoniis facile colligere eſt ſanctorum Angelorum pro Conſtantino, & Religione Chriſtianâ; Dæmonum verò pro Maxentio, & ſuperſtitione ethnicâ prælium.

Non abſimile in Hiſtoriographis animadverto Michaëlis, & Angelorum ejus pro Conſtantino; ſecùs Diaboli, & Dæmonum pro Licinio certamen.

Siquidem Euſebio referente, *Licinius* Conſtantinum adorturus, *pri-* Euſeb. vitę
mùm augures, & vates Ægyptiorum, veneficos etiam, & præſtigiatores Conſt. l. 2.
ſacrificos, & Prophetas eorum, quos habebat pro diis, acceſſit ad ſe: c. 4.
deindè Diis illis, quos ſibi colendos cenſuit, victimis placatis ſciſcitatur, quomodo belli exitus ipſi ſuccederet. Illi hoſtium victorem ſine dubio fore; inque bello ſuperiores laturum, uno ore reſpondent. Quin etiam longis carminum ambagibus oracula ubique idem aſſeveraǹt. Augures prædicant ei per avium volatus fauſta præſignificata eſſe: ſacrifici, viſcerum micationem ſimilia portendere demonſtrant.

Sed inquit iterùm Euſebius, *dùm iſta gerebantur, viſum quoddam, ſu-*
prà quàm dici poteſt, admirabile, circa Civitates Licinii ditioni ſubjectas, Euſeb. vitę
apparuiſſe ferunt. Nam ſe videre videbantur varias turmas militum ar- Conſt. l. 2.
matorum, qui ſub Conſtantino Duce dimicaſſent, in ipſâ meridie per urbes, c. 6.
tanquàm victoriâ potitas tranſiiſſe. Atque iſta cernebantur, nemine uſpiam revera apparente; ſed viſione diviniore quâdam, & excelſiore virtute, quod futurum erat, portendente.

Profligato deindè Licinio, Conſtantinus Bizantium ampliavit; eamque urbem ſuo nomine nuncupatam, multis, maximiſque Eccleſiis exornavit. Inter illas, ait Sozomenus, ea eſt, quæ *Michaëlium nominatur,* Sozom.
quòd pro certo creditur, Divum Michaëlem Archangelum ibi apparuiſſe. l. 2. c. 3.

Nicephorus addit, *ſomni capiendi tempore aſſiſtentem ibidem Conſtan-* Nicephor.
tino viſionem dixiſſe, Ego ſum Michaël, Archidux Domini virtutum, l. 7. c. 50.
Chriſtianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fideli, & germano illius miniſtro, auxiliaria arma contuli.

Verſ. 10. *Et audivi vocem magnam in Cœlo, dicentem.*

Angeli Sancti, & Spiritus hominum juſtorum in Cœlum jam evecti,

 cùm

cùm Deum verum, à quo originem, ſanctitatem, & gloriam ſunt conſecuti, ſummè diligant, ac venerentur; quàm maximas ei laudes tribuunt, quòd dæmonum, qui mortalium æternæ pernicici inhiant, impiâ ſuperſtitione proculcata, ſe unum voluerit propter hominum, quos condidit, felicitatem, in terris, ut & in Cœlis, adorari.

Ex verſ. 10. *Nunc facta eſt ſalus.*

Jam Deus Optimus, Maximus, cunctarum gentium ſaluti conſuluit, eripiens eas à veterno plurium Deorum errore, quo miſerrimè peribant, æternas cum Dæmonibus, quos colebant, pœnas in inferis daturæ.

Ex verſ. 10. *Et virtus.*

Jam elucet immenſa Dei potentia, & charitas, quòd tot, & tàm ſuperbos, ac malignos ſpiritus toto orbe abegerit; cunctiſque deſpicabiles oſtenderit.

Ex ℣. 10. *Et regnum Dei noſtri.*

Jam ſubjiciuntur Deo noſtro gentes anteà Diabolo mancipatæ; & Imperium terrenum, quod Satanas uſurparat, redactum eſt in poteſtatem Dei unius, omnium Curatoris, & Servatoris.

Ex verſ. 10. *Et poteſtas Chriſti ejus.*

Chriſtus anteà ſuam, cùm Ethnici ſervos illius atrociter perſequebantur, patientiam admiratione dignam oſtendebat; nunc in iis, qui ipſius cultui ſanctiſſimè aſtricti ſunt, potentiam eximiam patefecit. Profligavit Dæmones; gentes ſubegit; cœlique, ac terræ Dominus, & Deus, ut verè eſt, agnoſcitur.

Ex ℣. 10. *Quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum.*

Eò perverſitatis, & nequitiæ devenerat diabolus, ut *fratres noſtros*, filios Dei, credentes in Chriſtum, nefandis calumniis inceſſeret; ipſiſque horrenda crimina falsò objiceret. Infamabat illos apud plebes tanquàm flagitioſiſſimos; traducebatque apud Judices, quaſi eſſent execrandorum ſcelerum rei. Exquiſitis tormentorum generibus ipſos excruciabat; perimebatque morte diriſſimâ, licèt innocuos.

Ex ℣. 10. *Qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die, ac nocte.*

Tot, & tanta mala Satanas Chriſtianis jugiter inferebat *ante conſpectum Dei noſtri*, non veritus ejus æquitatem, ac præſentem Majeſtatem, cui fidelium probitas, & ſanctitas apprimè erant notæ, ac probatæ.

Sic Scriptura Sacra perſæpe arguit homines, quòd coram Deo, cuncta vidente, & ſingulis ſecundùm opera illorum reddituro, audeant flagitia perpetrare.

At Deus ipſemet, verax, & juſtus, iniquiſſimas illas Satanæ adversùs Chriſtianæ Religionis caſtos, ac pios ſectatores, calumnias diſcuſſit; convicit; ab omnium mentibus exploſit.

Quo de tantò beneficio, Conſtantini ope Chriſtianis Divinitùs collato, gratias agens Lactantius, eumdemque Imperatorem alloquens, ait:

ait : *Omnia jam, ſanctiſſime Imperator, figmenta, quæ de pudicis, & innocentibus finxerunt, ſopita ſunt, ex quo te Deus ſummus ad reſtituendum juſtitiæ domicilium, & ad tutelam generis humani excitavit; Quo gubernante Romanæ Reipublicæ ſtatum, jam cultores Dei pro ſceleratis, ac nefariis non habemur. Iam emergente, atque illuſtratâ veritate, non arguimur ut injuſti, qui opera juſtitiæ facere conamur. Nemo jam nobis Dei nomen exprobrat. Nemo irreligioſus ulteriùs appellatur, qui ſoli omnium religioſi ſumus, quoniam contemptis imaginibus mortuorum, vivum colimus, & verum Deum. Te providentia ſummæ Divinitatis ad faſtigium principale provexit, qui poſſis verâ pietate, aliorum malè conſulta reſcindere; peccata corrigere; ſaluti hominum paternâ clementiâ providere; ipſos denique malos à populo Romano ſummovere, quos ſummâ pietate dejectos in manus tuas idem Deus tradidit, ut eſſet omnibus clarum quæ ſit vera Majeſtas.* Hæc Lactantius.

Lactant. Inſtit. Divin. l.7. c.26.

Verſ. 11. *Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni.*

Porrò, quòd Chriſtianæ Religionis veritas de erroribus à ſatanâ injectis, & fidelium pietas de gentilium impietate victoriam, tùm ſuâ virtute, tùm Sanctorum Angelorum auxilio reportarunt, id in primis aſcribendum eſt Chriſto Domino, qui cùm eſſet Agnus Dei innocuus, calumniis atrociſſimis laceſſitus fuit; nec dubitavit pro veritate, & ſanctitate tuendâ ſanguinem profundere: hâc enim ſuâ morte ſanctiſſimâ ſibi, & fidelibus ſuis, ac Sanctis Angelis, de præſtigiis, aliiſque Dæmonum, atque Ethnicorum ſceleribus victoriam promeruit.

Non ingratum, arbitror, erit, hanc explicationem confirmare ex Sozomeno referente quid acciderit Probiano, uni ex Conſtantini ſatellitibus in Eccleſiâ, quam ſuprà diximus Michaëlium in honorem Archangeli Michaëlis nuncupatam. *Viſio divinitùs oblata, quandam Crucis effigiem, quæ in altari illius Eccleſiæ ſtatui ſolet, ante oculos ei propoſuit; declaravitque manifeſtò, res, quæcumque à tempore, quo Chriſtus in Crucem actus erat, vel ad utilitatem humani generis communem, vel ad privatam quorumdam, ſeu à divinis Angelis, ſeu à piis, & perfectis hominibus geſtæ fuerunt, non ſine virtute Crucis ſalutaris rectè geſtas eſſe.*

Sozom. l.2. c.2.

Numquid non etiam acta Procopii Martyris à Concilio ſecundo Nicæno relata, fidem faciunt, *in Cruce fabrefactâ mirabiliter ſcriptum in ſuperiore parte, Emanuel, & utrinque, Michaël, & Gabriel?* Quaſi ſignificatum ſit duos illos cœleſtium exercituum Duces, zelo Dei flagrantes, ac fortitudine Dei inſtructos, non patrare quidquam egregium, niſi quatenùs verus Emanuel Chriſtus crucifixus, Dei ſapientia, & Dei virtus, adeſt eis, & præeſt.

Con. Nic. 2. act.4. Baron. an. Chr. 308. n.xix.

Primæ igitur partes victoriæ Sanctorum hominum, & Angelorum de impietate ethnicâ, quam Dæmones excitaverant, ac propugnabant, aſcribendæ ſunt Chriſto, qui velut Agnus innocens ſanguinem ſuum, quò principem hujus mundi Diabolum ejiceret, in cruce fudit.

Ex ℣. 11. *Et propter verbum teſtimonii ſui.*

Secundæ autem partes illius victoriæ fidelium de fallaciâ, & perverſi-

tate Diaboli tribuendæ ſunt ipſiſmet fidelibus, quòd fide Chriſti inſtructi, & gratiæ ejus debitam operam navantes, ipſum eſſe verè Filium Dei, ac Deum intrepidè confeſſi ſunt: Talis enim, & tanta virtus digna fuit præmio, quod efflagitabat; nempè ut impietas Ethnica rueret; & unus Deus, omnium Creator, & Servator, ab omnibus coleretur.

Baron. an. Chr. 301. n. XXVI. Hinc, referente Baronio, Glycerius, Sacerdos, & Martyr inſignis dicebat Galerio Maximiano; *Nè bellum contra nos ſuſceperis, Imperator: ſunt nobis arma quoque deſuper, quibus, ſicut hodie tui à te ſatellites, ita nos à Rege munimur univerſorum, per quæ, & contra te in aciem prodibimus, & adipiſcemur victoriam valdè admirabilem: percuſſi enim interimemus; & cadentes contra te trophæum erigemus.*

Ex ✠. 11. *Et non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.*

Sancti Martyres, Chriſtum Dei Filium confeſſi, libenter mortem oppetiere, & temporaneam pro æternâ vitam commutarunt, ut Chriſtus cunctis ſæculis apud omnes nationes regnaret: Quippe ſciebant ipſummet Chriſtum, eamdem de ſe *bonam confeſſionem confeſſum ſub Pilato*, progreſſum eſſe ad mortem, ut omnia traheret ad ſeſe; & regnaret in æternum; ipſiſque beatam vitam impartiret.

1. ad Tim. 6. v. 12. 13.

Baron. an. Chr. 301. n. XLIV. XLV. Sentiebat hæc egregius Eccleſiæ Nicomedienſis Archidiaconus, & divinâ proponebat eloquentiâ Chriſtianis innumerabilibus, quos ad martyrium cohortabatur, ſicuti refert Baronius ex illorum actis. *Quomodo, aiebat, non eſſet abſurdum nos videri vita cupidos, & ignavo, abjectoque eſſe animo; & non oblatam occaſionem tanquàm lucrum arripere; & hanc, quæ eſt ad tempus, vitam deſpicere pro Deo, qui nos fecit, & ſuam animam dedit pro nobis ad mortem; teſtimonium autem firmæ, & infractæ noſtræ fidei noſtram præbere mortem? Hæc autem dico, etiamſi nulla eſſet pro eis remuneratio.*

Cùm verò ſint valdè parva hujus temporis paſſiones, ſi conferantur cum iis, quæ ſunt illic, remunerationibus; & vita quidem expers moleſtiæ, & æterna, pro hâc brevi, & laborioſâ; gloria autem numquàm ceſſans pro infidâ, & quæ facilè excidit; & divitiæ, quæ ſubripi nequeunt; & voluptas, quæ numquam tranſit ad moleſtiam, nos adhuc in præſentibus manere concupiſcemus? & non potiùs, cùm ad eam, quæ eſt illic, gloriam, pro Chriſto ſubeundo mortem, invenerimus perveniendi occaſionem, quàm primùm tranſibimus?

Verſ. 12. *Propterea lætamini Cœli, & qui habitatis in eis.*

Luc. 15. v. 7. 10. Si ex Salvatoris revelatione *gaudium* magnum *eſt in Cœlo coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*; quantò majori lætitiâ cœleſtes Spiritus, & animæ Juſtorum in cœlum aſſumptæ, perfunduntur, quòd gentes rejectâ impietate ethnicâ, & expulſis à ſe vitiis idololatriæ conſectaneis, Deum unum adorent; ac virtutes Chriſtianæ Religionis ſanctitati convenientes ſectentur?

EXPLA

Digitized by Google

EXPLANATIO XLVII.

In quâ, à parte ſecundâ verſus duodecimi ad verſum decimum quartum Capitis duodecimi Apocalypſis, declarantur multæ rationes, ob quas, tempore perſecutionis, tùm à Maximino, tùm à Licinio motæ, cùm jam Conſtantinus Chriſti fidem amplexus eſſet, Eccleſia, aquilæ comparata, duabus veluti alis ſubvecta, avolavit in deſertum; ibique, Deo ei providente, alitur.

Ex ℣. 12. Væ terræ, & mari, quia deſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet.

VERS. 13. Et poſtquàm vidit draco, quòd projectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum.

℣. 14. Et datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum, in locum ſuum, ubi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis à facie ſerpentis.

Ex verſ. 12. *Væ terræ, & mari.*

QVANDOQVIDEM Chriſtus Dominus dixerit diſcipulis ſuis, *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes, propter me, gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cœlis*; profectò Cœleſtes Spiritus, Chriſto arctiſſimè conjuncti, miſerum, & calamitoſum non cenſent eum, qui quæque gravia patitur propter Chriſtum. Indè conſequens eſt, ut hæc cœleſtis denuntiatio imminentis infelicitatis, *Væ terræ, & Mari*, probos, ac juſtos, qui pro Chriſti nomine paſſuri ſunt, non attingat. Et ſanè animadverto vocem illam (Matth. 5. v. 11. 12.)

Væ

Apoc. 8. *Væ*, numquàm, niſi contrà infideles, fuiſſe in Apocalypſi detortam, ut
v.13. patet ex locis capitis octavi, noni, & undecimi, quæ explicui. Senſus
C. 9. v. 12. igitur eſt illorum verborum, *væ terræ, & mari:* væ impiis, ſeu in terrâ,
C 11. v. 14. ſeu in mari degentibus.

Ex ℣. 12. *Quia deſcendit Diabolus ad vos, habens iram magnam.*

Etenim Diabolus ad vos, ô impii terræ, & maris incolæ, perrexit inſano furore percitus, ut vos vehementer commoveat, atque inflammet adversùs pios, ſanctoſque Dei cultores. Sed id illis ingenti bono cedet ex benignitate Dei: vobis autem ex juſto Dei judicio cauſa erit graviſſimarum calamitatum, & extremæ perniciei, ſicuti poſteà re ipsâ experiemini; & eventu omnibus perſpicuo comprobabitur.

Ex ℣. 12. *Sciens quòd modicum tempus habet.*

Exardeſcebat irâ Diabolus, quòd animadverteret *modicum* ſibi *tempus* ſupereſſe, ut coleretur tanquàm Deus; brevique ſuperſtitionem ethnicam eſſe prorsùs abolendam.

Præſciebat autem iſtud ſagax ille ſpiritus, quòd noſſet Crucis ſignum, magno lucis ſplendore coruſcans, apparuiſſe in Cœlo prope Solem
Euſeb. vitę Conſtantino, eique promiſſam fuiſſe virtute cœleſtis illius ſigni victo-
Conſt. l. 1. riam de hoſtibus. Sciebat quoque illud ſalutare ſignum ab eo Imperato-
c. 22. 25. re aſſumptum in ſignum militare; ac præire univerſo exercitui *tanquàm*
26. *hoſtilis cujuſque, & infeſta violentiæ propugnaculum.* Quòd magìs eſt, Diabolus noverat Conſtantinum, *aſcitis ſibi Sacerdotibus Dei*, à quibus divina Chriſti myſteria fuerat edoctus, *ſtatuiſſe Deum, qui ipſi apparuiſſet, omni genere cultus, & obſervantiæ venerari: deindè ſpe bonâ in illo poſitâ firmè munitum; de cætero permagnâ cupiditate ferri, ardentes incendii tyrannici, à Maxentio incitati, faces, ad terrorem intentatas, penitùs extinguendi.*

Verſ. 13. *Et poſtquàm vidit draco, quòd projectus eſſet in terram.*

Viderat etiam Diabolus eâ in diſceptatione acerrimâ, quâ cum ſuis dæmonibus adversùs Michaëlem, & Sanctos ejus Angelos contendebat, retinendas eſſe nationes in ſuperſtitione, quam à multis ſæculis ſibi traditam vehementer amabant, cecidiſſe ſuâ causâ; Deumque juſtum judicem decreviſſe honorem ſibi debitum, & ei ab impiis ereptum, vendicare.

Perceperat tandem Satanas Cœleſtes Spiritus jam auxiliatos fuiſſe Conſtantino primis certaminibus, quibus fuſæ fuerant, ac cæſæ ab eo Imperatore primæ copiæ Maxentianæ.

Ex ℣. 13. *Perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum.*

Harum rerum Diabolus ſibi quàm maximè adverſantium notitiâ inſtructus, & in rabiem actus, etſi multis experimentis noſſet ſe contra Dei decreta non poſſe quidquam; tamen ſimilis hoſti, qui proximam ſibi, & certiſſimam mortem conſpiciens, nihil non molitur, ut aliquos ſaltem adverſarios perimat, quò illorum caſu ſuam intereundi neceſſitatem conſoletur, ac quodammodò compenſet; extrema quæque tentavit,

ut

ut quàmplurimos Chriſtianos, à quibus certo certius, & illicò proterendus erat, interficeret. Propterea obſequentium ſibi Imperatorum Ethnicorum, Maximini primùm, ac poſteà Licinii miniſterio perſecutus eſt Sanctam Dei Eccleſiam, Chriſti ſponſam, quæ ſuis enixis precibus, ac preſſurarum in eam irruentium graviſſimis doloribus tandem ediderat virum illum, tantopere ab ipsâ deſideratum, Conſtantinum, futurum idololatriæ everſorem, & Chriſtianæ Religionis fautorem, inſtauratorem, propagatorem.

Verſ. 14. *Et data ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum.*

Adnotarunt rerum naturalium ſcriptores, *non unum hoſtem aquilæ; acriorem autem illi cum dracone pugnam. Ova hic conſectatur aquilæ aviditate maleficâ: at illa ob hoc rapit ubicumque viſum. Ille multiplici nexu alas ligat, ſe implicans, ut ſimul decidant.* Icciro, cùm Diabolus draconi, & ſerpenti antè comparatus, Eccleſiam, ut prolem ejus, ac ipſammet interficiat, perſequatur; Beatus Joannes confert eamdem Eccleſiam cum aquilâ, aſſeritque *datas ei alas duas aquilæ magnæ*, quò ſignificet draconem ſuis nexibus non facilè illam poſſe complecti, & conſtringere; ſed ipſam ſeſe ab illo expedire, & liberare; quippe quæ citiſſimè fugiat in loca deſerta, ubi eam Diabolus cum ſatellitibus ſuis non comprehendat. Plin. hiſt. Natur. L. 10. c. 4.

Quamvìs hic ſenſus, verborum, quæ propoſita ſunt, explicationi videatur ſufficere; tamen juvat ſingula per partes explanare, ut latens in unoquoque horum veritas eruatur; & cuique pateat.

Verſ. 14. *Datæ ſunt mulieri alæ duæ.*

Eccleſiam timor ſanctus, nè filiis ſuis, ſi inter perſecutores permanerent, orbaretur, ac deſiderium eos ſervandi, impulere ad fugam velociſſimam; eique, ut ita dicam, *alas duas* præbuere.

Sic Rebecca chariſſimum filium ſuum Jacob cupiens incolumem, & timens nè ab Eſaü, ſi cum eo diutiùs degeret, enecaretur, hortata eſt, ut citò fugeret. *Ecce*, inquit, *frater tuus minatur ut occidat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam; & conſurgens fuge, donec requieſcat furor fratris tui, & ceſſet indignatio ejus.* Gen. 27. v. 42. 43. 44. 45.

Alio quoque metu, & deſiderio, veluti *duabus alis*, Sancta Mater Eccleſia movebatur, ut celerrimam fugam arriperet. Metuebat enim nè quidam ex filiis ſuis tenerâ ætate, & puſillo animo, fidem Chriſti præ atrocitate tormentorum, quibus excruciarentur, negarent: Cupiebat verò quàm maximè illos tormentis ſubducere, ut fides ipſorum extra omne periculum poſita, integra perſtaret.

Conſilium etiam, & exemplum Chriſti perurgebant Eccleſiam, ut perſecutione ingruente citò fugeret; eique vires, ac quodammodò *duas alas*, quibus ſubveheretur, addebant.

Nonne & ejus in Deum pietas, atque horror impietatis Ethnicæ, duplici eam adminiculo corroborabant; ac ſupra ſe quaſi *duabus alis* attol-

lebant, ut velociſſimam fugam capeſſeret? Siquidem exultabat quòd extra tumultum rerum humanarum in ſeceſſu collocata liberiùs Deo vacaret; lætabaturque quòd longè ſemota ab urbibus, earum execranda delubra, & ſimulacra non ampliùs conſpiceret.

Denique terrenorum omnium contemptus, & amor ſupernorum, eximias ei vires conferebant, ut cuncta, quæ in Civitatibus poſſidebat, deſpiceret; & in montes, undè cœleſtia faciliùs contemplaretur, ſeſe reciperet.

Ex ℣. 14. *Aquila magna.*

Aquilæ hujus comparatione intelligi poteſt ex Scripturis ſacris Deus ipſe, atque etiam ejus Eccleſia.

Deus quidem: Nam tanta eſt Majeſtatis illius immenſæ bonitas, ut educens poteſtate ſuâ populum ſuum Iſraëliticum è manu feroci Ægyptiorum, eumque deinceps mirabili providentiâ regens, ac protegens per deſertum inacceſſum, non dedignetur ſemetipſum comparare aquilæ, pullos ſuos eripienti è tractu draconis; eoſque ſuis alis protegenti, ac provocanti ad volandum per inſueta ætheris ſpatia. *Vos ipſi*, Exod. 19. v. 4. inquit, *vidiſtis, quæ fecerim Ægyptus, quomodò portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi.* Ac Moyſes de Domino erga eumdem Deut. 32. v. 11. 12. populum, *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas; & aſſumpſit eum, atque portavit in humeris ſuis. Dominus ſolus dux ejus fuit; & non erat cum eo dux alienus.* Multò magis hæc aquilæ comparatio transferri poteſt ad Deum erga populum Chriſtianum, quem ex Imperatorum Ethnicorum, à dracone Diabolo inſtigatorum, perſecutionibus eximit; ac perducit ad loca deſerta, ubi eum tuetur; ita ut poteſtas illius maxima, & ſingularis providentia, Pſ. 16. v. 8. ſint quaſi quædam *alæ* duæ mirabiles, *ſub* quarum *umbrâ* ipſum *protexerit.*

Non modò Deus relatâ comparatione aquilæ intelligendus mihi videtur, ſed etiam Sancta Dei Eccleſia. Quippe aquila tàm perſpicax eſt, ut Plin. l. 10. c. 3. fixis oculis Solem intueatur; probetque pullos ſuos, nùm genuini ſint, vel degeneres, ſi fulgorem coruſcantis ſideris ſuſtineant; vel impares ſint ei ſufferendo. Eccleſia autem perſpicaciâ viſus ſui contemplatur perpetuò Solem juſtitiæ; illoſque cenſet filios ſuos perfectos, quos advertit idoneos ejuſdem Solis contemplationi: Secùs reputat eos ab illius pietate deſciſcere, quos comperit ab eâdem contemplatione deficere.

Præterea videbatur Eccleſia, nè ex urbibus ſecederet tempore perſecutionum, retardanda duplici metu, videlicet periculorum imminentium in itinere, & penuriæ rerum ſibi neceſſariarum. Sed adversùs illos timores munitur, & incitatur ad diſceſſum duplici ſpe in Deum. Quippe Apoſtolorum, & Prophetarum fide ſubnixa, hæc à Sanctis illis viris prolata ad Rom. 8. v. 31. verba ſibi applicat: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et quis eſt, qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Diligentibus Deum, omnia cooperantur* 1. Petr. 3. v. 13. *in bonum. Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis;*

in

in manibus portabunt te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum : ſuper ad Rom. 8.
aſpidem , & baſiliſcum ambulabis , & conculcabis leonem , & draconem. Eâ v. 28.
ſpe tutelæ divinæ corroboratur Eccleſia adversùs pericula quæque oc- Pſ. 9. v. 11.
currentia in viâ ; nec timet cujuſvis rei penuriam , confidens in Domi- 12. 13.
no , qui dixit , *nolite ſoliciti eſſe , dicentes , quid manducabimus , aut quid* Matth. 6.
bibemus , aut quo operiemur : Scit enim Pater veſter , quia his omnibus indige- v. 31. 32.
tis. Quærite ergo primùm regnum Dei , & juſtitiam ejus , & hæc omnia adji- 33.
cientur vobis.

Quapropter Eccleſia duplici illâ fiduciâ in Deum ſubvecta , dùm co-
gitur in ſolitudines confugere , experitur in ſeſe quàm verum ſit illud Iſai. 40.
Iſaiæ oraculum , *Qui ſperant in Domino , mutabunt fortitudinem ; aſſument* v. 31.
pennas ſicut aquilæ ; current , & non laborabunt ; volabunt , & non de-
ficient.

Quòd ſi *Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis , & Sanctus in omnibus ope-* Pſ. 144.
ribus ſuis , permittat aliquando , ut Eccleſiæ peregrinanti deſint neceſ- v. 17.
ſaria , confidit ipſa ſe *poſſe omnia in eo , qui* illam *confortat* ; ſperatque gra- ad Philip.
tiam Domini ſui numquàm ſibi defuturam , quam , cùm habuerit, omnia 4. v. 13.
poſſidebit , tametſi cætera videatur non habere. 2. ad Cor. 6. v. 10.

Poſtremò , ſi contingat illam mediis in ſolitudinibus fame confici ; & Sap. 4. à
à feris enecari , ſperat ſe eò citiùs educendam ab omni periculo peccati, & v. 10. ad
transferendam celeriùs ad patriam cœleſtem , quò tendit. Utrâque autem 14.
illâ *ſpe gaudet* ; exultat ; ac ſupra ſe attollitur ; & quodammodò volat, ad Rom.
quò illam divina providentia vocat. 12. v. 12.

Ex ℣. 14. *Ut volaret in deſertum.*

Mirum ſanè , quòd aquila omnium fermè volucrum maxima , quæ Job 39.
corporis ſui pondere videretur vel in terrâ jacere debere , vel pauliſper v. 17. 28.
tantùm à terrâ ſeſe attollere ; tamen volatu ſuo ad excelſiores uſque ru-
pes contendat : Undè Dominus Sancto Job , *Numquid ad præceptum tuum*
elevabitur aquila ; & in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet , & in
præruptis ſilicibus commoratur , atque inacceſſis rupibus.

Mirabilia quidem opera Dei in rerum naturâ : Sed majus eſt gratiæ
ejus miraculum , quòd etſi *corpus , quod corrumpitur , aggravet animam,* Sap. 9.
& terrena inhabitatio deprimat ſenſum multa cogitantem ; Tamen Eccleſia, v. 15.
præcipiente Deo, vel conſulente , cùm perſecutiones graviſſimæ irruunt,
paratiſſima ſit , abjectis omnibus humanis ſubſidiis tanquàm impedi-
mentis , ad eminentiores petras montium ſeſe conferre , eo animo , quo
Conreſuſcitata cum Chriſto , quæ ſurſum ſunt quærit, ubi Chriſtus eſt in dexterâ ad Col. 3.
Dei ſedens , non quæ ſuper terram ; & quaſi jam *rapienda eſſet in nubibus ob-* v. 1 2.
viam Chriſto in aëra , futura ſemper cum Domino. 1. ad Theſ. 4. v. 16.

Sic , cùm Conſtantinus Chriſti fidem jam ſuſcepiſſet , & Maxentium Euſeb. hiſt.
viciſſet, Maximinus, qui in Orientis partibus dominabatur , juſſit *Chri-* l. 9. c. 6.
ſtianos , longo locorum intervallo ab urbibus , & agris eas undique ambien- Euſeb hiſt.
tibus, ſegregatos , in exilium ejici : undè *noſtrorum rurſùm fuga , rurſùm* l. 9. c. 8. Ruffin.
perſecutio , & ſupplicia renovantur , inquiunt Euſebius , & Ruffinus. l. 9. c. 6.

Euſeb. vitę Conſt. l. 2. c. 2. Euſeb. hiſt. l. 10. c. 8.

Tempore autem perſecutionis Licinianæ, idem Euſebius in vitâ Conſtantini, ait: *Pii viri, ſicut paulò antè acciderat, aufugere: famuli Dei in agros rursùs, & ſolitudines ſe abdere cœperunt.* Et in hiſtoriâ: *His acceſſerunt piorum virorum fugæ: quin etiam ex Dei ſervis alii in agros, nonnulli in ſolitudines, quidam in ſylvas ſe abdiderunt, non pauci ad montes ſe contulerunt.*

Ex verſ. 14. *In locum ſuum.*

Job 39. v. 27. 28.

Conſtat ex antè relato libri Job oraculo præruptas, & inacceſſas rupes eſſe locum, quem Deus author naturæ aſſignavit aquilæ, cùm ibi nidificet, ac commoretur. Quæque etiam aſperæ ſolitudines, & juga montium, ſunt loca à Deo authore gratiæ parata Eccleſiæ, ut eam in illis tempore perſecutionum degentem Divina Providentia tueatur: undè *mulier*, cui hocce verſu *data ſunt alæ aquilæ, ut volaret in deſertum in locum ſuum*, dicta eſt verſu ſexto hujuſce capitis *fugiſſe in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo.*

Euſeb. hiſt. l. 9. c. 6.

Maximinus quidem Edicto, quo juſſit Chriſtianos ex urbe, & agris procul exulare, rationem addidit Ethnicis, *ut veſtra*, inquit, *Civitas omni erroris labe, & impietate liberata, cum debito cultu, ſicut in ejus voluntate naturaliter inſitum eſt, auguſta Deorum immortalium venerationi, & obſequio ſe totam tradat.*

Verùm tempore illatum perſecutionum, Divina ſapientia, & bonitas aſylum in montibus obtulit Eccleſiæ, ut ibi, ab omni Ethnicorum conſortio ſejuncta, ſola ſanctiùs, liberiuſque uni Deo vacaret; referretque tùm apud ſeſe ſpeciem quandam cœleſtis habitationis, in quam ſola cum Beatis Angelis admittetur, Deum perpetuò laudatura; & undè idolis ſervientes, aliique flagitioſi prorsùs excludentur, debitas ſibi pœnas in Inferis numquàm non daturi.

Luc. 1. & 4.

Quidni etiam deſertum ſit locus primævus, ac quodammodò naturalis Eccleſiæ, cùm prophetæ, quorum fidem, pietatemque ſectatur, civitatibus illud antepoſuerint? Nonne præcurſor, paraturus Domino plebem perfectam, ſeceſſit in deſertum? & ipſemet Chriſtus illuc ſeſe recepit, Diabolum ſuperaturus?

Eadem fuit mens, idemque exitus Eccleſiæ ſecedentis in deſertum: etenim ſibi propoſuit virtutes Chriſtianæ Religionis illibatas ſervare; in iis quoque proficere; & tentationes à Diabolo contra ipſam in urbibus excitatas vincere.

Ex ꝟ. 14. *Ubi alitur.*

Job. 39. v. 29.

Referente Domino in libro Job, *Aquila in præruptis, & inacceſſis rupibus commorans, indè contemplatur eſcam; & de longè oculi ejus proſpiciunt:* Ita Eccleſia, poſtquàm in deſertum, & montes altiſſimos ſeceſſit, nutritur providentiâ Patris Cœleſtis eò majori, quò crudeliori edicto Licinius Chriſtianos in urbibus detentos ad extremam famem adegit. *In*

Euſeb. hiſt. l. 10. c. 8.

eos, inquit Euſebius, *qui carceribus affligebantur, legem tulit, nè quis clementiâ adductus, quicquam alimenti illis impertiret; néve eorum miſereretur,*

veretur, qui in vinculis fame enecti erant; neque quemquam omninò illorum, qui ab ipsâ naturâ trahebantur ad proximorum commiſerationem, vel in bonorum numero haberi debere, vel boni quicquam agere cenſuit. Idem quoque ſupplicium illis, qui commiſerabantur afflictos, decernebatur, quod illi perpeſſi fuerant, quos commiſerabantur; jubebaturque, ut qui benignitatis aliquid in eos, qui in carcere torquebantur, conferrent, in vincula, & cuſtodiam conjecti parem pœnam cum illis ſubirent.

Ex verſ. 14. *Per tempus, & tempora, & dimidium temporis.*

Hæc verba Joannis deprompta ſunt ex capite ſeptimo, & duodecimo Prophetiæ Danielis, in quorum primum locum Sanctus Hieronymus, *tempus annum ſignificat; tempora juxta Hebraici ſermonis proprietatem, qui & ipſi dualem numerum habent, duos annos præfigurant; dimidium autem temporis, ſex menſes.* Idem in ſecundum locum, *Tempus, & tempora, & dimidium temporis, tres, & ſemis annos interpretatur Porphyrius, quod & nos juxta ſcripturarum ſanctarum idioma non negamus; nam & ſuprà legimus, quòd ſeptem tempora tranſierint ſuper Nabuchodonoſor, id eſt ſeptem anni efferationis ejus.* Dan. 7. v. 25. C. 12. v. 7. S. Hier. in c. 7. & 12. Danielis.

Eam Sancti Hieronymi, quem citat, Beatus Auguſtinus explicationem ſequitur; additque *tres illos annos, & ſemiſſem numero dierum poſterius poſito dilucеſcere; aliquando in ſcripturis ac menſium numero declarari.* S. Aug. de Civ. Dei. l. 20. c. 23.

Quibus verbis Auguſtinus innuit Danielem, & Joannem: Danielem, qui poſteaquàm capite duodecimo retulit *tempus, & tempora, & dimidium temporis*, ſubjungit dies *mille ducentos nonaginta*, qui efficiunt tres annos, & dimidium, ac tredecim dies, ſi quemlibet annum ſolarem trecentorum ſexaginta quinque dierum computemus. Auguſtinus autem attendit Joannem; quippe qui hocce capite duodecimo Apocalypſis, verſu ſexto, & capite undecimo verſu tertio deſignavit *mille ducentos ſexaginta dies*, quibus conficiuntur tres anni, ac ſemiſſis, more Aſtronomorum, qui facilioris computationis gratiâ tribuunt dumtaxat cuique anno trecentos ſexaginta dies, ut commodiùs, & evidentiùs diſtinguant annum in plures partes juxta diſtinctionem globi cœleſtis, in trecentos ſexaginta gradus, quorum unum ſingulis diebus aiunt ſolem percurrere in Zodiaco. Rursùs Joannes Capite undecimo verſu ſecundo refert *quadraginta duos menſes*, quos anni tres & ſemiſſis complectuntur; quorumve cuilibet menſi triginta dies, ſicuti cuilibet ſigno Zodiaci triginta gradus, aſſignati, ac ſimul duodecim conjuncti efficiunt trecentos ſexaginta dies, & gradus pro quovis anno. Dan. 12. v. 7. 11.

Igitur horum verborum Apocalypſis, quæ nunc interpretor, *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*, ſenſus eſt, quòd Eccleſia, quæ tempore perſecutionum Maximini, & Licinii ſeceſſerat in deſertum, alenda ibi eſſet mirâ Dei providentiâ tribus annis, & ſemiſſe, quandiù illæ perſecutiones durarent.

Etenim Galerius Maximianus perſecutionem à Diocletiano anno Im-

Euſeb. hiſt. l. 8. c. 27. 28.

perii ſui decimonono contra Eccleſias ſolo æquandas decretam continuavit, uti teſtatur Euſebius, *decem annorum ſpatio*; ac deindè illam authoritate Conſtantini retractavit.

Euſeb. hiſt. l. 9. c. 2. 6. Euſeb. hiſt. l. 9. c. 8.

Maximinus autem, qui partes verſus orientem regebat, hanc Galerii Maximiani erga Chriſtianos benignitatem non tulit *ad ſex menſes integros*; ſed mortuo Galerio Maximiano, edicto palàm affixo perſecutionem renovavit, quam tamen, Deo ſervis ſuis mirabiliter favente, coactus eſt retractare *literis*, inquit Euſebius, *non anno integro poſt edicta contrà Chriſtianos columnis ab ipſo propoſita; ita ut, cùm antè nec civitatem, nec agrum, nec ſolitudinem, aut locum deſertum incolere nobis permiſſum eſſet, ab eodem jam leges pro noſtrâ libertate conſcripta ſint.* Quod quidem adnotavit Baronius.

Baron. an. Chr. 312. n. v. vi. Baron. an. Chr. 316. n. v. An. 317. à n. 1. An. 318. à n. 1.

At quamvìs idem Cardinalis unico anno, nempe Chriſti trecenteſimo decimo ſexto narret perſecutionem Licinii, tamen eo anno, & duobus ſequentibus annis, nimirùm trecenteſimo decimo ſeptimo, & decimo octavo, exponit prælia Licinii & Conſtantini: undè colligere eſt perſecutionem Licinii tres annos circiter graſſatam. Priùs enim, ut videre eſt multis locis apud Euſebium, Licinius in Chriſtianos ſæviit; ac deindè Conſtantinus eum expugnavit, fideles tutaturus.

Euſeb. hiſt. l. 10. c. 8. V. Conſt. l. 1. c. 42. l. 2. c. 3.

Et certè quiſquis conſideravit varias artes, & leges pedetentim adversùs Chriſtianos à Licinio latas, uti referuntur ab Euſebio in vitâ Conſtantini, facilè ſibi ſuadebit aliquot annorum ſpatium illis edendis, promulgandis, & exequendis inſumptum.

Euſeb. vitæ Conſt. l. 1. c. 44. ad 49.

Quapropter ſi conjungatur perſecutio Liciniana cum ultimâ perſecutione Maximini, reperientur circiter tres anni & dimidium, quibus ambæ durarunt; quarumve tempore aliti ſunt ſingulari providentiâ Dei fideles, qui tùm ſeceſſerant in deſertum.

Ex verſ. 14. *A facie ſerpentis.*

Euſeb. hiſt. l. 9. c. 2.

Quippe, ut primùm de Maximino loquar, teſtatur Euſebius, Theotecnum Antiochenum, *quò aſſentatione, & blanditiis in animum Imperatoris influeret, Dæmonem contra Chriſtianos excitaſſe; atque aſſeruiſſe, Deum præcepiſſe, ut illos, tanquàm ipſi infeſtos, ex urbe, agriſque penitùs expellere properarent.*

Euſeb. vitæ Conſt. l. 1. c. 42.

De Licinio autem idem Hiſtoriographus, *nunciatum eſt Conſtantino belluam quandam immanem, & ferocem in Oriente, tùm Dei Eccleſiæ, tùm reliquis provincialibus inſidias tendere; quippe Dæmon nefarios omnes ſuos nervos contendit, quò iis, quæ erant à pio Imperatore confecta, contraria prorsùs perageret.*

Euſeb. vitæ Conſt. l. 2. c. 1.

Rursùs idem author de Licinio, *velut bellua quadam immanis, aut ſerpens tortuoſus in ſe convolutus, furorem, & minas quaſi cum Deo bellaturus, anhelans, contra Dei Eccleſias, Imperio Conſtantini ſubjectas, dimicare auſus eſt.*

Denique ex Joanne Nicomediæ Presbytero, apud Metaphraſtem, & Baronium, Baſileus Amaſeæ Epiſcopus in eâdem perſecutione Licinianâ

nianâ, *tentationes*, inquit, *adſunt, fratres, à diabolo quidem ipſo commota, ſed ab hominibus in nos illata. Ne ſegnes ſitis; neque ob eas ærumnas, quæ futuræ ſunt, animo concidatis; ſed ſuſtinete, ſtabiles manentes in fide. Omnes vitæ hujus voluptates, & ſenſuum illecebras, abjectiſſima quæque eſſe, propter filium Dei Ieſum Chriſtum exiſtimate, ut ejus heredes unà cum omnibus ſanctis viris efficiamini, ejus Regni deliciis fruentes.* Metaphr. die 26. Apr. Baron. an. Chr. 316. n. XIV. XXIII.

EXPLANATIO XLVIII.

Verſus decimi quinti, & decimi ſexti, Capitis duodecimi Apocalypſis, de ingentibus copiis à Maxentio contra Conſtantinum pluries immiſſis; à Conſtantino, tùm occiſis in terrâ, dùm illas multiplici certamine devicit; tùm in Tiberim demerſis, dùm ab eodem Imperatore ultimâ pugnâ fugatæ ſunt.

VERS. 15. Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tanquàm flumen, ut eam faceret trahi à flumine.

℣. 16. Et adjuvit terra mulierem; & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen, quod miſit draco de ore ſuo.

Verſ. 17. *Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem.*

TANTA eſt Diaboli iniquitas, tantoque in Eccleſiam odio exardeſcit, ut non ſit ipſi ſatìs illam atrociter perſequi, quò eam, ſi poſſit, è toto orbe eliminet, ac deleat; verùm etiam Imperatorem Conſtantinum, Chriſti ſigno ſalutari jam munitum, futurumque Eccleſiæ potentiſſimum propugnatorem, totis viribus expugnet, ut, ſi queat illum dejicere, Eccleſiam quoque ſubvertat; & impietatem ethnicam magìs, ac magìs foveat, corroboret, augeat. Ea propter adversùs Conſtantinum ingentes copias movet, quas dicitur *mittere ex ore ſuo*, quia præſtigiis ſuis, ac vanis oraculis ſuggerebat Maxentio, ut illas ſpe certiſſimâ victoriæ mitteret; juberetque ut in

in eum finem, quò vellet, progrederentur, quamvis ipſe per ſeſe illas non duceret, ac regeret.

Euſeb. vitę Conſt. l. 1. c. 30. 31. Euſeb. hiſt. l. 9. c. 8. Hinc ex Euſebio, *Maxentius ſæpe infandas adjurationes ad Dæmones excitandos, quò illorum ſubſidio belli impetum abs ſe averteret, uſurpavit: nam horum adjumentis ſperavit ſe victoriâ facilè potiturum; & magicarum præſtigiarum machinis potiùs, quàm ſubjectorum benevolentiâ fretus, extra portas Civitatis minimè egredi auſus eſt: ſed innumerabili armatorum multitudine, & infinitis copiis, turmiſque, omnem locum, agrum, & Civitatem, quæcumque vel circa urbem Romam, vel intra totius Italiæ ambitum, ipſi inſerviebant, munivit.*

Zoſim. l. 2. Ex Zoſimo etiam, *Maxentius intra muros incluſus, diis victimas offerebat; extiſpices de belli eventu conſulebat, ipſis quoque Sibyllinis oraculis perveſtigatis: Cumque reperiſſet oraculum, quo ſignificaretur in fatis eſſe, ut qui ad perniciem populi Romani ſpectantia deſignaret, miſerabili morte periret, de ſemetipſo id accipiebat, quaſi qui Romam adortos, eamque capere cogitantes, propulſaret.*

Totus autem, ex eodem Zoſimo, *Maxentii exercitus centum ſeptuaginta millibus peditum, & decem atque octo millibus equitum conſtabat. Conſtatinus* verò *ad nonaginta millia peditum, & octo millia equitum, ex Alpibus in Italiam movebat.*

Nazar. paneg. 1. Conſtant. c. 3. Quamvìs Nazarius dicat *Conſtantinum vix quartâ parte exercitus contra centum millia armatorum hoſtium Alpes tranſgreſſum eſſe.*

Ex verſ. 15. *Aquam tanquam flumen.*

Porrò tàm numeroſum, & abundantem Maxentii exercitum Joannes vocat *aquam tanquam flumen:* ipſe enim Apocalypſis capite decimo ſeptimo declarat, *aquis multis, ſuper quas ſedet meretrix, Babylon, Civitas magna, quæ habet Regnum ſuper Reges terræ*, hoc eſt, Roma tunc ethnica, deſignari *populos, gentes, & linguas*, Imperio Romano obſequentes. Apoc. 17. v. 1. 5. 15. 18.

Nec abs re flumini comparatur exercitus: Quippe qui more fluminis longè, lateque diffundatur, diffluat, excurratque; ac, ut aquæ aquis, ita milites militibus, legionibus legiones continuò ſuccedant. Sicuti etiam flumen rapido curſu concitatum, ſic exercitus furore quodam bellico percitus, ſolet obvia quæque ſibi adverſantia, vel prætergredi, vel evertere, ut ſibi viam faciat. Poſtremò, non ſecùs ac flumen, quod plurimarum aquarum affluxu inſueto excrevit, nec intra alveum ſeſe continet: ita exercitus plurimi copia exundans, terram, in quam irruit, vaſtat, & depopulatur.

Hanc exercituum numeroſorum cum aquis fluminis ſimilitudinem Iſai 8. v. 7. 8. Joannes ſumpſit ex Iſaïâ hæc verba fundente: *Ecce Dominus adducet ſuper aquas fluminis fortes, & multas, Regem Aſſyriorum, & omnem gloriam ejus; & aſcendet ſuper omnes rivos ejus, & fluet ſuper univerſas ripas ejus, & ibit per Iudam, inundans; & tranſiens uſque ad collum veniet.*

Ex

Digitized by Google

Ex ℣.15. *Ut eam faceret trahi à flumine.*

Dùm Maxentius adversùs Conſtantinum tàm numeroſas copias miſit,
mens illius fuit, ut earum, tanquam aquarum fluminis vehementis, vi
abreptus Conſtantinus, jam Eccleſiæ, Chriſti ſponſæ, fidem amplexus,
præfocaretur.

Verùm ſpe ſuâ fruſtratus Maxentius, aliud iniit conſilium, ut Con-
ſtantinum Romam adventantem immergeret in fluvium Tiberim. Zoſim.l.2.

Maxentius, inquit Zoſimus, *pontem ſupra Tiberim flumen faciebat,*
non connexum prorsùs à ripâ, quæ urbem ſpectat, ad alteram uſque ripam;
ſed duas in partes ita diviſum, ut in medio flumine ea, quæ partem utramque
pontis explebant, inter ſe quodammodo concurrerent fibulis ferreis, quæ revelle-
bantur, quoties pontem quis junctum nollet. Simul imperabat fabris, cùm pri-
mùm viderent exercitum Conſtantini junctura pontis inſiſtere, fibulas revel-
lerent; ac pontem ſolverent, ut quotquot huic inſiſterent, in fluvium delabe-
rentur. Sic eâ machinâ, inquit Euſebius, *Conſtantinum Deo charum è me-* Euſeb. vitę Conſt.l.1.
dio ſublaturum ſperavit Maxentius. c.32.

Verſ. 16. *Et adjuvit terra mulierem.*

Nomine terræ intelligi poteſt, & ipſa terra, & ipſe terræ Dominus.
Notum enim eſt non in profanis tantùm, ſed etiam in ſacris libris con-
tinens pro contento, impletum pro implente,& poſſeſſum pro poſſidente
uſurpari. Hinc in Evangelicâ Chriſti Domini parabolâ, filius prodigus
fatetur ſe *peccaſſe in Cœlum*, id eſt, in Deum, Cœli Creatorem, ac Do- Luc.15.
minum. Chriſtus quoque prohibet jurare, *neque per Cœlum, quia thro-* v.21. Matth.5.
nus Dei eſt; neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus; additque, *&* v.34.35.
qui jurat in Cœlo, jurat in throno Dei, & in eo, qui ſedet ſuper eum. Undè Matth.23.
inferendum eſt, eum, qui jurat per terram, jurare per Dominum Deum, v.22.
qui eam calcat. Quare non tantùm nomine Cœli nonnumquam intelligi-
tur Deus Cœli; verùm etiam aliquando nomine terræ ſubauditur Deus
terræ; ſiquidem *Deus Cœlum, & terram implet*; ac *Domini eſt terra, &* Jerem.23.
plenitudo ejus. v.24. Pſ.23.v.1.

Adjicio terræ nomine poſſe intelligi Chriſtum Dominum; quippe ex
Sanctis Prophetis, *veritas de terrâ orta eſt; & terra germinavit Salvato-* Pſ.84.
rem. At ſicuti, *quod natum eſt ex carne, caro eſt*; ita quod natum eſt ex v.12. Iſai.45.
terrâ, terra eſt: quamobrem terræ nomine plerumque ſignificatur in v.8.
Scripturis ex terrâ ortus, & terram incolens homo; ideòque ipſemet Joan.3.
Chriſtus, tametſi Deus, qui non dedignatus eſt fieri homo, ac pluries v.6.
ſeipſum nuncupare filium hominis, poteſt intelligi terræ nomine; &
quidem hîc à Dilecto Diſcipulo, ut magìs indè potentiam declararet Ma-
giſtri ſui, qui ſubſannabatur ab impiis Ethnicis tanquàm *peregrinus Deus,* Euſeb.vitę
& quaſi homo terrenus; cùm Deos ſuos cœleſtes putarent. Conſt.l.2.

Itaque juxta tres illas terræ ſignificationes dici potuit à Joanne *terra* c.5.
adjuviſſe mulierem.

Primo quidem ſenſu, ipſa terra, quæ Creatori ſuo deſervit, & *cum*
eo, quoties ei libet, juxta Sapientis effatum, *pugnat contra inſenſatos, ad-* Sap.5.v.21.

Hervéus in Apocalypſim.

juviſſe dicitur *mulierem*, Sponſam Chriſti, & Dei Eccleſiam; quia miniſterium qualecumque ſuum præbuit Conſtantino ad hoſtium Maxentianorum internecionem. Nam ab ipſo Conſtantino, non mari, ut ſæpè inter hoſtes, ſed terrâ pugnatum eſt, tàm primis præliis, quàm ultimo certamine. Undè Nazarius Conſtantinum laudans ait, cùm *apud Taurinos campum latè jacentem tantus miles oppleret, ad unum interfectos* Maxentianos.

Nazar. 2. Paneg. Conſt. c. 22.

Zoſim. l. 2.

Poſteà autem ex Zoſimo, *Conſtantinus cum exercitu Romam uſque progreſſus, ante urbem caſtra metabatur in campo, qui & latè patet, & equitatui eſt opportunus*; ac ibi Maxentianorum *militum innumerabilis multitudo cecidit.*

Pſ. 8. v. 2. Jer. 32. v. 17. 18. Jer. 10. v. 11.

Secundo ſenſu, *Deus, cujus eſt admirabile nomen in universâ terrâ*, quique *fecit cœlum, & terram in fortitudine ſuâ magna, fortiſſimus, magnus, & potens, Dominus exercituum*, ut *dii, qui Cœlos, & terram non fecerunt, pereant de terrâ, & de his, quæ ſub Cœlo ſunt, mulierem*, Sanctam Dei Eccleſiam, *adjuvit*, quatenùs in ejus gratiam victrices Conſtantino vires adversùs omnes Maxentii exercitus, quocumque terræ loco prælia commiſſa fuerint, præbuit.

Nazar. 2. paneg. Conſt. c. 7.

Undè Nazarius, conversâ ad Conſtantinum oratione, inquit: *Illa Majeſtas fandi, ac nefandi diſcriminatrix, quæ omnia meritorum momenta perpendit, illa pietatem tuam texit; illa nefariam illius tyranni fregit amentiam; illa invictum exercitum tuum tot victoriarum conſcientiâ plenis pectoribus ardentem, tantis inſuper viribus juvit, quantas præſtare, aut Deus potuit, aut amor tuus debuit.*

Joan. 3. v. 13. Baruch 3 v. 38. Joan. 12. v. 31. 32.

Tertio ſenſu, Chriſtus, Filius Dei, *qui deſcendit de Cœlo* in terram, factus homo; quique *in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*; necnon *exaltatus fuit à terrâ* in Crucem, ut omnes nationes *traheret* ad ſui cultum; atque *principem hujus mundi* Diabolum, perperam adoratum ut Deum, *ejiceret foras, adjuvit* Sanctam ſuam Sponſam Eccleſiam, Conſtantino ejus filio, & pro eâ pugnanti, opem ferens; atque ei victoriam invictâ virtute Crucis ſuæ munito conferens. Etenim, ut ait

Euſeb. vitæ Conſt. l. 1. c. 31. 32. 33.

Euſebius, *Conſtantinus Deo omnium moderatore ſibi patrono ante oculos propoſito, & Chriſto Servatore adjutoreque invocato, & ſalutari ſigno, tanquam victoriæ tropheo, ante armatos ſuos, & ſatellites collocato, cum toto exercitu procedit; ac Dei auxilio nixus, primam, ſecundam, & tertiam tyranni aciem adoritur; & omnibus primo impetu perfacilè ſubactis, univerſam propè Italorum peragrat regionem, adeò ut jam quàm proximè Romam adventaret.* Tandem, *Dei virtute Conſtantino opem ferente; & cùm Deus Conſtantino benignus præſto tuliſſet auxilium; Conſtantinus cum ſuo exercitu Dei præſidio victoriam* de ipſomet Maxentio *aſſecutus eſt.* Quâ de causâ *erectum haſtile, ad formam Crucis, in manum propriæ imaginis in ſtatua expreſſa inſertum, Romæ in loco celebri, ac multùm à populo frequentato, curavit locari, cum hâc inſcriptione.*

HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS JVGO LIBERAVI.

Ex ℣.16. *Et aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumen, quod miſit draco de ore ſuo.*

Quemadmodùm terra æſtu ſolis exſiccata, multiſque in locis dehiſcens, facilè excipit, ac ſorbet cadentes imbres; ita dicitur *abſorbuiſſe flumen à dracone immiſſum*, quatenùs Copiarum Maxentianarum à Diabolo adversùs Conſtantinum miſſarum, & ab ipſo Conſtantino cæſarum, ſanguinem plurimum plurimis in locis, tùm apud Taurinos, ac deinceps, tùm propè Romam abſorpſerit; atque, ut verbis Nazarii utar, *hauſerit, ac devoraverit.* Nazar. paneg. Conſtant. c. 17.

Neque verò dumtaxat terra in campis patens, ſed etiam latens ſub aquis Tiberis, in quem ipſe Maxentius, cum magnâ ſuorum multitudine demerſus eſt, ſanguinem hoſtilem abſumpſit.

Siquidem ex Zoſimo; *cùm Maxentii militum innumerabilis multitudo interempta fuiſſet à Conſtantino, Maxentius ipſe, fugâ cum reliquis arreptâ, per pontem fluminis ad urbem contendebat. Tignis autem minimè ſuſtinentibus eam vim oneris, adeoque ruptis, cum cæterâ multitudine Maxentius etiam fluminis impetu abripiebatur.* Zoſim. l. 2.

Idem aliis verbis Nazarius: *Hoſtes*, inquit, *territi, fugatique, & anguſtiis Milvii pontis excluſi, exceptis latrocinii illius primis auctoribus, qui locum, quem pugnæ ſumpſerant, texere corporibus, cæteri omnes in fluvium abiere præcipites. Cùm impios Tiberis hauſiſſet, ipſum etiam Maxentium cum equo, & armis inſignibus idem Tiberis correptum gurgite devoravit.* Nazar. paneg. I. Conſtant. c. 16.

EXPLANATIO XLIX.

Duorum ultimorum verſuum Capitis duodecimi Apocalypſis, de Licinii adversùs Chriſtianos perſecutione, & præliis tùm terreſtribus, tùm navalibus contra Conſtantinum, à quo profligatus eſt.

VERS. 17. Et iratus eſt draco in mulierem; & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Jeſu Chriſti.

℣. 18. Et ſtetit ſupra arenam maris.

Verſ. 17. *Et iratus eſt draco in mulierem.*

DEI, & hominum infenſiſſimus hoſtis Diabolus, cùm ægrè ferret inſignem Conſtantini de Maxentio victoriam; invideretque progreſſui Eccleſiæ in dies majori ſub Imperatore Chriſtiano, inſanæ ſuæ iracundiæ ſtimulis exagitatus eſt adversùs illam Sanctiſſimam Jeſu Chriſti Sponſam.

Euſeb. vitę Conſt. l. 1. c. 42. *Infinitis bonis*, inquit Euſebius, *divinâ providentiâ à pio Imperatore Conſtantino ſuppeditatis, frui, neque Diabolus invidiâ exæſtuans, virtutique infeſtus, æquo animo ſpectare, tolerareque; neque Licinius omninò ferre potuit.*

Socr. l. 1. c. 2. *Conſtantinus* enim, uti Socrates diſſerit, *qui ſuas in illis rebus, quæ ad Chriſti gloriam ſpectabant, cogitationes penitùs defixerat, omnia Chriſtiani hominis officia exequi cœpit; ædificare de integro Eccleſias; eas magnificis, & illuſtribus monumentis exornare; gentilium delubra occludere; eaque demoliri; ſtatuas in illis erectas publicare. Verùm Licinius, qui conſors ejus in Imperio erat, gentiliumque opinione, quod ad Religionem attinebat, imbutus, grave odium in Chriſtianos exercebat; qui tametſi verebatur eos palàm perſequi (metuebat enim Imperatorem Conſtantinum) tamen ex occulto complures adortus eſt; tempore autem progrediente illos apertè vexare aggreditur.*

S. Baſil. or. in 40. Martyres. Hinc, inquit Baſilius Magnus, *per iniquum præconem nunciatum, edictumque omnibus emanavit, nè quis Chriſtum profiteretur; propoſitaque omnia pœnarum genera confitentibus; multa quoque à judicibus injuſtis ira, & feritas prodiit.*

Euſeb. vitę Conſt. l. 2. c. 1. Quod magìs eſt, teſte Euſebio, *Licinius perſecutionem contra Chriſtianos, tanquam quoddam ignis incendium, jampridem extinctum, de integro exſuſcitavit, graviore flammâ ab ipſo, quàm à ſuperioribus tyrannis, accenſâ.*

Baron. an. Chr. 316. n. XXXVII. Undè Baronius, *licet ira Licinii in Chriſtianos concepta, aliquandiù ob Conſtantini metum ab eo primùm fuerint ſtudioſè compreſſa; ac poſteà patefacta, lento gradu progredi viſa ſint; tamen velut ignis, cùm è tenui fumo creſcit in flammam, & ſævo incendio in immenſum auctus cuncta circumcirca depaſcit; acerbius Chriſtianos exagitat; omnia adhibens in eos genera tormentorum; Præſidibus utens, quorum crudelitas, multis exemplis, quàm ſub præteritis tyrannis perſecutoribus, notior omnibus facta eſſet.*

Ex verſ. 17. *Et abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus.*

Præcedentes quidem Ethnicorum Principum perſecutiones multos Eccleſiæ filios ſuſtulerant: Sed plures ſupererant, divinâ virtute ſervati. Plurimos quoque, poſteaquàm hæ tempeſtates ſedatæ ſunt, gratia Chriſti excitaverat; fovebatque ſuaviter in ſinu Eccleſiæ, ad decus ſui nominis, & perennem illorum ſalutem. *Reliquos* itaque Chriſtianos ex præcedentibus perſecutionibus ſuperſtites, & multos recèns productos adortus eſt ope Licinii Diabolus.

Nec

Digitized by Google

Nec tamen omnes impugnavit Licinius, ſed eos dumtaxat, qui ejus ſubjacebant Imperio; non autem illos, quos Conſtantinus ipſe per ſeſe tegebat, ac tutabatur.

Perſecutionis, inquit Socrates, *procella quibuſdam in locis, (ubi enim commorabatur Licinius, ibi ſolum ingruebat) dumtaxat excitata eſt.* Socrat. l. 1. c. 2.

Et Sozomenus; *Chriſtiani, qui versùs Orientem ad Libyes uſque, confines Ægyptiis, habitant, conventus palàm agere propterea non auſi ſunt, quòd Licinius benevolum ſuum erga illos animum mutaverat. At Græci, Macedones, & Illyrici, qui versùs Occidentem ſuarum rerum domicilia habebant, Conſtantini operâ, qui illi Imperii Romani parti præfuit, liberè, & animo ſecuro Deum coluerunt.* Sozom. l. 1. c. 2.

Ex quo factum eſt, ait Euſebius, *uti Romanum Imperium in duas partes diremptum, noctis tenebris, & ſplendori diei perſimile videretur. Nam his, qui Orientem obtinebant, tanquàm noctis caligo offundebatur: Illis autem, qui erant alterius partis incolæ, ſplendor clariſſimæ diei illuceſcebat.* Euſeb. vitę Conſt. l. 1. c. 42.

Quamobrem, cùm tranquillam vitam agerent ſub Imperatore Conſtantino Chriſtiani; *reliquos* Eccleſiæ filios, in ditione Licinii verſantes, oppugnavit Diabolus.

Primùm quidem *iratus eſt draco in mulierem*, Sanctam videlicet Dei Eccleſiam, Chriſti Sponſam; quippe Licinius primùm in Epiſcopos, ut Eccleſiam labefactaret, ſævìit: *Et*, ideſt, poſteà, *abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus*, perſequens in ditione ſuâ *reliquos* Eccleſiæ filios Chriſtianos.

Hæc enim refert Euſebius de Licinio, primùm *Epiſcoporum conventus prohibuit, conſentientem Eccleſiæ harmoniam diſrumpere, divellereque contendens.* Euſeb. vitę Conſt. l. 1. c. 44.

Addit Socrates, *interdixiſſe Epiſcopis, nè in congreſſum, colloquiumque cum gentilibus aliquandò venirent; eo videlicet conſilio, ut Religio Chriſtiana inter eos nullâ ex parte propagaretur. Legem ſecundò tulit, nè viri ſimul cum mulieribus, precibus in Eccleſiâ ad Deum fuſis intereſſent; neve populi conventus in templis in Civitate ſitis, ſed extra portas in amœnâ planicie fierent:* quibus *legibus*, inquit Euſebius, *Eccleſiarum everſionem machinatus eſt.* Socrat. l. 1. c. 2. Euſeb. vitę Conſt. l. 1. c. 46.

Indè *multi Eccleſiarum Præſides gravi pœnâ affecti ſunt. Pii viri poſt hæc in ſolitudines aufugere.* Euſeb. vitę Conſt. l. 1. c. 2.

Uti iſta hoc modo ſuccedunt Tyranno ex ſententiâ, de cætero contra omnes perſecutiones excitare in animum inducit. Ita Licinius primùm adortus eſt Eccleſiam in Epiſcopis, qui ejus veluti patres, & eruditores cenſentur; deindè aggreſſus eſt *reliquos* Chriſtianos, qui Eccleſiæ filii ſunt, ac diſcipuli.

Verùm tantus erat Diaboli adversùs Eccleſiam toto orbe diffuſam furor, ut vellet eam prorsùs abolere; ac propterea movet Licinium ad *prælium* adversùs Conſtantinum, præcipuum Eccleſiæ filium, & propugnatorem, quò, illo, ut præſumit, devicto, non ampliùs ſolos Chriſtia-

nos in Imperio Liciniano commorantes expugnet; ſed etiam *reliquos*, qui in ditione Conſtantini degunt, perſequatur.

Euſeb. hiſt. l. 10. c. 8. Namque relatu Euſebii, *Licinius vir ſororis Conſtantini factus, invidiâ contra Conſtantinum, ſummum ſuum patronum inflammatus, non naturæ leges reveritus, non juſjurandi, non ſanguinis, non fœderum recordatus, peſtiferum contra eum, & crudele bellum excitat. Ac dùm cum Conſtantino prælium inire cogitabat, jam etiam contra Deum omnium moderatorem, quem norat Conſtantinum colere, aciem inſtruere inſtituit. Qui cùm eſſet prælium initurus, iis, quos inter amicos eximiè charos habebat, dixit: Si noſtri potiantur victoriâ, quod non dubium eſt, poſt victoriam ad bellum contra impios faciendum maturare oportet.* Hæc Euſebius. (Euſeb. vitæ Conſt. l. 2. c. 5.)

Ibidem. Impios autem dicebat Licinius eos, qui Deos illius inanes, *quorum cultum deſeruiſſe ut proditorem* Conſtantinum arguebat, contemnebant; & Deum unum, ac Chriſtum Dei Filium adorabant; quare Sanctus Joannes ſubjungit.

Ex verſ. 17. *Qui cuſtodiunt mandata Dei.*

Deuter. 6. v. 4. 5. 13. Deuter. 11. v. 16. Præcipiebat Moyſes authoritate Domini: *Audi, Iſraël, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt. Diliges Dominum Deum tuum: Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies. Cavete, nè fortè decipiatur cor veſtrum; & recedatis à Domino; ſerviatiſque diis alienis, & adoretis eos.* Eadem mandata Domini renovavit præceptis Evangelicis Chriſtus; ac diabolo regna mundi, & gloriam eorum promittenti, ſi adoraret eum, dixit, *Vade, Satana; ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis; & illi ſoli ſervies.* (Matth. 4. v 8. 9. 10.)

Cuſtodientes mandata illa Divina Chriſtianos perſequitur diabolus adminiculo Licinii: undè quadraginta milites Præfecto contraria ſuadenti ſub eodem Imperatore, uti refert Baſilius Magnus, *inquiunt; Quid nos demulcere ſtudes, Dei hoſtis? Diſcedere à Deo vivente; & dæmonibus ſervire peſſimis cogis? Tua nobis bona offers: putaſne tantùm te daturum, quantùm eripere contendis? Pro charitate, proque fide in Deum, & in rotâ poni, & cruci affigi, & flammis uri, ac omnibus demùm modis torqueri parati ſumus.* (S. Baſil. or. in quadrag. Martyr.)

Ex verſ. 17. *Et habent teſtimonium Ieſu Chriſti.*

Habere teſtimonium Ieſu Chriſti, eſt credere Ieſum Chriſtum eſſe Filium Dei: nam Deus non ſemel de Chriſto palàm declaravit, *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui:* Quamobrem ait Joannes in Epiſtolâ, *qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.* At qui fatetur ſe eſſe Chriſtianum, teſtatur ſe credere in Chriſtum; eumque non dubitare Dei Filium. (Matth. 3. v. 17. c. 17. v. 5. Joan. ep. 1. c. 5. v. 10.)

S. Baſil. or. in 40. Martyr. Licinius verò à Diabolo incitatus prohibuit *edicto, nè quis Chriſtum profiteretur; propoſuitque omnia pœnarum genera confitentibus*, quemadmodùm narrat Sanctus Baſilius; ideoque perſecutus eſt Licinius eos, qui præ ſe ferrent præclarum illud *teſtimonium Ieſu Chriſti.*

Secùs, eodem referente Sancto Patre, *quadraginta invicti, & generoſi*

roſi milites, minas omnes contemnendo, liberâ voce, audacter, ac fortiter, in medium procedentes, ſeſe Chriſtianos eſſe faſſi ſunt. O beatas linguas, inquit Baſilius Magnus, *quæ ſacrantiſſimam vocem emiſerunt! Angeli audientes plauſerunt: Diabolus verò cum Dæmonibus magnam accepit plagam: Dominus autem in Cœlo deſcripſit!*

Non tantùm Licinius Chriſtianos, qui unum Deum, & Chriſtum Dei Filium colerent, perſecutus eſt; ſed etiam prælium iniit contra Conſtantinum, Dei unius cultorem eximium; & Cruce Chriſti, tanquàm præclaro potentiæ illius invictæ teſtimonio, piè, ſanctèque gloriantem.

Quantâ enim pietate Deum coleret, etiam cùm eſſet præliaturus contra Licinium, is Imperator, exhibet Euſebius his verbis: *De more ſuo ante initum prælium, in tabernaculo ſeparato, tempus precibus ad Deum fundendis liberum addixit; ab omni licentiâ, & vitæ ratione luxu diffluente ſe ſevocavit; inediâ, & corporis afflictatione ſe ipſum coërcuit, uti Deum ſibi cum precationibus ſupplicibus placatum, tùm benignum adjutorem haberet; eaque perageret, quæ Deus eſſet illius animo injecturus.* Euſeb. vitæ Conſt. l. 2. c. 15.

Licinius autem Conſtantino inſultans, aiebat: *Iſte, qui nobiſcum prælium initurus eſt, patriis inſtitutis violatis præ errore, quo cæcatus eſt, peregrinum quendam Deum, (undè, haud equidem ſcio) colens, impiâ opinione mentem imbuit; & turpi iſtius inſigni exercitum ſuum magnoperè dedecorat.* Euſeb. vitæ Conſt. l. 2. c. 5. 6. 17.

Verùm *Conſtantinus Dei omnium Servatoris auxilio implorato, atque ſalutari Servatoris vexillo exercitum ſuum antecedente, victoria trophæa conſecutus eſt, ſimulque contra inimicos, & dæmones.*

Verſ. 18. *Et ſtetit ſupra arenam maris.*

Hoc uno verbo Joannes multa plurimùm adnotanda prædixit de Licinio, nempe locum, ubi in Chriſtianos ſæviret; ubi navalibus, & terreſtribus præliis vinceretur à Conſtantino; & ubi occumberet.

Primùm quidem *draco*, ſeu diabolus, dictus eſt *ſtetiſſe ſupra arenam maris*, ut ſignificaretur furore Licinii in urbe maritimâ Propontidis Nicomediâ conſiſtentis, ſeu commorantis, plurimos Chriſtianos, præſertim Epiſcopos, horrendum in modum trucidatos, è littore in mare demerſurus.

Quidam, inquit Euſebius, *Illuſtriſſimi Eccleſiarum Præſides novum mortis genus ſubierunt, corpore in multas particulas enſe minutatim diſſecto; ac poſt illud crudele ſupplicium, & omni ſcelere in tragœdiis audito magis horrendum, in profundos maris gurgites piſcibus vorandi projecti ſunt.* Euſeb. vitæ Conſt. l. 2. c. 1. & hiſt. l. 10. c. 8.

Hoc idem Joannes Nicomediæ Presbyter in Actis Sancti Baſilei Amaſeæ Epiſcopi, & Martyris, quem capite truncato in mare dejecerunt juſſu Licinii, teſtatur, cùm ait: *Hoc enim modo quàmplurimos ex iis, qui Chriſti fidem colebant, illos præſertim, qui gregibus Dei præſidebant, obtruncatos piſcibus eſcam projecerant.* Apud Metaphr. die 26. April. Baron. an. Chr. 316. n. xxv.

Secundò prædicitur *draco ſtetiſſe ſupra arenam maris*, ut notetur multiplex

tiplex locus ad maris litora, ubi Licinius tum navalibus, tum terreſtribus præliis vinceretur à Conſtantino.

Zoſim.l.1. Quippe ex Zoſimo, poſtquàm *ad Cibalim Pannonia urbem, prælio à prima luce ad veſperam, cornu dextrum, cui Conſtantinus præerat, vicit; ac fugatus eſt Licinius uſque Sirmium, & inde in Thraciam, ubi innumerabilibus utrinque caſis, viſum eſt inter ambos eſſe debere ſocietatem, & fœdus mutuum; rupto fœdere Licinius, triginta quatuor millibus ſuorum interfectis, fugâ delatus eſt Byzantium*, urbem maritimam; *ibique à Conſtantino obſeſſus.*

At ubi *claſſis* Conſtantiniana *ad oſtium Helleſponti, velut imperata fuerat, pervenit, Conſtantini duces octoginta dumtaxat expeditiſſimis navibus, quæ triginta ſingulæ remis impellerentur, dimicandum cenſuerunt. Abantus autem, Liciniana claſſis Imperator, ducentis navibus invehebatur; & hoſtilium navium paucitatem vehementer contemnebat, quas ab omni parte ſe nullo negotio putaret incluſurum.*

Sublatis utrinque ſignis, & porrectis in adverſos tendentibus, Conſtantini navarchi ſic ſuas agebant naves, ut hoſtem compoſitè adorirentur. Abantus autem nullo ordine in adverſos impetum faciens, naves ſuas ob multitudinem in arctum coactas inter ſe collidebat; quodamque modo demergendas, & variè perdendas hoſti præbebat. Denique multis militibus in mare præcipitatis, nox ſuperveniens navale prælium diremit.

Poſtridie ejus diei, cùm vehementis Aquilonis flatus eſſent, Abantus navalem ad pugnam ſe parabat: Sed circa meridiem flatus Aquilonis remittebat; & exortus auſter vehemens Licinii claſſem ad litus Aſiaticum repertam, partim in ipſum litus ejecit; partim ſaxis impegit; partim cum vectoribus demerſit; ita quidem, ut hominum quinque millia, naves cum hominibus centum & triginta perirent.

Quis ex illâ narratione Zoſimi non colligat *draconem ſtetiſſe ſupra arenam maris*, cùm claſſis Liciniana, quam Diabolus adversùs Conſtantinum commoverat, fuerit ad litus maris fracta, Deo, *qui producit ventos de theſ uris ſuis*, mirabiliter pugnante pro Conſtantino ejus cultore? Quaſi Dominus Licinio de viribus ſuis maritimis ſuperbè intumeſcenti, & furorem ſuum in Chriſtianos ultrà, quàm liceret, exagitare nitenti, dixiſſet tunc temporis, quod ex libro Job primitùs dixit ipſi mari, *uſque huc venies; & non procedes ampliùs; & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Pſal.134. v.7.

Job 38. v.11.

Ex illo etiam eventu mirabili contra Licinianos idololatras, & Chriſtianorum perſecutores, jure merito hæc verba Jeremiæ potuerunt proferri: *Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie meâ non delebitis? Qui poſui arenam terminum mari; & intumeſcent fluctus ejus, & non tranſibunt illud. Populo autem huic factum eſt cor incredulum, & exaſperans; receſſerunt, & abierunt.*

Jer.5. v.22.23.

Zoſim.l.2. Abiit reipsà poſt illam claſſis ſuæ cladem Licinius; &, uti Zoſimus refert, *Byzantio, cujus obſidionem Conſtantinus urgebat, deſerto, defertur*

Digitized by Google

defertur navigio Chalcedonem. Conſtantinus ad oſtium Ponti, quod Chalcedone ducentis ſtadiis abeſt, navigat; & expoſitis ibi copiis, quoſdam in colles aſcendit; ac in iis aciei ſtruendæ locum capit. Licinius opidò egreſſus hoſtibus jam paratis occurrit. Acri pugnâ initâ, Conſtantini pars ſuperior erat, quæ hoſtes ingenti cum impetu adorta, tantam cædem edidit, ut de centum, & triginta millium numero, vix triginta millia evaderent.

Sic Licinius gravem denuò plagam accepit propè Chalcedonem, urbem mari adjacentem; ut dici queat rursùs *draconem ſtetiſſe ſupra arenam maris*, quòd illius vires iterùm ad litus maris fuerint debilitatæ, ac plurimùm imminutæ.

Proſequitur Zoſimus narrationem de Licinio; undè tertium ſenſum verborum Sancti Joannis hauriemus.

Cùm primùm, inquit, *hæc eveniſſent, Byzantii Conſtantinum portis* Zoſim. l. 2.
apertis accipiebant, idem & Chalcedoniis factitantibus. Licinius victus Nicomediam cum equitibus reliquis, & paucis peditum millibus contendit.

Cùm autem Conſtantinus etiam Nicomediæ Licinium obſideret; rebus ille deſperatis, quòd etiam ſciret nullas ſibi reſtare juſtas, & ſatis amplas ad dimicandum copias, egreſſus urbe, ſupplex Conſtantino factus eſt; & ad eum adlatâ purpurâ, Imperatorem, ac Dominum clamabat; veniamque præteritorum poſcebat.

Licinio Theſſalonicam ablegato Conſtantinus non multò poſt laqueo vi- Euſeb. vitæ
tam ademit; ac, ut ait Euſebius, *impium Tyrannum unà cum ſuis belli* Conſt. l. 2.
jure condemnatum debito addixit ſupplicio, quòd Barbaris quibuſdam ho- c. 18.
minibus coactis, inflictam ſibi cladem iteratâ pugnâ ſarcire contenderet, in- Socrat. l. 1.
quit Socrates. c. 2.

Ita *Deus ſervorum ſuorum propugnator, ſacrilegum illum, & nefan-* Euſeb.
dum Tyrannum Licinium, unà cum conſiliariis omnibus, & amicis, ſub hiſt. l. 10.
Conſtantini pedibus provolvit; fecitque juxta Prophetiam Joannis *ſtare* c. 9.
draconem ſupra arenam maris, quatenùs eumdem Imperatorem Ethnicum, & Chriſtianorum perſecutorem, fecit hærere, ac jacere exanimem *Theſſalonicæ*, quæ eſt urbs in Macedoniâ adjacens mari, ubi antèà
portum confecerat Conſtantinus, teſte Zoſimo. Zoſim. l. 2.

Hunc interitum Licinii expreſſiſſe mihi videtur Joannes verbis ex Ezechiele aliquo modo depromptis de Pharaone Rege Ægypti, cujus
prædeceſſores antiquum populum Dei perſecuti fuerant. *Hæc dicit Domi-* Ezech 29.
nus Deus: Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas v. 3. 4. 5. 6.
in medio fluminum tuorum; ponam frænum in maxillis tuis; & extraham te; & projiciam te: ſuper faciem terræ cades. Et ſcient omnes habitatores Ægypti, quia ego Dominus.

Reverà enim, victo, & mortuo Licinio, inquit Euſebius, *qui antè* Euſeb. vitæ
ſpe in diis vanis locatâ inſolenter ſe efferebant, paulò poſt, Conſtantini Conſt. l. 2.
Deum, qualis, & quàm admirabilis eſſet, re ipſâ intellexerunt; & hunc c. 18.
jam verum, & ſolum Deum ſe agnoſcere confeſſi ſunt.

Hervéus in Apocalypſim.

tiplex locus ad maris litora, ubi Licinius tum navalibus, tum terreſtribus præliis vinceretur à Conſtantino.

Zoſim.l.2. Quippe ex Zoſimo, poſtquàm *ad Cibalim Pannoniæ urbem, prælio à prima luce ad veſperam, cornu dextrum, cui Conſtantinus præerat, vicit; ac fugatus eſt Licinius uſque Sirmium, & inde in Thraciam, ubi innumerabilibus utrinque caſis, viſum eſt inter ambos eſſe debere ſocietatem, & fœdus mutuum; rupto fœdere Licinius, triginta quatuor millibus ſuorum interfectis, fugâ delatus eſt Byzantium*, urbem maritimam; *ibique à Conſtantino obſeſſus.*

At ubi *claſſis* Conſtantiniana *ad oſtium Helleſponti, velut imperata fuerat, pervenit, Conſtantini duces octoginta dumtaxat expeditiſſimis navibus, quæ triginta ſingulæ remis impellerentur, dimicandum cenſuerunt. Abantus autem, Liciniana claſſis Imperator, ducentis navibus invehebatur; & hoſtilium navium paucitatem vehementer contemnebat, quas ab omni parte ſe nullo negotio putaret incluſurum.*

Sublatis utrinque ſignis, & porrectis in adverſos tendentibus, Conſtantini navarchi ſic ſuas agebant naves, ut hoſtem compoſitè adorirentur. Abantus autem nullo ordine in adverſos impetum faciens, naves ſuas ob multitudinem in arctum coactas inter ſe collidebat; quodamque modo demergendas, & variè perdendas hoſti præbebat. Denique multis militibus in mare præcipitatis, nox ſuperveniens navale prælium diremit.

Poſtridie ejus diei, cùm vehementis Aquilonis flatus eſſent, Abantus navalem ad pugnam ſe parabat: Sed circa meridiem flatus Aquilonis remittebat; & exortus auſter vehemens Licinii claſſem ad litus Aſiaticum repertam, partim in ipſum litus ejecit; partim ſaxis impegit; partim cum vectoribus demerſit; ita quidem, ut hominum quinque millia, naves cum hominibus centum & triginta perirent.

Quis ex illâ narratione Zoſimi non colligat *draconem ſtetiſſe ſupra arenam maris*, cùm claſſis Liciniana, quam Diabolus adversùs Conſtantinum commoverat, fuerit ad litus maris fracta, Deo, *qui producit ventos de theſauris ſuis*, mirabiliter pugnante pro Conſtantino ejus cultore? Quaſi Dominus Licinio de viribus ſuis maritimis ſuperbè intumeſcenti, & furorem ſuum in Chriſtianos ultrà, quàm liceret, exagitare nitenti, dixiſſet tunc temporis, quod ex libro Job primitùs dixit ipſi mari, *uſque huc venies; & non procedes ampliùs; & hic confringes tumentes fluctus tuos.*

Pſal. 134. v. 7.

Job 38. v. 11.

Ex illo etiam eventu mirabili contra Licinianos idololatras, & Chriſtianorum perſecutores, jure merito hæc verba Jeremiæ potuerunt proferri: *Me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie meâ non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari; & intumeſcent fluctus ejus, & non tranſibunt illud. Populo autem huic factum eſt cor incredulum, & exaſperans; receſſerunt, & abierunt.*

Jer. 5. v. 22. 23.

Zoſim.l.2. Abiit reipsâ poſt illam claſſis ſuæ cladem Licinius; &, uti Zoſimus refert, *Byzantio, cujus obſidionem Conſtantinus urgebat, deſerto, defertur*

defertur navigio Chalcedonem. Conſtantinus ad oſtium Ponti, quod Chalcedone ducentis ſtadiis abeſt, navigat; & expoſitis ibi copiis, quoſdam in colles aſcendit; ac in iis aciei ſtruendæ locum capit. Licinius opidò egreſſus hoſtibus jam paratis occurrit. Acri pugnâ initâ, Conſtantini pars ſuperior erat, quæ hoſtes ingenti cum impetu adorta, tantam cædem edidit, ut de centum, & triginta millium numero, vix triginta millia evaderent.

Sic Licinius gravem denuò plagam accepit propè Chalcedonem, urbem mari adjacentem; ut dici queat rurſùs *draconem ſtetiſſe ſupra arenam maris*, quòd illius vires iterùm ad litus maris fuerint debilitatæ, ac plurimùm imminutæ.

Proſequitur Zoſimus narrationem de Licinio; undè tertium ſenſum verborum Sancti Joannis hauriemus.

Cùm primùm, inquit, *hæc eveniſſent, Byzantii Conſtantinum portis apertis accipiebant, idem & Chalcedoniis factitantibus. Licinius victus Nicomediam cum equitibus reliquis, & paucis peditum millibus contendit.* Zoſim.l.2.

Cùm autem Conſtantinus etiam Nicomediæ Licinium obſideret; rebus ille deſperatis, quòd etiam ſciret nullas ſibi reſtare juſtas, & ſatis amplas ad dimicandum copias, egreſſus urbe, ſupplex Conſtantino factus eſt; & ad eum adlatâ purpurâ, Imperatorem, ac Dominum clamabat; veniamque præteritorum poſcebat.

Licinio Theſſalonicam ablegato Conſtantinus non multò poſt laqueo vitam ademit; ac, ut ait Euſebius, *impium Tyrannum unà cum ſuis belli jure condemnatum debito addixit ſupplicio, quòd Barbaris quibuſdam hominibus coactis, inflictam ſibi cladem iteratâ pugnâ ſarcire contenderet*, inquit Socrates. Euſeb. vitæ Conſt. l.2. c.18. Socrat. l.1. c.2.

Ita *Deus ſervorum ſuorum propugnator, ſacrilegum illum, & nefandum Tyrannum Licinium, unà cum conſiliariis omnibus, & amicis, ſub Conſtantini pedibus provolvit*; fecitque juxta Prophetiam Joannis *ſtare draconem ſupra arenam maris*, quatenùs eumdem Imperatorem Ethnicum, & Chriſtianorum perſecutorem, fecit hærere, ac jacere exanimem *Theſſalonicæ*, quæ eſt urbs in Macedoniâ adjacens mari, ubi antè *portum confecerat Conſtantinus*, teſte Zoſimo. Euſeb. hiſt. l.10. c.9. Zoſim.l.2.

Hunc interitum Licinii expreſſiſſe mihi videtur Joannes verbis ex Ezechiele aliquo modo depromptis de Pharaone Rege Ægypti, cujus prædeceſſores antiquum populum Dei perſecuti fuerant. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum; ponam frænum in maxillis tuis; & extraham te; & projiciam te: ſuper faciem terræ cades. Et ſcient omnes habitatores Ægypti, quia ego Dominus.* Ezech 29. v.3.4.5.6.

Reverà enim, victo, & mortuo Licinio, inquit Euſebius, *qui antè ſpe in diis vanis locatâ inſolenter ſe efferebant, paulò poſt, Conſtantini Deum, qualis, & quàm admirabilis eſſet, re ipſâ intellexerant; & hunc jam verum, & ſolum Deum ſe agnoſcere confeſſi ſunt.* Euſeb. vitæ Conſt. l.2. c.18.

Hervéus in Apocalypſim. Sſ EXPLA

EXPLANATIO L.

Bellua, duobus primis verſibus Capitis decimi tertii Apocalypſis deſcripta, de Imperio Romano Ethnico, Chriſtianos atrociter perſequente.

VERS. 1. Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata, & ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ.

℣. 2. Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes ejus ſicut urſi, & os ejus ſicut os leonis. Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.

Verſ. 1. *Et vidi beſtiam.*

Dan. 7. v. 17. SICUTI Deus Danieli exhibuit quatuor regna ferocia ſub figurâ quatuor beſtiarum terribilium; ita Joanni Romanum Imperium Ethnicum, in Chriſtianos atrociter ſæviens, oſtendit ſub ſpecie belluæ immanis, quæ homines in furorem acta laniat, enecat, devorat.

Lactant. Inſtit. l. 5. c. 11. Hanc in ſententiam diſertè Lactantius: *Iis*, inquit, *hominibus, qui Deorum ſuorum moribus congruunt, quia gravis eſt, & acerba juſtitia, eamdem impietatem ſuam, quâ in cæteris rebus utuntur, adversùs juſtos violenter exercent. Nec immeritò à Prophetis beſtiæ nominantur. Præclarè itaque M. Tullius. Etenim ſi nemo eſt, inquit, quin emori malit, quàm converti in aliquam figuram beſtiæ, quamvìs hominis mentem habiturus: quantò eſt miſerius, in hominis figurâ, animo eſſe efferato? Mihi quidem tantò videtur, quantò præſtabilior eſt animus corpore. Aſpernantur itaque corpora belluarum, quibus ſunt ipſi ſæviores; ſibique adeò placent, quòd homines nati ſunt, quorum nihil niſi lineamenta, & ſummam figuram gerunt. Nam quis Caucaſus, quæ India, quæ Hyrcania tàm immanes, tàm ſanguinarias umquam beſtias aluit? Quoniam ferarum omnium rabies uſque ad ventris ſatietatem furit; fameque ſedatâ protinùs conquieſcit. Illa eſt vera beſtia, cujus unâ juſſione*

Funditur

Digitized by Google

Funditur ater ubique cruor, crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Hæc Lactantius, quæ beſtiam à Joanne viſam, uti à nobis explicata eſt, præclarè deſcribunt.

Ex verſ. 1. *De mari aſcendentem.*

Cùm autem Roma non longè diſtet à mari, ex eoque per oſtia Tiberina populus Romanus primùm progreſſus ſit, ut ditioni ſuæ ſubigeret Europam, Aſiam, & Africam; ac indè poſteà Imperatores Romani Ethnici contra Chriſtianos in tres illas orbis partes diffuſos ſævitiem ſuam exeruerint, Joannes contemplatus eſt illam immanem belluam, quæ Imperatorum iſtorum ferocitatem ſignificaret, tanquam è mari provectam.

Ex verſ. 1. *Habentem capita ſeptem.*

Ipſemet Joannes Apocalypſis capite decimo ſeptimo declarat quid *ſeptem* illa *capita* ſignificent, nimitùm *ſeptem reges*, non quidem illos ſeptem, quos Urbs à Romulo ad Tarquinium ſuperbum habuit; ſed ſeptem Imperatores à Nerone ad Trajanum, uti patebit, cùm verba verſus decimi, & undecimi ejuſdem capitis decimi ſeptimi, obſcuriſſima perſpicuè, Deo dante, explanabo. Apoc. 17. v. 9.

Quippe, ut id tantùm hoc loco dicam, Sanctus Joannes patrium loquendi morem ſecutus, Imperatorem appellat Regem: ſic enim Judæi dixerunt, *non habemus regem niſi Cæſarem.* Joan. 19. v. 15.

Et Petrus Româ ſcribens, dùm ait, *ſubjecti eſtote, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis*; & poſteà, *Regem honorificate*, haud dubiè nomine Regis Imperatorem Romanum deſignat. 1 Petr. 2. v. 13. 17.

Ex verſ. 1. *Et cornua decem.*

Citato etiam capite decimo ſeptimo Apocalypſis Joannes *cornua* illa *decem* interpretatur *decem Reges*, hoc eſt decem Imperatores Romanos, Chriſtianorum perſecutores, quos ibidem ex monimentis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ à Trajano recenſebimus. Apoc. 17. v. 12.

Ex v. 1. *Et ſuper cornua ejus diademata.*

Utpote Regiæ, ſeu Imperatoriæ dignitatis inſignia.

Ex verſ. 1. *Et ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ.*

Blaſphemia eſt alium, præter unum verum, Deum aſſerere. At Reges illi, ſive Imperatores Romani Ethnici, capitibus illis beſtiæ præfatæ deſignati, plures Deos adorabant.

Quin etiam veriſimile eſt, Joannem à Domitiano in Pathmoſam inſulam, ubi Apocalypſim percepit, relegatum, notaſſe potiſſimùm Domitianum, qui unus ex prædictis ſeptem Imperatoribus fuit: is enim, teſte Suetonio, viſus eſt aliquando *purpureâ amictus togâ, capite geſtans coronam auream cum effigie Iovis, ac Iunonis, Minervæque. Dominum quoque, & Deum ſe appellari juſſit*, cujus impietatem multi Imperatores Romani Ethnici ſecuti ſunt; quod ſanè blaſphemum fuit. Sueton. in Domitiano. Eutrop. l. 7. ſub finem.

Digitized by Google

Verſ. 2. *Et beſtia, quam vidi, ſimilis erat pardo, & pedes ejus ſicut pedes urſi, & os ejus ſicut os leonis.*

Dan 7. v. 3. 4. 5. 6. 7. Quatuor beſtiarum, quas vidit Daniel, *prima* erat *quaſi leana*; *alia ſimilis urſo*; *alia quaſi pardus*; *quarta* verò *terribilis, & fortis nimis, diſſimilis erat cæteris beſtiis, & habebat cornua decem.*

S. Hier. in c. 7. Danielis. In quem locum Sanctus Hieronymus inquit: *Satis miror, quòd cùm ſuprà leænam, & urſum, & pardum in tribus regnis*, nempe Babyloniorum, Perſarum, & Macedonum, *poſuerit, Romanum Regnum nulli beſtiæ comparavit: niſi fortè, ut formidoloſam faceret beſtiam, vocabulum tacuit, ut quidquid ferocius cogitaverimus in beſtiis, hoc Romanos intelligamus.* Diſſimilis autem erat *cæteris beſtiis: in prioribus enim ſingula formidinum ſigna, in hàc omnia ſunt*, ait Sanctus Doctor.

At Beatus Joannes, antiquorum Prophetarum ſectator, eorumque ſenſum probè intelligens, ac docens, comparat idem Imperium Romanum Ethnicum, & in Chriſtianos ſæviſſimum, belluæ ex tribus feris, quas Daniel viderat, pardo, urſo, & leone, compactæ.

Ex verſ. 2. *Similis erat pardo.*

Pardus ex leone, & panthæra ortus, corpus habet variis maculis refertum; eſtque ferociſſimus, & velociſſimus. Undè intelligere debemus impietatem Ethnicorum Imperatorum variis artibus nocituram Chriſtianis, quos perſequitur; citiſſimè eâ ingenti poteſtate, quâ pollebit, multis in locis graſſaturam; compluresque cædes ferociſſimè edituram.

Ex verſ. 2. *Et pedes ejus ſicut pedes urſi.*

Urſi pedes validiſſimi ſunt; &, quaſi manus hominum, facilè mobiles; quibus ſignificatur fore, ut Imperator Ethnicus, Chriſtianos alios inſaniæ illius non obſequentes conculcet, ac proterat; alios quaſi manibus humanis ad ſeſe attracturus ſit, dùm ipſos muneribus oblatis, aliiſque modis manſuetudinem indicantibus, conabitur ad partes ſuas pellicere.

Ex verſ. 2. *Et os ejus ſicut os leonis.*

Amos 3. v. 4. Prov. 20. v. 2. *Numquid rugiet leo, niſi habuerit prædam?* ait Amos; & Sapiens inquit, *ſicut rugitus leonis, ita & terror Regis.* Quare efferatus ſuperbiâ, & irâ Imperator, Dæmonum cultui addictus, rugiet adversùs Sanctos Dei cultores, ut eos diſcerpat, ac comminuat.

Hanc noſtram belluæ immanis, ex tribus feris, pardo, urſo, & leone coagmentatæ, interpretationem confirmare mihi videtur Lactantius loco ſuperiùs à me relato, ubi de crudelitate Imperatorum Romanorum adversùs Chriſtianos diſſerit.

Lactant. Inſtit. l. 5. c. 11. *Nemo*, inquit, *hujus tantæ belluæ immanitatem poteſt pro merito deſcribere, quæ uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis ſævit.*

En celeritas horrenda pardi in Imperatore Ethnico, qui, quamvìs in unâ urbe commoretur, nihilominus impietatis ſuæ furore ſimul in omnibus

omnibus provinciis imperio ſuo ſubditis cædes innumeras edit.

Sequitur leonina ferocitas :

Pergit enim Lactantius ; *Et non tantùm artus hominum diſſipat, ſed & oſſa ipſa comminuit ; & in cineres furit, nè quis extet ſepulturæ locus : Quaſi verò id affectent, qui Deum confitentur, ut ad eorum ſepulchra veniatur ; ac non ut ipſi ad Deum perveniant ? Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ inſania eſt, lucem vivis, terram mortuis denegaſſe ?*

Idem Orator Chriſtianus maculoſum corpus pardi deſcribit variis artibus, quibus *miniſtri, ac ſatellites furoris, & impiæ juſſionis* Imperatorum gentilium, proindeque ipſi Imperatores, Chriſtianis nocebant.

Quis, inquit, *voluminum numerus capiet tàm infinita, tàm varia genera crudelitatis ? Accepta enim poteſtate pro ſuis moribus quiſque ſævivit. Alii præ nimiâ timiditate plùs auſi ſunt, quàm jubebatur. Alii ſuo proprio adverſus juſtos odio : Quidam naturali mentis feritate : Nonnulli ut placerent ; & hoc officio viam ſibi ad altiora munirent : aliqui ad occidendum præcipites extiterunt, ſicut unus in Phrygiâ, qui univerſum populum cum ſuo conventiculo concremavit. Sed hic, quantò ſævior, tantò clementior invenitur.*

Expoſitâ iis verbis corporis pardi varietate maculosâ, blandientes, ac ut ita dicam, palpantes urſi manus, quò pedibus poſteà validiùs conculcet, ac conterat, exhibet Lactantius.

Illud verò, inquit, *peſſimum genus eſt, cui clementiæ ſpecies falſa blanditur. Ille gravior, ille ſuavior eſt carnifex, qui neminem ſtatuit occidere. Alii pertinaci ſtultitiâ jubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur ; & reparetur novus ſanguis ad pœnam. Quid tàm pium, tàm beneficum, tàm humanum fieri poteſt ? Non curaſſent tàm ſollicitè quos amarent. Hæc eſt deorum diſciplina : ad hæc opera cultores ſuos erudiunt.*

Ex ℣. 2. *Et dedit illi draco virtutem ſuam, & poteſtatem magnam.* Græcè δύναμιν ϗ ἐξουσίαν.

Vis, & poteſtas magna Diaboli ea eſt, quòd per ſeſe, & obſequentes ſibi dæmones, hominum innumerorum corpora toto terrarum orbe perimat, & animas propemodùm infinitas, quas ad peccatum pertrahit, interitui addicat æterno ; pios autem, & innocuos paſſim, & ubique, quibus poteſt, malis afficiat. Vim illam, & poteſtatem horrendam dabit Diabolus Imperatoribus Romanis Ethnicis, ut quovis Imperii ſui loco ſubditos ad flagitia quæque contra Deum perpetranda impellant ; & in Sanctos Dei cultores, quos odio implacabili proſequitur, diriſſimam tyrannidem exerceant.

EXPLANATIO LI.

Impietas Ethnica, Chriſtianorum perſecutrix, in Nerone extincta, reviviſcit in Domitiano, aliiſque multis Imperatoribus Romanis, tres annos, & ſemiſſem ſævientibus: adorantur illi cum Diabolo, non à gentilibus tantùm, ſed etiam à pſeudo-Chriſtianis, ut dii: tamen ex illis Imperatoribus Ethnicis quidam captivitate plectuntur; alii gladio intereunt: elucet verò iis in perſecutionibus fides, & patientia genuinorum Chriſtianorum, & Sanctorum Martyrum, à tertio ad decimum verſum Capitis decimi tertii Apocalypſis.

VERS. 3. Et vidi unum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem; & plaga mortis ejus curata eſt: Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam.

℣. 4. Et adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ; & adoraverunt beſtiam, dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? Et quis poterit pugnare cum eâ?

℣. 5. Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias; & data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.

℣. 6. Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in Cœlo habitant.

℣. 7. Et eſt datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.

℣. 8.

℣. 8. Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.

℣. 9. Si quis habet aurem, audiat.

℣. 10. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet. Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hîc eſt patientia, & fides Sanctorum.

Verſ. 3. ***Et vidi unum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis ejus curata eſt.***

CUM prædeceſſores, quamvìs verè mortui ſint, trito ſermonis uſu dicantur in iis, qui ipſorum authoritati, & moribus ſuccedunt, reviviſcere; *unum*, ſive, juxta frequentem hujus vocis in Scripturâ ſignificationem, primum, *de capitibus beſtiæ occiſum*, dicitur *plagâ mortis curatum*, quatenùs *unus*, ſeu primus, Rex, vel Imperator Romanus Ethnicus, ac Chriſtianorum perſecutor, qui re ipsâ *interfectus fuit*, aſſeritur opinione hominum, & ſermone communi revixiſſe; ac priſtinas vires recuperaſſe in alio Imperatore Romano, qui & ipſe dæmonum cultui devinctus eſt, atque Chriſtianos perſequitur.

Hoc modo primus ille Imperator, præfato illo uno capite ſignificatus, *fuit quaſi occiſus in mortem.* Occiſus quidem, quia corpus ejus verè enecatum eſt; & anima illius verè ab ipſo ſeparata. *Quaſi occiſus* autem, ſeu non omninò occiſus, & non omninò mortuus, propterea quod ejus impietas, Chriſtianorum perſecutrix, in poſteriore Imperatore rursùs excitata viget, ac ſævit.

Primum illud caput beſtiæ in Chriſtianos ferocis fuit *Nero*, qui ut ait
Euſebius, *primus ex Imperatoribus Romanis religioſi cultus, qui ſacro Numini* Euſeb.hiſt.
tribuitur, hoſtis infeſtus fuit. Undè Tertullianus, *Reperietis primùm Neronem in* l.2. c.24.
hanc ſectam, tùm maximè Romæ orientem, Cæſariano gladio ferociſſe. Sed tali Tertull.
dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur: Qui enim ſcit illum, intellige- Apol. c.5.
re poteſt nonniſi aliquod bonum grande à Nerone damnatum.

Impietas autem Chriſtianorum perſecutrix, quæ in Nerone, dùm Aurel. Vi-
ille reipsâ ac verè, tùm à ſe ipſo, tùm ab Eunucho Sporo, ictu gladii ctor in
interfectus eſt, extincta videbatur, fuit denuò excitata, & revixit; ac Nerone.
priſtinas ad ſerviendum vires ſumpſit in Domitiano: Quamobrem à Ter- Eutrop.
tulliano dicitur *Domitianus portio Neronis de crudelitate*; & ex Euſebio, *in* l. 7.
ſceleratam Neroniani in Deum odii, & impietatis hereditatem ſucceſſit. Secun- Tertull.
dus namque erat, qui contra nos Chriſtianos perſecutionis incendium excitavit. Apol. c.5. Euſeb.hiſt. l.3.c.13.

Porrò, quis ſcit, nùm Joannes atrociter exceptus à Domitiano, &
deſpiciens rumores apud plebem ſparſos, quibus, uti refert Suetonius, Sueton. in
putabatur Nero *quaſi vivens, & brevi magno inimicorum malo reverſurus,* di- Nerone, ſub finem.

xerit illum *quaſi occiſum in mortem*; *& plagam mortis ejus curatam?* Fortaſſis enim veritatis diſcipulus illis verbis irriſit inanitatem illius rumoris plebeii; ac de ſævitiâ Domitiani juſtè conquerens, dixit: Quamvis Nero ſit revera mortuus, nec ampliùs per ſeſe reverſurus; tamen ejus adversùs ſanctos Dei cultores impietas, ac ſævities revixit, rediit, & conſpicitur palàm in Domitiano.

Extinguenda quoque Domitiani impietas ſuſcitabitur in Trajano, ac deinceps reviviſcet in pleriſque aliis Imperatoribus Romanis Ethnicis, qui Chriſtianos perſequentur, quemadmodùm iſta diſtinctiùs referemus explanatione Capitis decimi ſeptimi Apocalypſis.

Ex ỷ. 3. *Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam.*

Mirantur homines inſolita, & quæ præter illorum opinionem eveniunt, atque dùm ingentia ſunt, ſtupent. A Nerone, Chriſtianorum primo perſecutore, extincto, quinque Imperatores, Galba, Otho, Vitellius, Veſpaſianus, & Titus regnarant, qui licèt Deos colerent, nullam tamen Chriſtianis moleſtiam faceſſerant. Cauſa igitur admirationis, & ſtuporis fuit, quòd Domitianus tempore Sancti Joannis, poſt illos quinque Imperatores erga Chriſtianam Religionem pacificos, Neronianam in Chriſtianos perſecutionem renovaverit. Eâ in novitate eò ampliùs fuit ratio ſtupendi, quòd Domitianus à Veſpaſiano patre, qui templum Paci æternæ extruxit, & à Tito fratre mitiſſimo, Imperium hereditario jure adeptus fuerat; ac proinde non debuiſſet à paternâ, & fraternâ erga Chriſtianos manſuetudine deficere.

Euſeb.hiſt. l 3.c.13. Hinc apud Euſebium, *Domitianus ſecundus erat, qui contra nos Chriſtianos, licèt pater ejus Veſpaſianus nihil injuriæ, aut mali in nos animo aliquando excogitaſſet, perſecutionis incendium excitavit.*

Verſ.4. *Et adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ.*

Non ſolùm gentiles, ut priùs, verùm etiam Chriſtiani complures, qui anteà unum verum Deum religioſiſſimè colebant, falſorum Deorum catervam impiè venerati ſunt; & quamvis, cùm Baptiſma ſuſceperant, Diabolo, & omnibus operibus ejus renuntiaſſent, tamen ipſimet Diabolo veluti Deo ſeſe ſponte ſubdiderunt. Ad tantam verò impietatem, tanquàm ignavi compulſi ſunt nutu nefariæ poteſtatis, ab ipſo Diabolo Imperatoribus illis ethnicis collatæ, ad perſequendum variis, & atrociſſimis modis Chriſtianos.

Ex ỷ. 4. *Et adoraverunt beſtiam.*

Quin etiam plerique, qui anteà Chriſto nomen dederant, Imperatores illos Ethnicos, quos ut hoſtes Chriſtianæ Religionis infenſiſſimos debuerant averſari, coluerunt quaſi Divinæ Majeſtatis amicos. Servi erant ſuarum cupiditatum, ac ſpirituum immundorum, Principes illi flagitioſiſſimi; & tamen ex Chriſtianis inventi ſunt, qui ipſos veluti Cœli, & terræ Dominos, ac Deos ſummo haberent in honore; eorumque edicta ſceleſtiſſima mandatis Chriſti Domini, ac Dei ſanctiſſimis præferrent.

Plinius ep.97. De talibus apoſtatis Plinius Trajano ſcribens, inquit: *Omnes, & imaginem*

Digitized by Google

ginem tuam , deorumque ſimulacra venerati ſunt ; ii & Chriſto maledixerunt.

Ex verſ. 4. *Dicentes, quis ſimilis beſtiæ ? Et quis poterit pugnare cum eâ.*

Quippe dicebant intrà ſe timidi illi, & à Chriſtianâ magnanimitate degeneres, nomine tenùs Chriſtiani: Quis Imperatoribus illis, tùm authoritate, tùm viribus, tùm ferocitate poteſt æquiparari? Quis valet cum illis tàm validis, tàm potentibus in certamen deſcendere; & non ab illis vinci? Quis eorum iram queat effugere, cùm ubique milites, duces, magiſtratus, judices, ac ſubditos quoſvis habeant furori ſuo obſequentes? Poſſunt parentes filiis, filios parentibus orbare; uxores à viris amantiſſimas, chariſſimos ab uxoribus viros divellere; bonis omnibus ſpoliare; & in luctuoſam inopiam adigere. Poſſunt domibus præclaris, & omni ſupellectile inſtructis ejicere; ac in horrendos carceres conjicere; patrio ſolo, ubi inter amicos ſuaviter vivitur, expellere; atque ad remotiſſimas regiones, & barbaras gentes, quarum conſpectum exhorreſcas, ablegare. Poſſunt equuleis torquere; pectinibus, & unguibus ferreis lacerare, ac diſcerpere; gladio ferire; telis perfodere; igni torrere; leonibus devorandos tradere; nudata corpora contumeliis quibuſlibet afficere; virgines, ac mulieres caſtiſſimas in lupanaria violandas protrudere; denique tot, & tàm ſævis tormentorum generibus excruciare, ut vix umquam ſanguine innocentum expleri videatur belluarum illarum immanitas. Quæ eſt fortitudo noſtra, ut tàm varios, & tàm acerbos cruciatus ſuſtineamus? Nec enim *fortitudo* noſtra, *lapidum fortitudo*; Job 6. v. 11. 12.
& caro noſtra ænea eſt, ut veluti incus prægrandis ad tot, & tàm vehementes malleorum ingentium ictus repercuſſa, magìs, ac magìs obdureſcat.

Hæc dixerunt molles, ac nomine Chriſtiano indigni, non viri, ſed effœminati; nec cogitaverunt *quod infirmum eſt Dei, fortius eſſe hominibus*; ac ſe *poſſe omnia*, à Deo omnipotente *confortatos*. Defixos habuerunt oculos in tormenta, quæ expaverunt; & non *aſpexerunt in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui* pro illis *ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ*, ut illius exemplo permoti, & gratiâ corroborati, *non fatigarentur, animis ſuis deficientes; ſed uſque ad ſanguinem reſiſterent, adversùs peccatum repugnantes.* 1. ad Cor. 1. v. 25. ad Philip. 4. v. 13. ad Hebr. 12. v. 2. 3. 4.

Verſ. 5. *Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias.*

Suggerente Diabolo, cui addicti erant, Imperatores illi Ethnici magna de ſe ipſis ſuperbè jactabant; ita ut etiam divinitatem plerumque ſibi arrogarent. Summis quoque laudibus Deos ſuos inanes ſubvehebant: ſecùs unum verum Deum flocciſaciebant; & Chriſtum Dei filium contemnebant. Honores autem præclaros, & opes jucundas pollicebantur Chriſtianis, ſi ejurarent religionem ſuam, quam ipſi Ethnici tanquàm futilem, atque etiam ſacrilegam blaſphemabant. Contrà verò ingentes illis calamitates, & acerba quæque tormenta minabantur, ſi pertinaci-

Hervéus in Apocalypſim. T t ter,

Digitized by Google

xerit illum *quaſi occiſum in mortem ; & plagam mortis ejus curatam ?* Fortaſſis enim veritatis diſcipulus illis verbis irriſit inanitatem illius rumoris plebeii ; ac de ſævitiâ Domitiani juſtè conquerens, dixit : Quamvis Nero ſit revera mortuus , nec ampliùs per ſeſe reverſurus ; tamen ejus adverſùs ſanctos Dei cultores impietas , ac ſævities revixit , rediit , & conſpicitur palàm in Domitiano.

Extinguenda quoque Domitiani impietas ſuſcitabitur in Trajano , ac deinceps reviviſcet in pleriſque aliis Imperatoribus Romanis Ethnicis, qui Chriſtianos perſequentur , quemadmodùm iſta diſtinctiùs referemus explanatione Capitis decimi ſeptimi Apocalypſis.

Ex ℣. 3. *Et admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam.*

Mirantur homines inſolita , & quæ præter illorum opinionem eveniunt , atque dùm ingentia ſunt , ſtupent. A Nerone , Chriſtianorum primo perſecutore , extincto , quinque Imperatores , Galba , Otho, Vitellius , Veſpaſianus , & Titus regnarant , qui licèt Deos colerent , nullam tamen Chriſtianis moleſtiam faceſſerant. Cauſa igitur admirationis, & ſtuporis fuit , quòd Domitianus tempore Sancti Joannis , poſt illos quinque Imperatores erga Chriſtianam Religionem pacificos, Neronianam in Chriſtianos perſecutionem renovaverit. Eâ in novitate eò ampliùs fuit ratio ſtupendi , quòd Domitianus à Veſpaſiano patre , qui templum Paci æternæ extruxit , & à Tito fratre mitiſſimo , Imperium hereditario jure adeptus fuerat ; ac proinde non debuiſſet à paternâ , & fraternâ erga Chriſtianos manſuetudine deficere.

Euſeb.hiſt. l 3.c.13. Hinc apud Euſebium , *Domitianus ſecundus erat , qui contra nos Chriſtianos , licèt pater ejus Veſpaſianus nihil injuriæ , aut mali in nos animo aliquando excogitaſſet , perſecutionis incendium excitavit.*

Verſ.4. *Et adoraverunt draconem , qui dedit poteſtatem beſtiæ.*

Non ſolùm gentiles , ut priùs , verùm etiam Chriſtiani complures, qui anteà unum verum Deum religioſiſſimè colebant , falſorum Deorum catervam impiè venerati ſunt ; & quamvìs , cùm Baptiſma ſuſceperant, Diabolo , & omnibus operibus ejus renuntiaſſent , tamen ipſimet Diabolo veluti Deo ſeſe ſponte ſubdiderunt. Ad tantam verò impietatem, tanquàm ignavi compulſi ſunt nutu nefariæ poteſtatis, ab ipſo Diabolo Imperatoribus illis ethnicis collatæ,ad perſequendum variis,& atrociſſimis modis Chriſtianos.

Ex ℣. 4. *Et adoraverunt beſtiam.*

Quin etiam plerique , qui anteà Chriſto nomen dederant , Imperatores illos Ethnicos , quos ut hoſtes Chriſtianæ Religionis infenſiſſimos debuerant averſari , coluerunt quaſi Divinæ Majeſtatis amicos. Servi erant ſuarum cupiditatum , ac ſpirituum immundorum, Principes illi flagitioſiſſimi ; & tamen ex Chriſtianis inventi ſunt , qui ipſos veluti Cœli, & terræ Dominos,ac Deos ſummo haberent in honore ; eorumque edicta ſceleſtiſſima mandatis Chriſti Domini , ac Dei ſanctiſſimis præferrent.

Plinius ep.97. De talibus apoſtatis Plinius Trajano ſcribens , inquit : *Omnes, & ima-*

ginem

Digitized by Google

ginem tuam , deorumque ſimulacra venerati ſunt ; ii & Chriſto maledixerunt.

Ex verſ. 4. *Dicentes, quis ſimilis beſtiæ ? Et quis poterit pugnare cum ea.*

Quippe dicebant intrà ſe timidi illi, & à Chriſtianâ magnanimitate degeneres, nomine tenùs Chriſtiani : Quis Imperatoribus illis, tùm authoritate, tùm viribus, tùm ferocitate poteſt æquiparari ? Quis valet cum illis tàm validis, tàm potentibus in certamen deſcendere ; & non ab illis vinci ? Quis eorum iram queat effugere, cùm ubique milites, duces, magiſtratus, judices, ac ſubditos quoſvis habeant furori ſuo obſequentes ? Poſſunt parentes filiis, filios parentibus orbare ; uxores à viris amantiſſimas, chariſſimos ab uxoribus viros divellere ; bonis omnibus ſpoliare ; & in luctuoſam inopiam adigere. Poſſunt domibus præclaris, & omni ſupellectile inſtructis ejicere ; ac in horrendos carceres conjicere; patrio ſolo, ubi inter amicos ſuaviter vivitur, expellere ; atque ad remotiſſimas regiones, & barbaras gentes, quarum conſpectum exhorreſcas, ablegare. Poſſunt equuleis torquere ; pectinibus, & unguibus ferreis lacerare, ac diſcerpere ; gladio ferire ; telis perfodere ; igni torrere ; leonibus devorandos tradere ; nudata corpora contumeliis quibuſlibet afficere ; virgines, ac mulieres caſtiſſimas in lupanaria violandas protrudere ; denique tot, & tàm ſævis tormentorum generibus excruciare, ut vix umquam ſanguine innocentum expleri videatur belluarum illarum immanitas. Quæ eſt fortitudo noſtra, ut tàm varios, & tàm acerbos cruciatus ſuſtineamus ? Nec enim *fortitudo* noſtra, *lapidum fortitudo* ; Job 6.
& caro noſtra ænea eſt, ut veluti incus prægrandis ad tot, & tàm vehementes malleorum ingentium ictus repercuſſa, magìs, ac magìs obdureſcat. v. 11. 12.

Hæc dixerunt molles, ac nomine Chriſtiano indigni, non viri, ſed effœminati ; nec cogitaverunt *quod infirmum eſt Dei, fortius eſſe hominibus* ; ac ſe *poſſe omnia*, à Deo omnipotente *confortatos*. Defixos habuerunt oculos in tormenta, quæ expaverunt ; & non *aſpexerunt in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui* pro illis *ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ*, ut illius exemplo permoti, & gratiâ corroborati, *non fatigarentur, animis ſuis deficientes ; ſed uſque ad ſanguinem reſiſterent, adversùs peccatum repugnantes.* 1. ad Cor. 1. v. 25. ad Philip. 4. v. 13. ad Hebr. 12. v. 2. 3. 4.

Verſ. 5. *Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias.*

Suggerente Diabolo, cui addicti erant, Imperatores illi Ethnici magna de ſe ipſis ſuperbè jactabant ; ita ut etiam divinitatem plerumque ſibi arrogarent. Summis quoque laudibus Deos ſuos inanes ſubvehebant: ſecùs unum verum Deum floccifaciebant ; & Chriſtum Dei filium contemnebant. Honores autem præclaros, & opes jucundas pollicebantur Chriſtianis, ſi ejurarent religionem ſuam, quam ipſi Ethnici tanquàm futilem, atque etiam ſacrilegam blaſphemabant. Contrà verò ingentes illis calamitates, & acerba quæque tormenta minabantur, ſi pertinaci-

Digitized by Google

ter, ut ipſi impii aiebant, in ſuâ ſuperſtitione perſiſterent.

Ex verſ. 5. *Et data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.*

At quanto tempore ſævierint in Chriſtianos impii illi Imperatores, ſi quis quærat, reperiet pleroſque ex illis, Deo permittente ſanctiſſimè, & Diabolo iniquiſſimè inſtigante, ſæviiſſe tribus annis, ac dimidio.

Prima quidem Neronis perſecutio totidem annis graſſata eſt, ſicuti ex iis, quæ à Cardinale Baronio ſcripta ſunt, infero.

Baron. an. Chr. 66. à n. 1. ad x. Tacitus l. 15. Etenim decimo Imperii Neroniani anno, & decimo quarto Calendas ſextiles, ſeu die decimo octavo Julii, contigit urbis Romæ incendium, propter quod Chriſtiani calumniam paſſi variis cruciatuum generibus ſunt interempti.

Baron. an. Chr. 67. n. 1. Anno autem ſequenti, qui fuit Neronis undecimus, *perſecutio in Chriſtianos*, inquit Baronius, *à Nerone occaſione incendii ſemel excitata, datis ab ipſo edictis, magìs ac magìs in eos ſaviit; perduravitque uſque ad Apoſtolorum cædem.*

Baron. an. Chr. 69. *Petrus* autem, *& Paulus glorioſum ſubiere martyrium tertio Kalendas Julii, anno decimo tertio Neronis.*

N. XLIV. Verùm, *tantùm abfuit, ut necatis Apoſtolis, excitata ſemel à Nerone in Chriſtianos perſecutio extincta fuerit, ut potiùs vehementioribus flammis exarſerit; & impetu graviori revixerit. Nam in eos in primis, qui ſibi familiariùs*
N. XLV. *adhæſiſſent, rabies Imperatoris inceditur; ſimulque gladius perſecutionis exeritur. Nec Romæ tantùm, & locis juxta urbem poſitis, ſed & in aliis civitatibus, atque provinciis, ſub eodem Nerone paſſi Martyres reperiuntur. Is*
N. XLVII. tamen poſteà *quievit à Chriſtianorum perſecutione*; nec quicquam de eâ refertur anno decimo quarto, & ultimo Neronis.

Hæc ex Baronio deprompta probant perſecutionem Neronianam à menſe Auguſto anni decimi inceptam, & perductam ſub finem anni decimi tertii, duraſſe circiter tribus annis, ac ſemiſſe.

Tantùndem temporis perſtitiſſe Domitianam perſecutionem colligo ex eodem Eminentiſſimo Cardinali, quæ ſequuntur referente.

Baron. an. Chr. 92. N. I, II. *Ioannes ad Domitianum, anno nono Imperii ejus, reus impietatis à Proconſule Aſiæ Romam vinctus perducitur; ibique menſe Maio in oleum ignitum demerſus, & nihil paſſus, poſteà in inſulam relegatur.*

An. 93. n. I. *Decimo autem anno illius Imperatoris, Cletus Romanus Pontifex, martyrio coronatur vigeſimâ ſextâ Aprilis.*

An. 94. n. I. *Anno undecimo Glabrionem virum Conſularem, & Chriſtianum perſecutio è medio ſuſtulit.*

Annis verò duodecimo, decimo tertio, & decimo quarto, nil peculiare de perſecutione.

An. 98. n. I. Sed *anno decimo quinto, Flavius Clemens Conſularis, quòd Chriſtianam*
N. II. *Religionem amplexus eſſet, ab eodem Domitiano juſſus eſt occidi; & Flavia Domitilla, ex ſorore Flavii Clementis prognata, cum aliis pleriſque ob Chriſti teſtimonium in inſulam Pontiam, ſupplicii, & mulctæ causâ extruſa eſt.*

N. IX. Poſtmodùm autem Domitianus eodem anno *occiditur decimo quarto Kalendas Octobris.*

Iſta

Iſta Baronius, ex quibus facile eſt adnotare circiter tres annos, & dimidium perſecutionis Domitiani, cùm inceperit anno illius Imperii nono; ſævieritque anno decimo, & undecimo; & quieſcens tribus ſequentibus annis, excitata ſit rursùs anno decimo quinto; ac eodem anno prorsùs extincta fuerit cum Domitiano menſe Septembri.

Quod verò ſpectat ad Trajanum, Baronius ad annum quintum ejuſdem Imperatoris, ex epiſtolâ celeberrimâ Plinii Secundi ad eumdem Principem, probat *ante triennium per Trajanum excitatam eſſe adversùs Chriſtianos perſecutionem.* Cùm autem ex reſponſo Trajani ad Plinium eodem anno, *Non conquirendos eſſe Chriſtianos*, Euſebius aſſerat *fervorem perſecutionis acerba in nos intentata quodammodò extinctum fuiſſe, ita ut palàm, & apertè Chriſtianos non perſequerentur*, colligere eſt illam perſecutionem Trajani circiter tres annos, & dimidium graſſatam.

Baron. an. Chr. 104. N. I. II. III. IV. VII. Plin. ep. 97. Euſeb. hiſt. l. 3. c. 27.

Perſecutio etiam à Decio incœpta, & à Gallo continuata duravit circiter tribus annis, ac ſemiſſe, cùm neuter illorum Imperatorum, teſte Euſebio, duobus annis integris regnaverit.

Euſeb. hiſt. l. 7. c. 1. 9.

Tandem, ut alias perſecutiones hîc prætermittam, *poſt Gallum Valerianus ſuſcepit principatum, de quo Dionyſius Alexandrinus hoc modo refert: Sed & Ioanni ſimiliter revelatum eſt, ut diceret, & datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias; & data eſt ei poteſtas per menſes quadraginta duos: utraque autem complentur in Valeriano.*

Euſeb. hiſt. l. 7. c. 9.

Undè liquet Valerianum quoque perſecutum Chriſtianos menſibus quadraginta duobus, ſeu tribus annis, ac dimidio.

Verſ. 6. *Et aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus.*

Imperatores illi Ethnici, Chriſtianorumve perſecutores, belluâ triformi, atque horrendâ ſignificati, toties evomuerunt ex ore ſuo impuriſſimo blaſphemias in Deum ſummè bonum, Patrem omnipotentem, Filium ejus unigenitum, & Spiritum Sanctum, unum Deum verum, Creatorem omnium, quoties plures Deos inanes, creaturas etiam inanimatas, homines quoque nequam, filios iniquitatis, ſpiritus immundos, ac nefarios exorarunt; iiſque Divinitatem tam cæcâ, quàm impiâ mente tribuerunt. Alias illorum in Deum, & Chriſtum blaſphemias religioſo ſilentio prætermitto.

Ex ℣. 6. *Et tabernaculum ejus.*

Eccleſiam quoque Dei, & Chriſtianam Religionem maledictis laceſſerunt; eamque, licèt ſanctitati tota ſit addicta, virtuteſque omnes exerceat, tanquam ſacrilegam, & pernicioſam execrati ſunt.

Ex ℣. 6. *Et eos, qui in Cœlo habitant.*

Sanctos etiam, qui pietate ſuâ, & patientiâ cœleſtem gloriam ſunt conſecuti, & æternâ felicitate perfruuntur, inſanos, infames, ac miſeros dixerunt, quòd pro Deo, & Chriſto inglorium vitæ genus, & mortem peracerbam, honoribus, ac voluptatibus præpoſuerint.

Verſ.7. *Et eſt datum illi bellum facere cum Sanctis.*

Non ſatis fuit Imperatoribus illis Ethnicis, Deum, Eccleſiam, & beatos blaſphemare; in Chriſtianos, morum ſanctitate conſpicuos, quòd deorum inanium impio cultui adverſarentur, hoſtiliter ſævierunt.

Ex ℣.7. *Et vincere eos.*

Ex innocuis autem Dei, ac Chriſti cultoribus plurimos occiderunt; ac ſic *vicerunt*, cùm ſoleant hoſtes multorum ſibi adverſantium cæde victoriam reportare. Quamobrem ipſemet Joannes alio loco ait, *beſtia faciet adverſum eos bellum, & vincet illos, & occidet illos.* Apoc. 11. v. 7.

Quamplurimi quidem Chriſtiani, tametſi corpore à perſecutoribus attriti, animo ſemper fuere invicti; & quoſvis cruciatus magnâ in Deum fide, & charitate ſuperarunt.

Nihilominùs aliqui, quod lugendum eſt, diriſſimis doloribus cedentes, ſubacti ſunt, & in impietatem miſerè prolapſi.

Lactant. Inſtit. l. 5. c. 11. Quâ de re Lactantius: *Dici, inquit, non poteſt, hujuſmodi judices, quanta, & quàm gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum propoſiti ſui pervenirent. Hæc autem faciunt invidiæ causâ, nè aut ipſi vincantur; aut Chriſtiani virtutis ſuæ gloriam conſequantur. Itaque in excogitandis pœnarum generibus nihil aliud, quàm victoriam cogitant: Sciunt enim certamen eſſe illud, & pugnam. Vidi ego in Bithyniâ Præſidem gaudio mirabiliter elatum, tanquam barbarorum gentem aliquam ſubegiſſet, quod unus qui per biennium magnâ virtute reſtiterat, poſtremò cedere viſus eſt.*

Ex ℣. 7. *Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.*

Eò majorem numerum Chriſtianorum conſtanter in fide, ac pietate perſeverantium occiderunt; atque etiam eò plures alios animo deficientes impietati ſuæ devinxerunt Imperatores illi Ethnici, quò majori poteſtate pollebant, cùm quibuſvis populis, & nationibus, ac toti propemodùm orbi dominarentur.

Verſ.8. *Et adoraverunt eam omnes.*

Dæmonibus ſe ſubdiderunt, quotquot à Deo uno, ac vero ſunt averſi. Quin etiam Imperatorum Ethnicorum ſuperſtitioni, Chriſtianæ Religionis perſecutrici, ſeſe manciparunt quicumque à Chriſto Domino defecere. Quod magìs eſt, illi apoſtatæ ipſoſmet Imperatores impios, Diabolicâ ſuperbiâ elatos, vel vivos, vel mortuos adoraverunt ut Deos: Tales enim, dùm ii Imperatores viverent ſeſe dicebant; aut poſt mortem honor, uni Deo debitus, ipſis fuit cæcâ impietate delatus.

Tacit. l. 15. in fine. Hinc Tacitus de primo Chriſtianorum perſecutore inquit, *Reperio in commentariis Senatus, Cerialem Anicium Conſulem deſignatum, pro ſententiâ dixiſſe, ut templum divo Neroni quàm maturrimè publicâ pecuniâ poneretur. Quod quidem ille decernebat, tanquàm mortale faſtigium egreſſo, & venerationem hominum merito; quod ad omina olim ſui exitus verteretur. Nam Deûm honor Principi antè non habetur, quàm agere inter homines deſierit.*

Attame

Attamen ex Suetonio Domitianus, *cum procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic cœpit: Dominus, & Deus noſter ſic fieri jubet; undè inſtitutum poſthac, ut nè ſcripto quidem, ac ſermone cujuſquam appellaretur aliter.* Sueton. in Domitiano.

Trajanus etiam, ex Eutropio, *per orbem terrarum Deo proximus, nihil non venerationis meruit, & vivus, & mortuus.* Poſt mortem enim, ex eodem Authore, *inter Divos relatus eſt*; & jam antè retulimus ex Plinio, ſimilem ejus imagini, ac deorum ſimulacris honorem redditum, non à gentilibus tantùm, ſed & à pſeudo-Chriſtianis. Eutrop. l. 8.

Ex verſ. 8. *Qui inhabitant terram.*

Qui terram incolentes, terrenis affectu pravo inhæſerunt; terrena ſapuerunt; terrena quæſierunt; terrena Cœleſtibus præpoſuerunt. Quapropter Cyprianus de lapſis, *Decipit multos patrimonii ſui amor cæcus; nec ad recedendum parati, aut expediti eſſe potuerunt, quos facultates ſuæ velut compedes ligaverunt, ut ſerpenti terram, ſecundùm Dei ſententiam, devoranti præda, & cibus fierent, qui terreſtribus inhærerent. Si divites theſaurum in Cœlo reponerent, per divitias non perirent; nec vinci à ſæculo poſſet, qui undè vinceretur in ſæculo non haberet. Sequi autem Chriſtum quomodò poſſunt, qui patrimonii vinculo detinentur? aut quomodò Cœlum petunt, qui terrenis cupiditatibus degravantur?* S. Cyprian. de lapſis.

Ex verſ. 8. *Quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni.*

Qui credit in Filium, inquit Joannes Baptiſta, *habet vitam æternam; qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam; ſed ira Dei manet ſuper eum.* Itaque Ethnici, qui Chriſti illis annuntiati fidem ſuſcipere noluerunt; & Chriſtiani, qui ſuſceptam è mentibus ſuis penitùs ejecerunt, expertes ſunt vitæ, quam Chriſtus tùm credentibus in ipſum, tùm in fide illius perſeverantibus promiſit, cùm dixit: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*; quamve nobis promeruit moriens ut *Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Joan. 3. v. 36. Joan. 10. v. 10. Iſai. 53. v. 7. Joan. 1. v. 29.

Ex verſ. 8. *Qui occiſus eſt ab origine mundi.*

Non quidem re ipsâ, ſed voluntate: Quippe Chriſtus dumtaxat *ſub Pontio Pilato paſſus, crucifixus, & mortuus* eſt, uti docemur ex Symbolo Apoſtolorum. Sed ubi primus homo ſexto die creationis mundi productus peccavit; ejuſque peccati virus lethale diffundendum fuit in poſteros; Filius Dei ſummè Sanctus, juxtà ac bonus, conſenſit fieri homo, & mortem ſubire, ut proprio cruore peccata hominum elueret; & credentibus in ſeſe vitam gratiâ ſuâ conferret: *ſicut* enim *Moyſes*, inquit ipſemet Chriſtus, *exaltavit ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Joan. 3. v. 14. 15.

Quamobrem, qui oblatum ſibi fidei donum reſpuunt, vel ſemel admiſſum rejiciunt, extorres ſunt vitæ illius ſpiritualis, & Divinæ, quam Chriſtus Dominus, Agnus Dei, ac Salvator Fidelibus impertitur.

Impietatis igitur incredulorum, & apoſtatarum adorantium Dæmones, atque Imperatores Ethnicos tanquam Deos, pœna *eſt*, quòd *non ſunt ſcripti in libro vitæ Agni*, quatenùs non cenſentur inter eos, qui ſecundùm Deum vivunt, & fidem Chriſto Domino illibatam ſervant. Quin potiùs juſto Dei, & Chriſti judicio perpetuis flammis ſunt excruciandi, quemadmodum Joannes ex Angelo refert Apocalypſis capite decimo quarto; *Si quis adoraverit beſtiam; & hic bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne ante conſpectum Agni, & fumus tormentorum aſcendet in ſæcula ſæculorum.*

Apoc. 14. v. 9. 10. 11.

Verſ. 9. *Si quis habet aurem, audiat.*

Qui habet animum docilem Dei, & ſpiritualium capacem, mente percipiat, quæ de Imperatoribus Romanorum Ethnicis, Chriſtianorumve perſecutoribus atrociſſimis dicta ſunt ſub immanis belluæ figurâ; attendatque quantam pœnam ſubituri ſint, qui tàm horrendam, atque execrandam feram adoraverint. Quiſquis ſapiens fuerit, & intellexerit hæc, Deum unum dumtaxat adoret; &, cùm opus fuerit, pro Chriſti Salvatoris, in quem credit, honore mortem quamcumque, quæ ei futura eſt æternæ vitæ, & perennis felicitatis origo, libenter ſuſcipiat.

Verſ. 10. *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet: Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.*

Nè verò Imperatores illi Ethnici, ac Chriſtianorum perſecutores, impietate ſuâ obcæcati, arbitrentur debitas ſcelerum ſuorum pœnas effugere ſe poſſe, quandiù Dæmonum cultui erunt obſtricti; & ſacros Dei cultores perſequentur. Exulabunt à Paradiſo, qui Sanctos exiliis injuſtis mulctarunt. Cruciabuntur tanquam ſervi Diaboli in Inferno, qui ſervos Chriſti vexarunt in terrâ; & mortem ſempiternam perpetientur, qui temporalem plurimis innocuis intulerunt.

Interim, aliquando nonnullus ex illis Imperatoribus impiis, qui poteſtate ſuâ abutens, Chriſtianos ſanctè viventes, velut captivos, aut ſervos malè moratos, in vincula conjecerit, ipſe in compedes tanquam vile mancipium, ac peſſimum conjicietur.

Qui autem gladio, ſeu quovis violentæ mortis genere occiderit, oportet eum aliquotiès perimi; ita ut hæc dudùm à Deo pronunciata ſententia, *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus eſt homo*, juſtè in illum nefarium Imperatorem homicidam, ac quodammodo Deicidam, exeratur.

Gen. 9. v. 6.

Ita certè Nero, & Domitianus, qui ſuis perſecutionibus multos Chriſtianos occiderant, ipſi etiam occiſi ſunt. Decius quoque, necnon Gallus, & Voluſianus, Chriſtianorum perſecutores, interfecti ſunt.

Eutrop. l. 9.

Valerianus autem, poſtquàm ſævi it in Chriſtianos, teſte Aurelio Victore, *in Meſopotamiâ bellum gerens, à Sapore Perſarum Rege mox etiam captus, apud Parthos ignobili ſervitute conſenuit; nam quandiù vixit, Rex ejuſdem Provinciæ incurvato eo pedem cervicibus ejus imponens equum aſcendere ſolitus erat*; ac tandem, referente Conſtantino Magno apud

Aurel. Victor.

apud Euſebium, *juſſus eſt* ab eodem *Rege Perſarum excoriari, ſaleque condiri.* Euſeb or. ad. Sanct. Cœtum. c. 24.

At Deus illis iſtorum Imperatorum pœnis oſtendit, quid alii ejuſdem impietatis rei mererentur. Sed poſtremò illi omnes, ex verbis Apocalypſis ſuo loco explicandis, *miſſi ſunt in ſtagnum ignis ardentis ſulphure*, ut qui plurimos Chriſtianos inſontes igni condemnaverant, igne æterno cum Dæmonibus, quorum nequitiæ, & furori obſecuti ſunt, comburantur. Apoc. 19. v. 20.

Illa eſt hactenùs à nobis explanata Imperatorum Ethnicorum, qui Chriſtianos perſecuti ſunt, impietas, & pœna.

Verùm iis in perſecutionibus mirum in modum eluxit fides, ac patientia Martyrum, Confeſſorum, cæterorumque Sanctorum Dei, & Chriſti Domini cultorum: undè ſubjungit Joannes,

Ex verſ. 10. *Hic eſt patientia, & fides Sanctorum.*

EXPLANATIO LII.

Octo ultimorum verſuum Capitis decimi tertii Apocalypſis, de Diocletiano Maximianum Herculium collegam ſibi aſciſcente; necnon poſteà ultrò deferente Imperium creato antè à ſe Cæſari Galerio Maximiano, qui & ipſe Cæſarem, & conſortem Imperii Maximinum habuit, cùm adhuc Diocletianus viveret.

VERS. 11. Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terrâ; & habebat cornua duo ſimilia Agni, & loquebatur ſicut draco.

℣. 12. Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu ejus; & fecit terram, & habitantes in eâ adorare beſtiam primam, cujus curata eſt plaga mortis.

℣. 13. Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de Cœlo deſcendere in terrã in conſpectu hominũ.

℣. 14. Et ſeduxit habitantes in terrâ propter ſigna, quæ data

data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ, dicens habitantibus in terrâ, ut faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit.

℣. 15. Et datum eſt illi, ut daret ſpiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ; & faciat, ut quicumque non adoraverint imaginem beſtiæ, occidantur.

℣. 16. Et faciet omnes, puſillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & ſervos habere characterem in dexterâ manu ſuâ, aut in frontibus ſuis.

℣. 17. Et nè quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus.

℣. 18. Hîc ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ: numerus enim hominis eſt; & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.

Verſ. 11. *Et vidi aliam beſtiam aſcendentem de terrâ, & habebat cornua duo.*

QUAMVIS futurum ſit verſuum hujus capitis ſuperſtitum explanatione perſpicuum, beſtiâ illâ bicorni intelligendum eſſe Diocletianum cum Maximiano Herculio collegâ, necnon Galerium Maximianum, & Maximinum, Diocletiani, cùm adhuc viveret, in Imperio à ſe abdicato, ſucceſſores; illique duo Imperatores congeminati comprehendantur decem cornibus beſtiæ præcedentis, ſicuti patebit ex iis, quæ Apocalypſis Capite decimo ſeptimo expoſiturus ſum: tamen præter illam generalem, ac ſummariam, in decem beſtiæ cornibus, decem Imperatorum Ethnicorum, Chriſtianæ Religionis perſecutorum, comprehenſionem, aliquid ſpeciale monſtratum eſt Joanni de duobus illis Imperatoribus Diocletiano Jovio, & Maximiano Herculio: Quippe qui Chriſtianam Religionem non vexare tantùm, & imminuere, quemadmodùm alii Imperatores, ſed & abolere ſibi propoſuerint; ac re ipsâ ita in illam ſævierunt, ut eam Gentiles aliquando putaverint prorsùs deletam.

Baron. an. Chr. 301. n. XIII. XVI. XVIII.

Indè hæ inſcriptiones à Baronio relatæ, Cluniæ in Hiſpaniâ in nobili Columnâ.

Baron. an. Chr. 304. n. VIII.

DIOCLET

Digitized by Google

DIOCLETIAN. JOVIUS, MAXIMI, HERCULEUS CÆSS. AUGG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCID. IMPER. ROM. ET NOMINE CHRISTIANOR. DELETO, QUI REMP. EVERTEBANT.

DIOCLETIAN. CÆS. AUG. GALLERIO IN ORIENTE ADOPT. SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQ. DELETA, CULTU DEORUM PROPAGATO.

Ex verſ. 11. *Aliam beſtiam aſcendentem.*

Prima quidem beſtia viſa eſt aſcendere de mari, propter rationes tùm à me relatas; hæc autem ſecunda beſtia videtur aſcendere de terrâ, proptereà quod homines orti ex infimo loco, & ad dignitates ſublimes evecti, dicantur prodiiſſe è terrâ, & in altum aſcendiſſe: undè & Scriptura Sacra, *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia* Pſ. 112.
reſpicit in Cœlo, & in terrâ, ſuſcitans à terrâ inopem, & de ſtercore eri- v. 5. 6. 7. 8.
gens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui?

At ex Eutropio, *Victor exercitus Diocletianum Imperatorem creavit* Eutrop. l. 9.
Dalmatiâ oriundum, virum obſcuriſſimè natum; adeò ut à pleriſque ſcribæ Pompon.
filius, à nonnullis Anullini Senatoris libertinus fuiſſe credatur; & ut ait Lætus.
Pomponius, *utroque parente ignobili, & obſcuro*; necnon juxta Aure- Aurel.
lium Victorem, *matre pariter, atque oppido, nomine Diocleâ, quorum* Victor in Diocler.
vocabulis, donec Imperium ſumeret, Diocles appellatus.

Maximianus autem, *cognomento Herculius*, teſte eodem Aurelio Vi- Aurel. Vi-
ctore, *erat ortu agreſti, Pannonioque: nam etiam nunc*, inquit, *haud longè* ctor in Maxim.
Sirmio, eminet locus, palatio ibi constructo, ubi parentes exercebant opera Herculio.
mercenaria.

Galerius verò, uti refert idem Aurelius Victor, *ortus eſt parentibus* Aurel. Vi-
agrariis, paſtor armentorum: undè ei cognomen Armentarius fuit. ctor in Galer. Arment.

Maximinus etiam *ſorore Galerii Armentarii progenitus, fuit ortu, &* Aurel. Vi-
inſtituto paſtorali, inquit idem Aurelius Victor. ctor in Maximino.

Illi igitur bis gemini Imperatores, Diocletianus, & Maximianus Herculius, atque Galerius Maximianus, & Maximinus, non abs re dicti ſunt à Joanne *aſcendiſſe de terrâ*, cùm ex infimo, ignobili, & obſcuro parente, & loco ſint orti.

Illi etiam bis congeminati Imperatores ſub unius *beſtiæ*, quæ impietatem Ethnicam, Chriſtianæ Religionis perſecutricem indicat, figurâ
deſignantur, quòd unam, & eamdem adversùs Chriſtianos, de illorum Euſeb.
Eccleſiis ubique ſubvertendis, perſecutionem à Diocletiano, decimo- hiſt. l. 8.
nono Imperii ſui anno inceptam, & à Maximiano Herculio haud dubiè c. 3.
ratam, ac fotam, Galerius Maximianus, & Maximinus ad decem an- Euſeb.
nos perduxerunt, quamvis Diocletianus, & Herculius Imperium abdi- hiſt. l. 8.
caſſent. c. 27.

Ex verſ. 11. *Et habebat cornua duo.*

Impietas illa Ethnica, in Chriſtianos ſæviens, corroborabatur duobus Imperatoribus, quos ex antè relatâ Joannis interpretatione cornua duo ſignificant. Primùm quidem ſicuti bellua duobus cornibus ſimul in adverſantia ſibi irruit; ita Diocletianus, & Maximianus Herculius conjunctas Imperii ſui vires adversùs Chriſtianam Religionem exercuerunt tanto conſenſu, ut de illis Pomponius Lætus ſcripſerit, *tantam fuiſſe in gubernandâ Republica inter Principes concordiam, ut alter alteri numquam repugnaverit.*

Pompon. Lætus de Dioclet.

Poſtquàm verò Diocletianus, & Herculius *ad privatam quamdam vitæ rationem ſe tranſtulerunt, Galerius Maximianus Cæſar, qui ſuis ipſius viribus, ac manu Imperium occupaverat, perſpicua odii, & impietatis erga Deum indicia omnibus commonſtrans, perſecutionem magis generalem, quam ſuperiores Imperatores contra nos inſtituit*, uti refert Euſebius.

Euſeb. hiſt. l. 8. c. 3. 4. ac deinceps.

Maximinus quoque, qui, ex Aurelio Victore, *Cæſar quadriennio, dehinc per Orientem Auguſtus triennio fuit*, ſeu, ut loquitur Euſebius, *in Oriente tyrannidem exercens, ſceleſtiſſimus, maximèque impius, (ſi quiſquam alius) & pietatis in Deum hoſtis acerrimus* extitit.

Aurel. Victor de Maximino. Euſeb. hiſt. l. 9. c. 1.

Ex verſ. 11. *Similia Agni.*

Mirum ſanè, quòd præfatæ beſtiæ *duo cornua* videantur *ſimilia Agni*; & tamen bellua illa bicornis, ſicuti ſtatim dicitur à Joanne, *loquebatur ut draco.* Quænam ſimilitudo ferociſſimæ belluæ cum agno manſueto? Quænam convenientia duorum Imperatorum cum Chriſto, cui quàm maximè adverſantur? Commovet illos diabolus contra Chriſti cultores: *Quæ autem conventio Chriſti ad Belial?* Diabolus tamen nonnumquam eſt æmulus Chriſti; ac illius quandam imitationem fingit, ut faciliùs animas decipiat ſub eâ ſpecie. Undè Paulus, *Ipſe ſatanas transfigurat ſe in Angelum lucis: non eſt ergo magnum, ſi miniſtri ejus transfigurentur veluti miniſtri juſtitiæ.* Nonne & ipſe Chriſtus præmonuit, *attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium; intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* Cùm igitur rabidi lupi queant pelles ovinas induere, hoc eſt, feri animarum ſeductores, ac interemptores, blandam ſpeciem manſuetudinis præ ſe ferre; non eſt incredibile duos Imperatores, in Religionem Chriſto Domino addictam ſævos, ac belluâ ferociſſimâ ſignificatos, tandem aliquando ambiiſſe moderatam quandam, & tenuem vitæ rationem, quæ ad modeſtiam, & humilitatem Chriſti, Agni Dei, mitis, & humilis corde, videretur accedere.

2. ad Cor. 6. v. 15. 2. ad Cor. 11. v. 14. 15. Matth. 7. v. 15.

Sic, inquit Euſebius, *cùm* Diocletianus, & Herculius *non integro biennio poſt perſecutionis* anteà commemoratæ *initium regnaſſent, ſe abdicarunt Imperio; atque reliquum vitæ ſuæ tempus plebeio, & privato quodam vivendi genere degerunt.*

Euſeb. hiſt. l. 8. c. 29.

Igitur eodem die, nam ita convenerant, Iovius Nicomediæ, Herculius Mediolani, ex Pomponio Læto, *rem monimentis Romanorum incognitam, & nepotibus non minùs dignam memoratu, quàm admirabilem peregerunt.*

Pompon. Lætus de Dioclet. tit. de Nece ſ. Deâ.

gerunt. In quo Iovii animus veram Philoſophiam eſt imitatus, affirmans tunc illuxiſſe diem, & habuiſſe vitæ principium, quòd magnis moleſtiis eſſet liberatus. Stimulis etiam collegæ, ut Imperium unà repeterent, contradixit; differuitque ſe peſte liberatum, nolle ampliùs venena imbibere; ſatis ſe pro Republicâ elaboraſſe; & tempus appetiiſſe, ut ſibi vivat: non eſſe turpe homini, qui ſummum bonum in animo poſuerit, honeſtam profiteri paupertatem; exemploque veterum, & præſertim Caii Fabritii, caſtam opinionem confirmabat.

Hæc Pomponius; in quibus, quantùm fas eſt eloqui, ut explicentur *duo cornua ſimilia Agni*, hoc eſt, duo Imperatores Ethnici ſpecie tenus ſimiles Chriſto, videre eſt quandam ſimilitudinem eorum cum Chriſto, qui cùm eſſet *omnium Dominus*, *formam ſervi accepit*; *cùm eſſet dives, factus eſt egenus*; quæſitus ad Regnum percipiendum, fugit; & ad mortem uſque dixit, *Regnum* ſuum *non eſſe de hoc mundo.* Act. 10. v. 36. ad Philip. 2. v. 7.

Animadvertere etiam eſt in Galerio Maximiano, & in Maximino quandam cum Chriſto veluti Agno ſpeciem ſimilitudinis, non quidem illorum innocentiâ, & ſimplicitate, à quâ longè aberant; ſed tandem aliquandò, poſt ſævas eorum perſecutiones, benignitate edictorum, quæ in gratiam Chriſtianorum, quos ipſe Chriſtus fovet, ac protegit, promulgarunt. 1. ad Cor. 8. v. 9. Joan. 6. v. 15. C. 18. v. 36.

Etenim ex Euſebio, *cùm Divina, & cæleſtis gratia clementem ſuum, & propitium obtutum in nos oſtendere dignata eſſet, tùm Imperatores noſtri temporis*, nempe Galerius Maximianus, & Maximinus, *per quos jam dudùm perſecutionis tempeſtates in nos excitatæ fuiſſent, ſententiâ ſuâ, tanquàm miraculo quodam divino commutatâ, palinodiam, ut aiunt, cecinerunt; & benignis edictis, atque decretis humaniſſimis de nobis promulgatis, perſecutionis ardorem in primis efferveſcentem prorsùs extinxerunt.* Euſeb. hiſt. l. 8. c. 28. 29.

Etenim Galerius Maximianus, *ſuis ad ſe accerſitis, perſecutionem contra Chriſtianos ſine dilatione ſedare, & comprimere jubet; lege, & decreto Imperatorio ipſos Chriſtianos templa ſua exædificare; conſueta officia in illis facere; preces pro Imperii ſtatu fundere.*

Maximinus quoque, *acceptis literis, quibus hæc retractatio continebatur, Magiſtratibus ei obſequentibus mandat, ut perſecutionem contra nos concitatam relaxent: undè tàm hos, quos carceribus concluſos propter fidei in Deum profeſſionem tenebant, quàm illos, quos cruciatus cauſâ ad metalla condemnaverant, in apertum educentes, liberos dimiſerunt.* Euſeb. hiſt. l. 9. c. 1.

Quin etiam ille ipſe Maximinus, poſteà mortuo Galerio Maximiano, *edictum divulgavit, quo libera fuit poteſtas illis, qui Religionem* Chriſtianam *ſequi voluerint, eam pro arbitratu ſanctè, ut eorum mos fert, & anguſtè excolendi, atque ut Dominica, & ſacras ædes reficiant; & ſi quæ ædes, aut agri, Chriſtianorum juris antehac extiterint, qui in jus fiſci relati ſunt, ſive ex aliquâ Civitate occupati, ſive abalienati per venditionem, ſive pro munere alicui donati, hi omnes ad antiquum Chriſtianorum jus reſtituantur.* Euſeb. hiſt. l. 9. c. 8.

Quid juſtius; & magìs in gratiam Chriſtianorum? ideòque quis non videat iis in Imperatoribus Galerio, & Maximino edicta iſta proferentibus, aliquam ſimilitudinem cum Chriſto, cultoribus ſuis benigno, & manſueto, velut agno?

Attamen eorumdem Imperatorum impietas etiam tunc aliis verbis ſeſe prodebat.

Ex verſ. 11. *Et loquebatur ut draco.*

Baron. an. Chr. 304. n. VII. Diocletianus quidem, & Maximianus Herculius, uti Baronius ex actis Mennæ, & Sociorum Martyrum refert, *poſtquàm magnum ad hoc adhibuere ſtudium, ut Chriſtianam Religionem convellerent, quandò cognoverant ſe ea aggredi, quæ non poſſent fieri, uterque eorum depoſuit Imperium; apud alios quidem, prætexentes fortunæ ſatietatem, & amorem mutationis; iis autem, quibus poterant animum aperire, dicentes Chriſti virtutem, & quæ ex ſignis proficiſcebatur, perſuaſionem; & quòd, cùm hoc non potuiſſent efficere, nec imperare quidem volebant.*

Zonar. Annal. t. 2. Imperio Dioclet. Ita quoque apud Zonaram, *quia nec Chriſtianos ſuperare, nec præconium Chriſtiani nominis extinguere poſſent, ſe nec Imperio velle frui.*

Undè patet illos Imperatores, etiam cùm Imperium depoſuere, & modeſtiam quandam, & humilitatem nonnihil ſimilem Chriſto videbantur præ ſe ferre, locutos fuiſſe inſtinctu diaboli. Quid enim vellet diabolus, niſi Chriſtianam Religionem abolere? Cogitur tamen manifeſtâ Chriſti Domini virtute fateri, ſe id neqnaquam poſſe, quamvìs nihil non per ſeſe, ac per miniſtros ſuos moveat.

Galerius Maximianus quoque, & Maximinus, dùm Divinâ poteſtate, quam experiebantur, compulſi ſunt in gratiam Chriſtianorum edicta ſancire, voces impias in Deum, in Chriſtum, ejuſque Religionem blaſphemas protulerunt.

Euſeb. hiſt. l. 8. c. 24. Hæc enim ſunt ab Euſebio relata Galerii Maximiani in ſuo Edicto verba. *Volebamus jam anteà curam haberi, ut Chriſtiani, qui Majorum ſuorum ſectam, & religionem deſeruiſſent, ad rectam ejuſdem inſtitutionem reverterentur. Verùm, quoniam illi tantâ animi inſolentiâ inflati ſunt, tantâque elati arrogantiâ, ut quæ erant à veteribus decreta, nullo modo ſequerentur, undè complures varia mortis genera ſuſtinuerunt; nos idcirco ad manſuetudinem noſtram, & diuturnam clementiæ noſtræ conſuetudinem, quâ omnibus hominibus veniam impartire ſolebamus, oculos convertentes, libentiſſimè iſtud conceſſimus, ut homines denuò ſe liberè Chriſtianos profiteantur; ut ædes, in quibus convenire ſolent, reſarciant.*

Ultimis quidem verbis Galerius erga Chriſtianos manſuetudinem agni finxit; ſed anteà *locutus eſt ut draco:* Quippe qui diabolicam, ut Chriſtiani ad cultum Deorum inanium adigerentur, voluntatem ſuam teſtatus ſit; eumdemque cultum impium vocaverit *rectam inſtitutionem.*

Arguit præterea Chriſtianos, tanquam *animi inſolentiâ inflatos, & elatos arrogantiâ*, quòd non alium, præter unum Deum, adorarent; & pro illius gloriâ quodvis *mortis genus ſuſtinerent.* Denique, dùm iniquam adversùs

Digitized by Google

adversùs illos perſecutionem juſtè reprimit, aſſerit ſe *veniam* illis *clementer impertiri*; quaſi peccaſſent, cùm in fide, & pietate perſeverarent.

Teſte etiam Euſebio, *Maximinus Magiſtratibus ei obſequentibus mandat ut perſecutionem contra nos concitatam relaxent; ac Sabinus, qui ſummus provinciarum Præfectus, & maximo in honore apud Imperatores fuit, Maximini voluntatem provinciarum Præſidibus ſcripſit ad hunc modum. Divina Imperatorum, Dominorum noſtrorum Sanctiſſimorum, Majeſtas incredibili, ac ſingulari ſtudio inflammata, omnium hominum mentes ad ſanctam, rectàmque vivendi viam traducere jam pridem decreverat, quò hi, qui Religionis inſtitutionem à Romanorum more alienam ſequi videbantur, deinceps juſtos, debitoſque cultus Diis immortalibus impertirent. Verùm quorumdam pertinacia, & perverſa voluntas eò temeritatis proceſſit, ut neque rectâ mandati præſcriptione à proprio inſtituto recedere voluerint; neque ſupplicium ipſis inflictum eos ullâ ex parte potuerit perterrere.* Euſeb. hiſt. l. 9. c. 1.

Prætereo alia ejuſdem epiſtolæ verba, cùm iſtis ſatis ſuperque pateat impietatem Ethnicam, Diabolico ſpiritu locutam, etiam cùm divinâ virtute coacta eſt perſecutionem, quam adversùs Chriſtianos excitarat, compeſcere.

Idem Maximinus Imperator eidem Sabino poſtmodùm ſcribens, iterùm protulit verba impia, tanquàm Dæmonis ore prodeuntia, etiam dùm lenitatem erga Chriſtianos viſus eſt teſtari. *Licèt*, inquit, *tua æquitati ante hoc tempus à me per literas ſignificatum ſit, perque mandata ſimiliter imperatum, ut judices contra provinciales, qui Chriſtianam gentem apud ſe retinere, & incolumes ſervare nituntur, nihil acriter, & acerbè ſtatuant, ſed toleranter, & placidè eos ferant; tamen nè ab aliis quibuſcumque contumelias, injurias, aut moleſtas perturbationes pati cogantur, his etiam literis tuam animi magnitudinem, & gravitatem admonere conſentaneum putavi, ut leni potiùs ſermone, & cohortatione benignâ, noſtros provinciales ad Deorum curam, & Religionem agnoſcendam impellas. Vndè ſi quis ſuâ quâdam animi inductione deorum cultum agnoſcendum exiſtimet, hunc libenter admittere convenit: Sin nonnulli ſuam propriam Religionem ſequi velint, eorum arbitrio, & poteſtati liberum relinquas.* Euſeb. hiſt. l. 9. c. 8.

Hæc Maximinus tanquam organum Diaboli magnâ parte locutus.

Verſ. 12. *Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat.*

Imperatores illi, Diocletianus, & Maximianus Herculius, necnon Galerius Maximianus, & Maximinus, omnem vim ſuam, & potentiam adversùs Chriſtianos toto orbe diffuſos exerebant, quemadmodùm præceſſores Imperatores, primâ beſtiâ ſignificati, poteſtatem ſibi in omnes populos traditam, Sanctis Chriſti cultoribus expugnandis, occidendis, ac vincendis impendebant, ſicuti expoſui, cùm verſum ſeptimum hujuſce capitis interpretarer.

Ex ✠. 12. *In conſpectu ejus.*

Id eſt, *in conſpectu beſtiæ*, ut fert verſus decimus quartus, quem paulò poſt explanabo. Siquidem Imperatores illi, de quibus nunc agitur, Chri-

Digitized by Google

ſtianos perſequebantur *in conſpectu prioris beſtiæ*, quatenùs priores Imperatores, Chriſtianorum perſecutores, ſibi ob oculos proponebant, ut eos imitarentur; undè Galerius Maximianus Edicto ſuo aiebat ſe voluiſſe *ex veterum legum inſtitutis, & publicâ Romanorum diſciplinâ providentiam, & curam habere, ut Chriſtiani, qui Majorum ſuorum ſectam, & Religionem deſeruiſſent, ad rectam ejuſdem inſtitutionem reverterentur.*

Euſeb. hiſt. l. 8. c. 29.

Ex ℣. 12. *Et fecit terram, & habitantes in eâ, adorare beſtiam primam, cujus curata eſt plaga mortis.*

Pompon. Lætus de magnitud. Imperii Romani. *Diocletianus*, inquit Pomponius Lætus, *Romanorum Principum victorioſiſſimus divinos honores Imperatoribus Auguſtis habendos præcepit*; quin etiam juſſit ſacrificari ſibi, necnon Maximiano Herculio collegæ ſuo, & Galerio Maximiano, ac Conſtantio Chloro, Cæſaribus ab illo creatis, quemadmodum colligere eſt ex Euſebio, & refertur à Baronio ad annum Diocletiani decimum nonum.

Baron. an. Chr. 301. N. LXXXV.

Euſeb. hiſt. l. 8. c. 12. *Ex Palæſtinæ Martyribus*, inquit Euſebius, *primus erat Procopius, qui cùm in judicio coram Præſidibus ſiſteretur, & ei imperatum eſſet, ut Diis eorum immolaret, unum ſolum Deum ſe ſcire dixit, cui, ſicut ab eo ipſo præceptum eſt, ſoli eſſet ſacrificandum. Poſtquàm verò Imperatoribus hoſtias etiam offerre illi mandatum fuit, ſententiam quamdam, quæ illis parùm arridebat, elocutus, hoc ſcilicet Homeri carmen, Non bona res multi Domini, rex unicus eſto, extemplò ſecuri percutitur.*

At anteà oſtendi Domitianum, & Trajanum divinos quoque honores ambiiſſe; & in Chriſtianos ſæviiſſe. Quapropter eo ipſo, quo Diocletianus juſſit, ut à ſubditis ſuis tanquàm Deus adoraretur, fecit ut homines terrenis defixi, nec verum, & unum Cœli, & terræ Deum, ſicuti par erat, cogitantes, *adorarent* quodammodò *primam beſtiam, cujus curata eſt plaga mortis*, hoc eſt Imperatorem, more belluino ferocem, in Chriſtianos ſævum, cujus impietas reviviſcens, extincta quondam fuerat cum Domitiano, & rursùm excitata fuerat in Trajano. Sic adorare Diocletianum ut Deum, idem prorsùs impietatis ſcelus fuit, quod patrabatur, cùm Trajanus Domitiani ſucceſſor adoraretur ut Deus.

℣. 13. *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de Cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum.*

Zoſim. l. 1. Zoſimus Hiſtoriographus Paganus *de fano Veneris Aphacitidis* loquens, inquit: *Prope fanum iſtud, lacus quidam eſt, ciſternæ manu factæ ſimilis. Iuxta fanum, & vicina loca, ignis inſtar lampadis, aut globi conſpicitur, quoties ſtatutis temporibus ibi conventus habentur; qui quidem ad noſtram ætatem uſque conſpectus fuit.*

Ad lacum dona, quotquot ibi conveniebant, in honorem Deæ ferebant, ex auro, & argento facta, itemque telas lineas, & byſſinas, alteriuſque materiæ precioſioris. Ac ſi quidem illa viderentur accepta, pari cum aliis pondere panni quoque ſubſidebant: ſin eſſent ingrata, & rejicula, tùm ipſas telas aquæ videre erat innatantes, tùm ſi quid erat ex auro, & argento, & aliis materiis, quarum eſt ea natura, ut ſuprà aquam ſe non attollant, ſed demergantur.

En

En ex Zoſimo *ſigna* inſueta, & *ignis de cœlo* inſolitus, qui apparet *in conſpectu hominum*, quandoquidem *conſpiciatur, quoties ſtatutis temporibus conventus habentur ad fanum Veneris Aphacitidis.*

Idem eodem loco ſignum ignis cœleſtis Sozomenus ita refert, ut ex ejus narratione verba propoſita Sancti Joannis magìs, ac magìs explanentur. *Erat*, inquit, *fanum Veneris in Aphacis circa montem Libanum, & Adonim fluvium ſitum. In Aphacis autem memorant ignem per quandam invocationem certo die, tanquam ſtellam à ſummo vertice Libani percurrentem, in vicinum fluvium ſe immerſiſſe; quem ignem Uramam, (iſto enim nomine nuncupabant Venerem) eſſe dixerunt.* Sozom. l.2. c.4.

Sic impii cultores Veneris, invocationibus ſuis, & ope *Satanæ*, qui & ipſe ex Chriſto Domino *tanquam fulgur de Cœlo cecidit*, *ignem faciebant de Cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum.* Luc. 10. v.18.

Alia ad *fanum Æſculapii, quod Ægis in Ciliciâ* fuit, commemorat Sozomenus. *Quandoquidem*, inquit, *Ægeatæ gloriabantur hominum corpora apud ſe, vi, & poteſtate Dæmonis noctu ibi apparentis, medicinamque illis facientis, morbis liberata eſſe.* Sozom. l.2.c.4.

Falſa quoque *magicis præſtigiis Antiochiæ ad ſimulachrum Iovis edita miracula* meminit Euſebius tempore Maximini. Euſeb.hiſt. l.9.c.2.

Quamvis autem relata illa ſigna fierent aſtu, & poteſtate Diaboli, tamen ſive Diocletianus, & Maximianus Herculius ejus collega, ſive Galerius Maximianus, & Maximinus in Imperio conſortes, beſtia bicorni, quam interpretor, ſignificati, dicuntur à Joanne *feciſſe* illa ſigna, quòd approbarent edita; confirmarentque ſuâ authoritate; ac etiam idolorum cultoribus ſtudioſiſſimè faventes, peroptarent, procurarentve, quantùm in illis erat, ut ſigna illa admirationem, voluptatem, & quandam ſpeciem utilitatis præbentia, fierent deinceps, quò magis homines ſuperſtitioni Ethnicæ aſtringerentur. Undè Euſebius, poſteaquàm falſa ad ſimulacrum Iovis Antiochiæ edita dixit miracula, protinùs ſubjungit: *Statuarum igitur, & ſimulacrorum Sacerdotes, Pontifices etiam, viri in republicæ negotiis obeundis eximii, & in omni miniſterii genere ad Deos ſpectantis præſtabiles, & in quibus incredibile ſtudium inſidebat obſequii idolis præſtandi, in ſingulis civitatibus à Maximiano creantur.* Euſeb.hiſt. l.9.c.2.3.

Verſ.14. *Et ſeduxit habitantes in terrâ propter ſigna, quæ data ſunt illi facere.*

Quot homines, & quantùm ſeducti fuerint ex illis ſignis, ac præſtigiis Dæmonum, teſtes ſunt Sozomenus, & Euſebius. Sozomenus quidem, cùm ait, *ambo fana, Veneris in Aphacis, & Æſculapii apud Ægeates,* ubi fiebant complura hujuſmodi ſigna, *fuiſſe illuſtriſſima, & magnâ veneratione à veteribus dignata.* Sozom. l.2. c.4.

Euſebius verò *delubrum turpi, & flagitioſo Veneris Dæmoni dedicatum, in ſummo vertice montis Libani*, aſſerit *petulantis, & laſcivi erroris propugnaculum, & ſcholam nefandæ libidinis, quî non viri tantùm, ſed etiam mulieres, Dæmonem placarent.* Propterea *Conſtantinus delubrum iſtud univerſum cum ipſis ſtatuis, & monumentis funditùs deleri juſſit.* Euſeb. vit. Conſt. l. 3. c. 53.

De

Euſeb. vitę Conſt. l. 3. c. 54. De Æſculapii autem apud Ægas fano, Euſebius etiam inquit: *Ubi error eorum, qui inter Cilices ſapientes videbantur, in Dæmone ibi colendo longiùs ſerpſit, infinitis ſuper eo, tanquàm conſervatore, & medico propterea in admirationem traductis, quòd interdùm dormientibus apparuit; nonnumquàm ægrotantium corpora morbis relevavit, (erat hic ſine dubio animorum corruptor, quippe qui homines incallidos à vero Servatore abſtraxiſſet, & res veriſimiles efficiendo, ad impiam perverſitatem rapuiſſet) Imperator Conſtantinus, qui Deum zelotem, verè Servatorem ſibi ad defenſionem ſemper proponebat, iſtud delubrum dejici, ſoloque æquari mandavit.*

Ex verſ. 14. *In conſpectu beſtiæ.*

Porrò ſigna illa, quæ retulimus nonnumquam in præfatis delubris effecta, contingebant arte Dæmonum, ut placerent Imperatoribus Ethnicis beſtiâ ſignificatis; eoſque iccircò cultu Deorum vehementer perſuaſos, ac deluſos, fortiùs impellerent adversùs Chriſtianos, impiæ ſuperſtitioni adverſantes. Hinc Euſebius teſtatur *falſa miracula* Antiochiæ ad Jovis ſimulachrum edita, uti Theotecnus illorum fabricator eupierat, *perveniſſe ad aures Imperatoris Maximini*; eumque indè commorum ad perſecutionem Chriſtianorum.

Euſeb. hiſt. l. 9. c. 2.

Ex v. 14. *Dicens habitantibus in terrâ, ut faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit.*

Imperatores prædicti, non tantùm homines adigebant, ut priſcorum, & à multis ſæculis impiè receptorum Deorum ſimulacra colerent; ſed etiam jubebant ut fierent, ac in honore divino haberentur ſtatuæ ipſorummet Imperatorum, qui flagranti erga Deos amore concitati, ſopitas jam prædeceſſorum ſuorum perſecutiones adversùs Chriſtianam Religionem, Diis repugnantem, rursùs excitabant; ac totis viribus perurgebant, ut illam penitùs delerent; Deorum autem cultum obfirmarent, ac propagarent.

Verſ. 15. *Et datum eſt illi, ut daret Spiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ.*

Pompon. Lætus in Diocletiano. Retulimus ſuprà, Diocletianum dictum eſſe Jovium; ejuſque cognominis has rationes refert Pomponius Lætus. *Diocletianus*, inquit, *Iovius appellatus, velut ille Iovis heres. Iugiter gigantes, ut Cœli Regiam defenderet, perdidit: Diocletianus, ut orbis terrarum Regiam tueretur, tyrannos ſurgentes, ut Centimanos, diligenti curâ perdidit, ac delevit; &, ut Iupiter turbata pacavit elementa, ſic Diocletianus domitis, ac cæſis ſeditioſis hominibus, Imperium turbatum, tranquillum reddidit. Iupiter ab ſuâ arce undique ſuum numen diffundit: Diocletianus, quamvis uno eſſet in loco, ſuâ providentiâ præſens ubique eſſe videbatur.* Hæc Pomponius.

Nec dubium eſt quin Diocletianus, qui Deum ſe dicebat, & divinos honores ambiebat, vellet tanquam alter à Jove Deus reputari, & coli.

Eâdem impietate permotus Maximinus, aliquot annis poſtquàm Diocletianus, & Maximianus Herculius Imperium abdicarunt, partes versùs Orientem regens, idem Jovii cognomen arripuit, ut videre eſt ejuſdem Imperato

Imperatoris apud Euſebium epiſtolâ, hoc titulo, JOVIUS MAXIMINUS AUGUSTUS SABINO. Euſeb.hiſt. l.9.c.8.

Teſte autem Euſebio, idem *Maximinus per nefarios quoſdam, & perditos viros ipſe, quò ſuo animo ſatisfaceret, legationem mittit, cives Antiochiæ hortaturus, ut illi tùm ab ipſo, maximi beneficii loco, flagitarent, uti nullus Chriſtianus ipſorum patriam incolere permitteretur; tùm alios etiam ad idem præſtandum impellerent. Quarum rerum omnium gerendarum dux fuit, & princeps Theotecnus in ipſâ Antiochiâ natus, & ejuſdem civitatis curator, vir crudelis, vafer, & improbus. Hic igitur, poſtquàm nos graviter oppugnaverat, tandem ſimulacrum quoddam Iovis* Φιλίου, *id eſt, qui amicitiis contrahendis præeſt, erigit; inque eo magicis præſtigiis falſa edit miracula; & ad ejus cultum nefaria myſteria, initiationes impuras, & ſceleſtas expiationes excogitat; efficitque ut oraculorum præſtigia, quibus ea, quæ inſtituebat, abſolvit, ad aures Imperatoris pervenirent. Quin etiam, quò aſſentatione, & blanditiis in Imperatoris animum influeret, Dæmonem contra Chriſtianos excitat; aſſeritque Deum præcepiſſe, ut illos tanquàm ipſi infeſtos, ex urbe, agriſque penitùs expellere properarent.* Hæc Euſebius. Euſeb.hiſt. l.9.c.2.

Quæ cùm ita fuerint, facile eſt verba Joannis propoſita explicare; patet enim ipſi Maximino, in Chriſtianos belluæ feroci, *datum* eſſe per Dæmones, ac magos, nefarioſque Deorum miniſtros, *ut Spiritum*, videlicet impurum, ac Dæmonem, falſa miracula edentem, *daret imagini beſtiæ*, hoc eſt, ipſiuſmet Maximini, quatenùs datus eſt ille ſpiritus immundus præfatæ imagini Jovis, à quo ipſemet Maximinus, non ſecùs ac anteà Diocletianus, vocabatur Jovius, tanquam alter Jupiter, ut Deus adorandus.

Datum eſt quoque, *ut loquatur imago beſtiæ*, quatenùs ſimulacrum illud Jovis, Dæmone ei inſidente, edebat voces, & oracula in gratiam Jovii Maximini, & in detrimentum Religionis Chriſtianæ, cui Diabolus infenſiſſimus eſt.

Ex verſ.15. *Et faciat, ut quicumque non adoraverint imaginem beſtiæ, occidantur.*

Dudùm vidimus ex Plinio ad Trajanum, Chriſtianos ſollicitatos, ut deorum ſimulacra, & imaginem ipſius Imperatoris adorarent. Idem factitatum in Chriſtianos à Diocletiano, ejuſque imperii conſortibus, cùm exigerent etiam, ut ſibi ſacrificaretur: Qui verò ex Chriſtianis impium illum cultum recuſarent impendere, enecabantur, uti paulò antè retulimus ex Procopii Martyrio, & colligere eſt ex geſtis aliorum innumerabilium Martyrum, tùm ſub Diocletiano, & Maximiano Herculio, tùm ſub Galerio Maximiano, & Maximino.

Dixerim tantùm poſt Euſebium occaſione præfati ſimulacri Jovis, *crudeles perſecutiones in nos commotas; tot mala, & tàm gravia, brevi temporis ſpatio à Maximino contra nos comparata; adeò ut hæc poſterior perſecutio id temporis excitata, multò acerbior, quàm prior, nobis videretur.* Euſeb.hiſt. l.9.c.5.

Hervéus in Apocalypſim. Xx Verſ.

Digitized by Google

Verſ. 16. *Et faciet omnes, puſillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & ſervos, habere characterem in dexterâ manu ſuâ, aut in frontibus ſuis.*

Compellet, quantùm poterit, edictis ſuis, blanditiis, minis, ac cruciatibus Imperator Ethnicus, Chriſtianæ Religionis perſecutor, omnes, cujuſvis ætatis, & conditionis, credentes in Chriſtum, ut Deos colant.

Parem in impietatem lapſos dolens Cyprianus, ait: *Multis proprius interitus ſatis non fuit. Hortamentis mutuis in exitium populus impulſus eſt; ac nè quid deeſſet ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus vel impoſiti, vel attracti. Nonnè illi, cùm judicii dies venerit, dicent, Parentes ſenſimus parricidas: Illi nobis Eccleſiam Matrem, illi Patrem Deum negaverunt, ut dùm parvi, & improvidi, & tanti facinoris ignari, per alios ad conſortium criminum jungimur, alienâ fraude moreremur.* Tanta erat Imperatorum Ethnicorum in Chriſtianos ferocitas, ut nè à legibus ſuis impiis vellent Chriſtianorum parvulos eximi!

S. Cypr. de lapſis.

Quò autem illi Imperatores certò judicarent, Chriſtianos cultui Deorum conſenſiſſe, exigebant ut iis vel ſacrificia offerrent; vel thus adolerent; vel vinum libarent. Imagini tuæ, inquit Plinius Trajano, *cum ſimulacris numinum, thure, ac vino ſupplicarunt.* Qui quidem ritus impii procul dubio fiebant ope *manus dexteræ.*

Plin. ep. 97.

Dùm verò ſacrificium offerebant, juxta morem Ethnicorum, erant vel velo caput cooperti; vel coronâ, ſeu ex lauro, ſeu ex foliis vitis, ſeu ex floribus, pro diverſitate Deorum, quibus immolabant, redimiti.

Quocirca ſecundùm verba Joannis, quæ interpretor, *habebant* tunc illi apoſtatæ *in dexterâ manu ſuâ, aut in frontibus ſuis characterem beſtiæ*, ſive notam indubitatam cultus idolorum, ad quem beſtia, ſeu Imperator Ethnicus Chriſtianos à fide, & pietate deſciſcentes adigebat.

Hinc Cyprianus fideles Chriſtum conſtanter confeſſos, & cujuſvis idololatriæ ſpecimen averſatos, laudans, inquit: *Religioſa vox Chriſtum locuta eſt, in quem ſe ſemel credidiſſe confeſſa eſt. Illuſtres manus, quæ nonniſi divinis operibus aſſueverant, ſacrificiis ſacrilegis reſtiterunt. Sanctificata ora cœleſtibus cibis, poſt corpus, & ſanguinem Domini, profana contagia, & idolorum reliquias reſpuerunt. Ab impio, ſceleratoque velamine, quo illic velabantur ſacrificantium capita captiva, caput veſtrum liberum manſit. Frons cum ſigno Dei pura, Diaboli coronam ferre non potuit; corona ſe Domini reſervavit.*

Cypr. de lapſis.

Verſ. 17. *Et nè quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem*, nempè beſtiæ.

Baronius ex rebus geſtis à Caio Papâ refert, quòd ſub Diocletiano, & Maximiano Herculio *tàm immanis exorta eſt perſecutio, ut nulli quicquam vel vendere, vel emere liceret, niſi parvis quibuſdam ſtatuis, poſitis eo in loco, ubi emendi gratiâ conventum eſſet, thura incenderet. Tùm etiam circa*

Baron. an. Chr. 286. & 3. Diocl. n. 111.

inſulas,

Digitized by Google

inſulas, vicos, & aquas poſiti erant compulſores, qui neque molendi, neque aquas hauriendi poteſtatem facerent, niſi qui idolis libaſſent.

Hoc autem edictum, quod primùm Romæ graſſatum eſt, poſteà vim habuiſſe in Occideute, & in Oriente, cenſet idem Cardinalis. Baron. an. Chr. 285. n. XXXI.

Nam de Galliis teſtatur id Beda his verbis. Beda in actis Juſtini Martyris.

Nec illis emendi quicquam,
Aut vendendi copia,
Nec ipſum haurire aquam
Dabatur licentia,
Antequam thurificarent
Deteſtandis idolis.

Sed & Arethas Epiſcopus Cæſareenſis, de Oriente teſtis eſt eâ oratione, quam ſcribit de Sanctis Martyribus Curiâ, atque Samonâ, dùm ait non licuiſſe iis, qui Chriſtiani eſſent, contrahere, nec qua humanæ conſuetudinis eſſent, commercia exercere. Apud Lypom. tom. 3.

Hæc ex Baronio deprompta demonſtrant, quàm vera ſint de Diocletiano, & Maximiano verba Sancti Joannis prophetica, *nè quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui beſtiæ*, id eſt, Imperatorum illorum immanium, *habet in dextera manu ſuâ characterem*, ac notam certam conſenſus ſui impietati illorum, thurificando, vel libando idolis.

Ex ℣. 17. *Aut nomen beſtiæ.*

Beſtiæ nomine, quod ſufficiebat habere, etiamſi quis non thurificaſſet, aut libaſſet idolis, quandoquidem Joannes dicat ſub disjunctione *characterem, aut nomen beſtiæ*, arbitror intelligendum libellum, quem Imperatorum nomine Magiſtratus dabant iis, qui aſſererent ſe quidem edictis Imperatorum obtemperare; ſed pecuniam, nè idolis palàm ſacrificarent, erogabant.

Eo ſenſu Baronius ex multis Cypriani locis explicat Chriſtianos Libellaticos tempore Decii Imperatoris: *Cùm*, inquit, *propoſitis à provinciarum Præſidibus Decii Imperatoris edictis, ut Chriſtiani omnes ſacrificarent; qui id facere erubeſcerent, Magiſtratum adirent; vel ad eum alios ſuo nomine mitterent; rogarentque nè ad ſacrificium immolandum compellerentur: Cæterùm ſe Chriſtum negare; iidemque pro hujuſmodi diſpenſatione conſequendâ pecuniam ſponderent: Magiſtratus verò poſt negationem, conceſſionis libellum ſcriberet; atque ei, qui petiiſſet, daret, vel abſenti mitteret, quo munitus, tutus abſque pœnâ conſiſteret. Qui igitur hunc in modum fidem prodidiſſent, ac ſimiliter perdidiſſent, Libellatici dicebantur, quòd libellum ſecuritatis à magiſtratu conſcriptum accepiſſent, cùm negaſſent.* Iſta Baronius. Baron. an. Chr. 253. n. XXI.

Nec dubitandum eſt quin ille libellus ſecuritatis à Magiſtratu conſcriptus, præ ſe ferret nomen Imperatoris, cujus authoritate tradebatur, ut ejus potentiâ freti illi pſeudo-Chriſtiani, apud omnes, & quovis loco, immunes eſſent à neceſſitate ſacrificandi palàm idolis, cùm jam Chriſtum negaſſent.

Digitized by Google

Quare quiſquis *haberet* apud ſe ſcripto libello authentico *nomen beſtiæ*, ſeu Imperatoris illius, poterat *emere, aut vendere*, quamvìs in manu ſuâ *characterem beſtiæ* non haberet, hoc eſt, idolis palàm nec ſacrificaſſet, nec thurificaſſet, nec libaſſet. Undè Sanctus Cyprianus de illis Libellaticis, *Etſi nefandis ſacrificiis manus non contaminaverunt; libellis tamen conſcientiam polluerunt.*

Sanctus Cyprian. de lapſis.

Ex ℣. 17. *Aut numerum nominis ejus.*

Indè conjicio Magiſtratus in libellis præfatis, quos pſeudo-Chriſtianis dabant, aliquando non expreſſiſſe diſtinctè ipſiſſimum nomen Imperatoris, ſed dumtaxat numerum, quem litteræ nominis illius indicabant.

Sic Epiſtolæ Formatæ, quas Epiſcopi Catholici concedebant Catholicis tanquam teſſeram fidei, & communicationis Catholicæ, non continebant diſtinctè ſcriptum, nec nomen Patris, & Filii, & Sancti Spiritus, quod eſt fidei ſymbolum; nec nomen Petri, quod eſt communionis Catholicæ indicium; ſed præ ſe ferebant dumtaxat numerum totalem, qui exurgebat ex conjunctis ſingulis numeris, qui ſignificabantur primâ literâ Græcâ cujuſvis prædictorum nominum.

Ivo de Cauſ. Cler. par. 6. c. 433. Baron. an. Ch. 325. n. CLXIV. CLXV.

Hoc, inquit Ivo Carnotenſis, *à Patribus trecentis octodecim Nicææ congregatis ſaluberrimè inventum eſt, & conſtitutum, ut formata Epiſtola hanc calculationis, ſeu ſupputationis ſuæ habeant rationem, id eſt, ut aſſumantur ad ſupputationem prima Græca elementa Patris, & Filii, & Sancti Spiritus, id eſt π, υ, α; Petri quoque Apoſtoli prima littera, π; ejus, qui ſcribit Epiſtolam, prima littera; cui ſcribitur, ſecunda; accipientis tertia; Civitatis, de quâ ſcribitur, quarta; & Indictionis, quæcumque eſt, illius temporis numerus aſſumatur. Atque his ita omnibus Græcis literis, quæ numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quæcumque collecta fuerit, ſummam Epiſtola teneat.*

Quis verò neſciat multa, quæ conſuetudinis erant apud Ethnicos civilis, Eccleſiam prudenter, ac piè in ſuum uſum perduxiſſe?

Certè eò magìs moveri poterant Magiſtratus ad exprimendum dumtaxat numerum nominis Diocletiani Imperatoris in libellis, quos pleriſque pſeudo-Chriſtianis concedebant, quòd ſicuti refert Baronius, *ipſe Diocletianus inſtituit, ut à primâ die ſui imperii ſequentes anni numerarentur: qui uſus perſeveravit apud nonnullos uſque ad tempora Iuſtiniani; factumque eſt ut & Chriſtiani etiam, non honore Principis, ſed uſu communi, ad tempora perveſtiganda à dictâ primâ die Imperii Diocletiani annos enumerarent.*

Baron. an. Chr. 284. n. 111.

Itaque nominis Imperatoris illius numero dumtaxat expreſſo in libellis præfatis, quos Magiſtratus pſeudo-Chriſtianis concedebant, patebat eorum, qui tales libellos habebant, impia cum Imperatore communicatio; contra Chriſtianam Religionem edictis ipſorum obſequium; ac ſic apud omnes, & ubique tuti erant illi Libellatici.

Verſ.

Verſ. 18. *Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ: numerus enim hominis eſt; & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.*

Si ſolius Diocletiani nomen propter primum ejus principatum conſideremus, propterea quòd anno dumtaxat imperii ſui tertio collegam ſibi Maximianum Herculium allegerit, uti refert Baronius; attendamuſque illum voluiſſe cognominari Jovium, uti anteà innuimus; in litteris Latinis numeralibus illius nominis, DIOCLETIANUS JOVIUS, ſi unicam litteram I demamus, inveniemus numerum ſexcentorum ſexaginta ſex. Baron. an. Chr. 286. n. 111.

Quidni verò non liceat unicam litteram in hâc nominis computatione numerali tollere, cum id in Achroſticis ſit licitum? Id eò magis videtur concedendum, quòd Diocletianus, cujus nomen primævum erat Aurelius Valerius, dictus ſit Diocletianus, tùm à matre Dioclea, tùm à loco natali, etiam Dioclea, nuncupato: undè convenienter dici queat Diocleanus; & tunc rectè demitur una litera ab hoc nomine Diocletianus.

Sit ergo DIOCLEANUS JOVIUS pro illius nomine. Primum habet quinque litteras numerales, D. I. C. L. V. Secundum autem quatuor iſtas, I. V. I. V. quæ ſi jungantur quinque primis hoc modo,

D. C. L. V. I. IV. V. I. invenientur ſexcenta ſexaginta ſex.

Quippe D. facit quingenta; C. centum; L. quinquaginta; V. quinque; I. unum: at alterum I. ante V. facit cum illo V. dumtaxat quatuor: V. autem, & I. ſequens faciunt ſex. Quapropter quingenta, centum, quinquaginta, quinque, unum, quatuor, & ſex, faciunt ſexcenta ſexaginta ſex.

Cùm etiam beſtia, quàm interpretatus ſum hâc explanatione, dicta ſit habere duo cornua, hoc eſt, duos Imperatores, nempe Diocletianum, & Maximianum ejus collegam, fas eſt computare numerum amborum illorum nominum, & tunc inveniemus quoque ſexcentorum ſexaginta ſex ſummam.

Etenim ſit DIOCLETIANUS, atque MAXIMIANUS, & illorum nominum litteræ numerales jungantur ſic, D.C.L.IIX.IV.IV. perſpicuum eſt D.C.L. efficere ſexcentos quinquaginta. Duplex autem II. ante X, conficit cum ipſa literâ X, dumtaxat octo. Poſteà verò I. ante V. efficit cum V, tantùm quatuor: denique poſtremum I. & V. efficientia quatuor, abſolvunt ſummam prædictam ſexcentorum ſexaginta ſex.

Verùm præter hæc, conſideranti mihi Joannem ſacra propheriæ ſuæ, ut ita dicam, ænigmata ſolere antiquorum Prophetarum, aliorumque ſacrorum Authorum figuris, ac verbis proponere, videtur illum eo numero ſexcentorum ſexaginta ſex deſignaſſe Diocletianum, & Maximianum Herculium, quòd, quemadmodum narrat Pomponius Lætus, percelebrem Romæ de Perſis à Galerio Maximiano Cæſare ſuperatis, triumphum egerint; ac indè reportaverint, atque oſtentarint tàm divitem, & Pompon. Læt. titulis Diocletianus; & Magnitudo Imperii Romani.

pretioſam prædam, ut comparari queat ſexcentis ſexaginta ſex auri talentis, quæ teſte Scripturâ, Salomon referebat ex Ophir, ſeu ex Indiâ Perſis finitimâ, & ſubjectâ.

Quapropter, ut ad explanationem verborum Joannis revertar, *Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum*, hoc eſt, ut quis intelligat quæ ſequuntur, oportet illum verſatum eſſe in Sacrâ Scripturâ, undè percipi poteſt ſapientia, quam Apoſtolum, & Prophetam decet loqui.

Computet numerum beſtiæ. Viri prudentes, ac negotiis tùm domeſticis, tùm publicis præpoſiti conſueverunt computare quot librarum pondera beſtiæ onetatiæ queant ferre: ita & vult Joannes ut computetur numerus opum, quas beſtiâ bicornis, id eſt, bini, ac conjuncti Imperatores, beſtiâ illâ ſignificati, retulerunt.

Numerus enim hominis eſt: quid namque accuratiùs, ac frequentiùs prædivites homines numerant quàm opes ſuas, ac theſauros? Sciunt certè quanta ſit illis copia auri, & argenti: indè enim potentes ſunt; & gloriam conſequuntur. Sic Sacra etiam Scriptura, quæ nihil niſi cum magnâ ſapientiâ deſcribit, recenſet divitias Salomonis ad gloriam ejus oſtendendam.

Et numerus ejus ſexcenti ſexagintaſex.

3. Reg.10. v. 11.14. 22. Cùm verò aſſerat, *pondus auri, quod afferebatur Salomoni per ſingulos annos*, nempe illos, quibus claſſis ejus vehebat ex Ophir, fuiſſe *ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri*; ſub eodem numero comprehendit, & ſignificat Apocalypſis ſacer Author copiam pretioſiſſimarum opum, quas bini Imperatores, Diocletianus, & Maximianus Herculius ex Perſide retulerunt; atque in triumpho ſuo Romanis oſtentavere.

EXPLANATIO LIII.

Quinque primorum verſuum Capitis decimiquarti Apocalypſis, de Martyribus, Chriſtum Dei Filium perpetuò confeſſis; eique in Cœlo victoriam, quam in terris de impietate reportarunt, cantico ſuo aſcribentibus; integritate fidei ſuæ conſpicuis; Chriſtum uſque ad mortem ſecutis; eumque multipliciter in Cœlo ſequentibus: nullo mendacio negationis contra Chriſtum, nec ullâ ma-

culâ

culâ idololatriæ fœdatis; ſed nitentibus tanquàm præcipuis, & inſignioribus Dei, & Chriſti Domini ſanctis teſtibus.

VERS. 1. Et vidi: Et ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.

℣. 2. Et audivi vocem de Cœlo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem, quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.

℣. 3. Et cantabant quaſi canticum novum ante ſedem, & ante quatuor animalia, & ſeniores; & nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terrâ.

℣. 4. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati; virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.

℣. 5. Et in ore eorum non eſt inventum mendacium; ſine maculâ enim ſunt ante thronum Dei.

Verſ. 1. *Et vidi.*

PRÆCLARE Cyprianus, *Gaudere*, inquit, *nos, & exultare voluit in perſecutionibus Dominus, quia quando perſecutiones fiunt, tunc dantur coronæ fidei; tunc probantur milites Dei; tunc Martyribus patent Cœli. Neque enim ſic militiæ nomen dedimus, ut pacem tantummodò cogitare; & detrectare, & recuſare militiam debeamus, quando in ipsâ militiâ primus ambulaverit Dominus, humilitatis, & tolerantiæ, & paſſionis Magiſter, ut quod fieri docuit, prior faceret; & quod pati hortatur, prior pro nobis ipſe pateretur. Prœliantes nos, & fidei congreſſione pugnantes ſpectat Deus; ſpectant Angeli ejus; ſpectat & Chriſtus. Nec ſic eſt, ut ſervos ſuos tantùm ſpectet; ſed & ipſe luctatur in nobis; ipſe congreditur; ipſe in certamine agonis noſtri, & coronat pariter, & coronatur.* S. Cyprian. ep. 56. S. Cypr. ep. 8.

Eapropter Dilectus Chriſti Diſcipulus poſt recenſitas capite præcedenti,

denti, quas divinitùs prævidit, Imperatorum Ethnicorum adverſùs Chriſtianam Religionem perſecutiones, refert gloriam Chriſti Domini, & Sanctorum ejus Martyrum, ex illis perſecutionibus mirabiliter exortam.

Ex verſ. 1. *Et ecce Agnus.*

Reges illi, ſeu Imperatores Ethnici, de quibus actum eſt capite ſuperiori, & iterùm agetur Capite decimo ſeptimo, *pugnabunt*, inquit Sanctus Joannes, *cum Agno; & Agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum eſt, & Rex Regum; & qui cum illo ſunt vocati electi, & fideles*, Divinâ illius virtute corroborati, perſecutores ſuos ſuperabunt: nam ex Cypriano, *Chriſtus præliatores, atque aſſertores ſui nominis erexit, corroboravit, animavit; & qui pro nobis mortem ſemel vicit, ſemper vincit in nobis.* (Apoc. 17. v.14. — S. Cypr. ep. 8.)

Ex verſ. 1. *Stabat ſupra Montem Sion.*

Fremuerant quidem anteà, juxta Pſalmum ſecundum, & ab Apoſtolis traditam interpretationem, Herodes, & Pilatus, necnon populi Judæorum, & Principes illorum, *adverſùs Dominum, & adverſùs Chriſtum ejus:* ſed is morte, quam ei intulerant, devictâ, *conſtitutus eſt Rex* à Deo Patre *ſuper Sion Montem ejus*, tanquàm ſedem David, cujus eſt ſecundùm carnem filius, occupans, & regnaturus in omnem Iſraëlem. (Pſ. 2. — Act. 4. v. 27.)

Etenim David miniſterio Samuelis unctus à Deo in Regem, etſi gravem à Saüle perſecutionem paſſus, ac propemodùm enecatus fuerit, tamen Regnum, non modò in duas Tribus Juda, & Benjamin, cùm degeret in Hebron, verùm etiam in omnes Tribus Iſraëliticas conſecutus eſt Hieroſolymis, ac ſupra montem Sion, ubi erat arx, & domus illius. (2 Reg. 5. v. 5. 7.)

Pari modo, ut à figuris Davidicis ad Myſteria, quæ Chriſtus complevit, tranſeam, quamvìs gentes, cultui Dæmonum addictæ, earumque Reges, ac Imperatores Impii, nomen, ac Religionem Chriſti Domini delere ſtatuiſſent; ac propterea innumerabilem fidelium multitudinem interfecerint: nihilominùs profligatis illis Imperatoribus Ethnicis, ac ſubactis gentibus, Chriſtus, ut Rex, ac Dominus, & Deus *in monte Sion, & Jeruſalem Cœleſti* colitur, atque adoratur. (ad Heb. 12. v. 22.)

Ex ℣. 1. *Et cum eo.*

Martyres verò, qui pro illius gloriâ ſanguinem fuderunt, ad ejus gloriæ ſocietatem ſunt evecti; & cùm mortem ipſius in monte Calvariæ ſanctiſſimam pro modulo ſuo ſint imitati, vitæ quoque illius æternæ, quâ perfruitur in monte Sion Cœleſtis Jeruſalem, participes ſunt effecti: nam, inquit Apoſtolus, *ſi commortui ſumus; & convivemus: ſi ſuſtinebimus; & conregnabimus.* (2. ad Tim. 2. v. 11. 12.)

Ex verſ. 1. *Centum quadraginta quatuor millia.*

Quamvìs autem innumerabiles ſint Martyres, qui, ut ait Cyprianus, *confeſſione nominis Chriſti ad ipſius gloriam pervenerunt*; tamen ad numerum centum quadraginta quatuor millium reducuntur à ſapientiâ Divinâ, propter rationes ex Scripturâ petitas, quas explanatione vigeſimâ octavâ in Caput ſeptimum Apocalypſis retuli. (S. Cypr. ep. 8.)

Ex

Ex verſ. 1. *Habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis.*

Dicuntur illi Martyres habere nomen Chriſti, & nomen Patris ejus æterni ſcriptum in frontibus ſuis, quòd, cùm ſtarent fidei causâ coram judicibus, non ſint rubore ſuffuſi Chriſtianos ſeſe aſſerere; ſed audaciâ ſanctâ, quæ in frontibus illorum eluceſcebat, pronunciaverint credere ſe in Jeſum Chriſtum, Filium Dei, Agnum Dei pro illis immolatum, necnon in ejus Patrem omnipotentem, Creatorem Cœli, & terræ, unum cum ipſo verum Deum.

Ex verſ. 2. *Et audivi vocem de Cœlo.*

Porrò beati illi Martyres, qui ſocii paſſionum Chriſti fuerunt, ad ſingularem Cœleſtis illius gloriæ ſocietatem evecti, eidem Salvatori ſuo, ac Deo victoriam, quam de impietate Ethnicâ conſecuti ſunt, juſtè, ac ſanctè aſcribunt.

Ex verſ. 2. *Tanquàm vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni; & vocem, quam audivi, ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis.*

Tanto verò exundantis in illos Spiritus Sancti impetu, tantoque ſplendore lucis Divinæ, & fervore charitatis Cœleſtis, ac tantâ jucunditate animi, hanc in gratiarum actionem de victoriâ ſuâ erumpunt, ut voces illorum gratiſſimum auribus Divinis murmur edentes, & validè inſonantes, ac præclarum conficientes concentum, *voci aquarum multarum, & voci tonitrui magni, & voci citharœdorum citharizantium* comparari queant.

Ex verſ. 3. *Et cantabant quaſi canticum novum.*

Legimus Epinicia Sacra, ſeu cantica victoriæ ſanctæ à viris, & mulieribus Spiritu Dei afflatis ſæpe decantata. Sed Epinicium, quod Martyres in Cœlo concinunt, eſt *canticum novum*, utpote de novo genere victoriæ à ſe ipſis divinitùs reportatæ, non occidendo quemquam, ſed mortem pro Chriſto æquanimiter perpetiendo.

Quâ de victoriâ præclarè, ut ſolet, Cyprianus, cùm ait: *Milites Chriſti armatos ad prælium ſtare; vinci non poſſe; mori poſſe; & hoc ipſo invictos eſſe, quia mori non timent; nec repugnare contra impugnantes, cùm occidere innocentibus nec nocentem liceat; ſed promptè, & animas, & ſanguinem tradere, ut cùm tanta in ſæculo malitia, & ſævitia graſſetur, à malis, & ſævis velociùs recedatur.* S. Cypr. ep. 57.

Canticum etiam laudis, ac gratitudinis, quod Martyres in Cœlo canunt, eſt *quaſi canticum novum*; quia, quamvìs, cùm in terris degerent, ac pro Chriſto acerba quæque paterentur, laudes, & grates ei perſolverent, juxta illud Pauli, *in omnibus gratias agite*; tamen iſtud gratiarum actionis canticum in Cœlo proſequuntur novo modo, quippe qui nihil ampliùs perpetiantur, ſed æternâ ſint felicitate donati. 1. ad Theſ. 5. v. 17.

Ex v. 3. *Ante ſedem, & ante quatuor Animalia, & Seniores.*

Sicuti olim populus Iſraël pius in Templo facie obverſâ versùs Arcam, quæ erat Thronus Dei, & versùs Sacerdotes, ac Levitas, cantabat

bat Pſalmos, & Cantica, in memoriam, & gratiarum actionem pro omnibus Victoriis, quas tùm illi, tùm prædeceſſores ſui, ope Divinâ freti, de inimicis ſuis obtinuerant: Ita Beati Martyres, in Cœlum recepti, ante thronum Chriſti, ac Dei, necnon coram Cœleſtibus Levitis, ac Sacerdotibus, quos quatuor animalibus myſticis, ac vigintiquatuor ſenioribus ſignificari dudùm oſtendi, concinunt Canticum, quo referunt victoriæ ſuæ, de Ethnicis reportatæ, gloriam omnem eidem Chriſto Domino, ac Deo.

Ex verſ. 3. *Et nemo poterat dicere Canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia.*

Cùm autem Martyribus, qui pro Chriſto mortem oppetiere, peculiaris inſit gloria, eaque illis propria, nec aliis inferioris meriti Sanctis communis; illis etiam ſolis competit decantare Canticum laudis, quod ad gloriam Chriſti Domini concinunt, & ob Victoriam, quam morientes pro ipſo Salvatore ſuo reportarunt.

Ex verſ. 3. *Qui empti ſunt de terrâ.*

Chriſti primùm, ac deinde ſui ſanguinis pretio beatam immortalitatem ſibi compararunt; & de terrâ in Cœlum meruerunt transferri.

Verſ. 4. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.*

Sancti illi, inſigni Martyrio decorati, non ſunt inquinati fœdo ſcelere Idololatriæ cum urbibus falſorum Deorum cultui turpiter devinctis,
Apoc. 17. 18. 19. de quibus Prophetæ, & ipſemet Joannes locuti ſunt ſub ſpecie mulierum fornicariarum: Etenim, quemadmodùm mulier adultera plures viros perperam admittit, licet unicum habeat, cui legitimè copulata ſit; ita idololatria pluribus Diis impiè ſe ſubjicit, tametſi unus ſit Deus, quem quiſque debeat ſanctè, ac religiosè venerari.

Ex verſ. 4. *Virgines enim ſunt.*

Cauſa verò, cur beati illi Martyres *non ſunt coinquinati* ullo fœdo ſcelere idololatriæ, fuit integritas fidei illorum: noverant enim ex Apoſtolo, fidem perpetuam ſe Chriſto promiſiſſe; eique animas ſuas, tan-
2. ad Cor. 11. v. 2. 3. quàm *uni viro Virgines caſtas*, exhibere debere.

In eam ſententiam egregiè perorat Cyprianus, dùm *Martyribus, &*
S. Cypr. ep. 8. *Confeſſoribus Ieſu Chriſti Domini noſtri* ſcribens, hortatur *milites Chriſti, ut incorruptam fidei firmitatem, non blanditia decipiant; non mina terreant; non cruciatus, ac tormenta devincant.*

S. Cypr. ep. 56. Idem Thibaritanos ad martyrium exhortans, inquit, *gravior nunc, & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorruptâ, & virtute robuſtâ parare ſe debent milites Chriſti.*

Rursùs idem ad eoſdem, *armemur, fratres dilectiſſimi, viribus totis; & paremur ad agonem mente incorruptâ, fide integrâ, virtute devotâ.*

Eſt in illis Sancti Cypriani verbis veraciſſimis juxtà ac ſanctiſſimis, *incorrupta fidei firmitas, fides incorrupta, mens incorrupta, fides integra,* quæ incoinquinatum, & virginalem animum puritate, ac integritate perpetuâ fidei in ſanctis Martyribus probant, & confirmant.

Ex

Ex verſ. 4. *Hi ſequuntur Agnum quocumque ierit.*

Tritus eſt in rerum geſtarum narratione uſus, eas, etſi peractæ ſint, enunciare velut præſentes, quò magis auditoris animum moveant. Quare verba relata Joannis fas eſt, non de præſenti tantùm, ut ſonant, ſed etiam de præterito interpretari, ut illis commendatam voluerit Evangelicus Propheta tùm anteactam Martyrum virtutem, tùm eam, quâ nunc in Cœlis perfruuntur, felicitatem.

Itaque, ut primùm oſtendam quomodò Chriſtum in terrâ proſecuti ſint in omnibus; ſecuti ſunt illum prædicantem, dùm verba illius perattentè audierunt, & cuſtodierunt.

Secuti ſunt in perſecutione fugientem, dùm & ipſi perſecutores ſuos declinaturi fugerunt.

Secuti ſunt exulantem in Ægypto, cùm & illi propter ipſum exularunt.

Secuti ſunt calumnias, & maledicta perpetientem, dùm & ipſi illius causâ falſorum criminum notas, ac pœnas atroces ſuſtinuerunt.

Secuti ſunt ad Reges, & ad Præſides, teſtimonium illius nomini perilluſtre reddituri.

Secuti ſunt in vincula, in flagella, in ludibria, in tormenta; ad mortem uſque ſecuti ſunt.

Boni planè, generoſi, ac fidiſſimi milites Chriſti, quorum quiſque Chriſto Filio David reipsâ dixit, ac effectu declaravit, quod olim Ethai locutus eſt Davidi: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi Rex, ſive in morte, ſive in vitâ, ibi erit ſervus tuus.* 2. Reg. 15. v. 21.

Tandem ſecuti ſunt Martyres Chriſtum aſcendentem in Cœlum; nam & ipſi, ut verbis, tùm ad Cyprianum, tùm à Cypriano ſcriptis utar, *relicto mundo Cœlum petierunt; deſertis hominibus inter Angelos ſteterunt; impedimentis omnibus ſæcularibus ruptis, in conſpectu Dei ſeſe liberos ſiſtunt; confectoque itinere virtutis, ac fidei, ad complexum, & oſculum Domini, Domino ipſo gaudente, venerunt.* S. Cypr. ep. 26. Ep. 15.

Jam verò conjuncti in Cœleſtibus Chriſto, *eum, quocumque ierit,* ſequuntur multipliciter.

Primùm quidem cognitionis ſuæ perfectione, ex Bernardo: *Attingit,* inquit, *profectò Agnus à fine uſque ad finem fortiter; & diſponit omnia ſuaviter. Verùm, quantumcumque proficiat quis, quandiù in terris degit, intelligendo conſpicere, quàm potentiſſimè, quàm prudentiſſimè, quàm benigniſſimè Majeſtas aterna omnia fecerit; cuncta regat; nunc creet omnia; nunc regat, ordinet univerſa; prorsùs modicum ab eo, quod eſt, comprehendit. Veniet autem quando jam ſequemur Agnum quocumque ierit; & in omnibus conſequemur creaturis, ut in omnibus gaudeamus, quod eſt gaudium Domini Dei noſtri; gaudeamus ſanè in omnibus, ſed non aliundè quàm de ipſo, ſicut & ipſe non aliis fruitur, ſed ſemetipſo.* Hæc Bernardus. Bernard. in feſto omn. Sanct. ſer. 3. & 4.

Secundò Martyres in Cœlo Chriſtum ſequuntur zeli ſui ardore. Ita

Digitized by Google

enim Dominus ſedet ad dexteram Patris, ut indè cunctos ſibi in terris
Pſ. 109. adverſantes expugnet, *donec ponat inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum,*
1. ad Cor. 15. v. 25. quemadmodùm ex Pſalmiſtâ docet Apoſtolus. Quis autem in dubium revocet, quin Sancti Martyres, qui cùm inter homines viverent, totis viribus impietatem Chriſto maximè reluctantem debellarunt, nunc ardentiori zelo ſuccenſi, & majori poteſtate præditi, operam ſuam, & miniſterium Chriſto Domino in ejus profligandis inimicis libentiùs exhibeant? Sequuntur itaque toto animo ſacri illi milites invictum, quocumque tendat, Ducem ſuum, ſub quo dudùm Divinæ Majeſtatis hoſtes obvios vicerunt; certique ſunt quòd cum illo, & per illum novas in dies Victorias ad illius gloriam reportabunt.

Tertiò Chriſtum ſequuntur compaſſione charitatis ſuæ erga fideles variis infirmitatibus obnoxios: ſiquidem, quamvìs Chriſtus ſummâ
ad Heb. 4. v. 15. c. 2. v. 18. perfruatur felicitate, nihilominùs ex Apoſtolo *compatitur infirmitatibus noſtris, tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato: in eo enim, in quo paſſus eſt ipſe, & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.* Quapropter amantiſſimus, & benigniſſimus Salvator, indeficientis charitatis motu, quócumque novit ſuos infirmari, pergit, ut eis opem ferat. Sequuntur & ipſum illuc eximiâ charitate beati Martyres, ut afflictis ſubveniant; eoque magìs inclinantur, quò ipſimet graviores in terris calamitates ſunt perpeſſi.

Bern. in feſto ſanct. omnium, ſer. 5. Hinc Bernardus illos interpellans ait, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei. Noſtis ipſi periculum noſtrum; noſtis figmentum noſtrum; noſtis ignorantiam noſtram, & dolos adverſariorum: noſtis eorum impetus, & noſtram fragilitatem: vobis enim loquor, qui in eâdem tentatione fuiſtis; qui eoſdem ſuperaſtis conflictus; eoſdem laqueos evaſiſtis; qui didiciſtis ex his, quæ paſſi eſtis, compaſſionem.* Iſta Bernardus.

Quartò, honoris Societate ſequuntur Chriſtum: Etenim quocumque terrarum Chriſtus in Cœlis conſtitutus pergat, ut ab hominibus tanquam illorum Creator, & Redemptor colatur, vult ut ibi ſecum in honore habeantur Sancti Martyres, pro illius Divinitate, & Humanitate aſſerendâ paſſi. Illuc autem ipſi ſeſe conferunt, benevolentiſſimæ illius voluntati obſequentes; & eum, quem ab hominibus excipiunt, honorem referunt in ſummam ipſius majeſtatem. Quis enim Eccleſiæ Catholicæ locus Chriſtum, ut par eſt, adorat, qui primævæ Eccleſiæ morem ſectatus, Beatos Martyres, morti Salvatoris ſui configuratos, non etiam veneretur?

Quintò, participatione poteſtatis judiciariæ Chriſtum ſequuntur. Quippe *quocumque ierit* Dominus, ut animas à corporibus ſuis ſecedentes, primùm, & deindè ipſas illis iterum conjunctas in fine ſæculorum, judicet, eò *ſequuntur* Sancti Martyres, utpote qui propter Chriſtum ab iniquis condemnati, gloriam ab eo ſingularem promeruere, ut ei aſſideant, mundum cum ipſo, & ſub ipſo judicaturi. Undè apud Cyprianum

prianum plerique Confeſſores Martyrio proximi, aiunt: *Quid glorioſius,* apud Cypr.
quidve felicius ulli hominum poterit contingere, quàm collegam paſſionis cum ep. 26.
Chriſto in Chriſti nomine factum fuiſſe? Quàm judicis ſui divinâ dignatione
judicem factum fuiſſe?

Ex ℣. 4. *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & Agno.*

Beati illi Martyres tantæ ſunt dignitatis, tantique meriti, ut Chriſtus
Dominus illos ſibi ſingulariter inter omnes mortales *emerit pretio magno,* 1. ad Cor.
non quidem *corruptibilibus auro, vel argento, ſed pretioſo ſanguine ſuo;* & 6. v. 20.
cùm ipſe *quaſi agnus immaculatus, & incontaminatus,* ſe ipſum hoſtiam 1. Petr. 1. v. 18. 19.
Deo Patri gratiſſimam obtulerit, voluit ut & illi Sancti Martyres poſt
ipſum, & per ipſum, veluti victimæ quædam primariæ, ac præcipuæ ad
ejus, & Patris gloriam immolarentur.

Verſ. 5. *Et in ore eorum non eſt inventum mendacium.*

Quis eſt mendax, inquit Joannes primâ Epiſtolâ, *niſi is, qui negat quo-* 1. Joan. 2.
niam Ieſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium. v. 22. 23.
Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet.

Tale mendacium non admiſerunt Beati Martyres; non enim inter
cruciatus peracerbos negarunt Chriſtum eſſe Dei filium; neque plures
Deos, cùm unum noſſent, ac colerent, mentiti ſunt. *Quid,* aiunt ipſi
Confeſſores martyrium ſubituri, *glorioſius, quidve felicius, quàm inter ipſos* apud Cypr.
carnifices confiteri Dominum Deum? Quàm inter ſævientia ſæcularis poteſta- ep. 26.
tis varia, & exquiſita tormenta, etiam extorto, & excruciato, & excarnifi-
cato corpore, Chriſtum Dei Filium, etſi recedente, ſed tamen libero ſpiritu
confiteri?

Ex ℣. 5. *Sine maculâ enim ſunt ante thronum Dei.*

Dùm Eleazarus ſub Antiocho Epiphane propter pietatem interficien-
dus eſſet, *hi, qui aſtabant, iniquâ miſeratione commoti, tollentes eum ſecre-* 2. Machab.
tò, rogabant afferri carnes, quibus veſci ei licebat, ut ſimularetur manducaſſe, 6. à v. 21.
ſicut Rex imperaverat, de ſacrificii carnibus, ut hoc facto à morte liberaretur: ad 28.
Sed reſpondit citò, Non eſt ætati noſtræ dignum fingere, ut multi adoleſcen-
tium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienige-
narum, & ipſi propter meam ſimulationem decipiantur; & per hoc maculam
meæ ſenectuti conquiram. Quamobrem ſenectute quidem dignus apparebo;
adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompto animo, ac fortiter
pro graviſſimis, ac ſanctiſſimis legibus honeſtâ morte perfungar.

Itaque Eleazarus ſine *maculâ* ſimulationis illius, quæ perperam ei erat
propoſita, mortem pro Dei timore libenter oppetiit.

Non abſimilem ſimulationis impiæ maculam multi Ethnici tempore
perſecutionum Chriſtianis inurere conati ſunt; ſed rejiciebant illam
Sancti Martyres.

Nam, inquit Euſebius, ſæviente Diocletiano; *ut unus Chriſtianus in-*
fidelium violentiâ contruſus, & ad ſacrificia illa nefaria, impuraque deductus, Euſeb. hiſt.
quamvis non immolarat, tamen perindè atque ſi immolaſſet, liberè dimiſſus l. 8. c. 3.
eſt; ſic alter, quanquàm non omninò appropinquaverat, neque quicquam atti-

gerat impuri, gentilibus tamen eum ſacrificaſſe affirmantibus, tacitus eorum tulit contumeliam; ſeque indè proripuit. Alius ſemivivus ſublatus, velut jam mortuus projicitur. Quidam proſtratus humi, inque numerum ſacrificantium relatus, longinquo ſpatio pedibus abſtrahitur. Alius vociferatus eſt, & magnâ voce conteſtatus, ſe hoſtias penitùs repudiare: alius ſalutaris Chriſti appellationis confeſſione geſtiens, ſe Chriſtianum eſſe clamavit. Attamen iſti etiam frequentibus ſatellitum ad eam rem delectorum manibus in os verberati, & ad ſilendum compulſi, in vultum quoque, & genas percuſſi, vi è medio extruſi fuerunt. Ita pietatis hoſtes omnino, vel videri effeciſſe, quod animo intendebant, permagno æſtimarunt.

Euſeb. hiſt. l. 8. c. 4. *Verùm contra Sanctos Martyres iſti perditi infidelium conatus neutiquam ex animi ſententiâ proceſſerunt. Infinitos enim videre licebat, qui admirabile ſtudium, & propenſionem animi pro vero Dei omnium fabricatoris cultu, & religione declararunt.*

Præter illam impiæ ſimulationis notam, quam Ethnici perſecutores inurere conabantur fidelibus, quamve Martyres liberâ, & intrepidâ mentis ſuæ conſtantiâ longiſſimè à ſe ablegabant; alia fuit iniqua ſimulatio, in quam modicæ fidei Chriſtiani abducebantur, cùm nollent quidem palàm Chriſtum negare, & idolis ſacrificare; tamen clanculùm, & ſecretis quibuſdam ſcriptis affirmabant ſe edictis Imperialibus obedire; atque propterea acceptis à magiſtratu libellis authenticis, immunes erant à perſecutione, ſicuti fuſiùs declaravi explanatione præcedenti, ad verſum decimum ſeptimum capitis decimi tertii Apocalypſis.

Verùm tunc temporis invicti Martyres nullâ prorſùs maculâ ſimulationis impiæ, ſive ab aliis, ſive à ſe ipſis ſunt fœdati: ita ut de unoquoque illorum poſſim dicere quod Cyprianus de Cornelio Pontifice Romano contra Novatianos pronuntiavit, *veriſſimè nullâ illum libelli labe maculatum fuiſſe*; ſed *immaculatam conſcientiam de confeſſione nominis Chriſti reportaſſe.*

Cypr. ep. 52. ep. 26.

EXPLANATIO LIV.

Exhortationis ad unius Dei cultum Angelicæ; excidii primariæ urbis Ethnicæ, Chriſtianorum perſecutricis; comminationis perpetuæ pœnæ idololatris infligendæ; & pollicitationis quietis æternæ Fidelibus, qui pro Chriſti causâ obierint, à verſu ſexto ad decimum tertium Capitis decimi quarti Apocalypſis.

VERS. 6. Et vidi alterum Angelum, volantem per medium Cœli, habentem Evangelium æternum, ut Evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.

℣. 7. Dicens magnâ voce, timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus; & adorate eum, qui fecit Cœlum, & terram, mare, & fontes aquarum.

℣. 8. Et alius Angelus ſecutus eſt, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potavit omnes gentes.

℣. 9. Et tertius Angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magnâ, Si quis adoraverit beſtiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte ſuâ, aut in manu ſuâ:

℣. 10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius; & cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum Sanctorum, & ante conſpectum Agni.

℣. 11. Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum; nec habent requiem die, ac nocte, qui adoraverunt beſtiam, & imaginem ejus, & ſi quis acceperit characterem nominis ejus.

℣. 12. Hîc patientia Sanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Jeſu.

℣. 13. Et audivi vocem de Cœlo dicentem mihi, Scribe, beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodò jam dicit ſpiritus ut requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos.

Verſ. 6. *Et vidi alterum Angelum, volantem.*

EA eſt Sanctorum Angelorum erga Deum charitas, eaque ipſorum erga homines benevolentia, ut illum vehementer cupiant ab omnibus coli; & horum, quos norunt ad illius imaginem conditos, ſalutem, quàm maximè efflagitent. Hinc Joannes videt Angelum fervore ejuſdem charitatis, & benevolentiæ

Digitized by Google

tiæ concitatum, celerrimè è Cœlo versùs terram progredi, quò ea, quæ Deo ſunt honorifica, hominibus autem ſalubria, annuntiet.

Ex ℣.6. *Per medium Cœli.*

Medium Cœli tenet beatus ille Angelus, ut ea, quæ indè quaſi è ſublimi ſuggeſtu prolaturus eſt, faciliùs ad circumſtantes auditores perveniant.

Ex ℣.6. *Habentem Evangelium æternum.*

Cùm Deus ſit ſumma bonitas, in homines ſummè propenſa, quidquid de Deo verè, ac ſincerè, quod hominibus proſit, annuntiatur, *Evangelium* eſt, ſeu bonum nuntium. Cùm etiam Deus ſit æternus, ſemper idem, nec unquam mutetur; veritas de illo annuntianda, *Evangelium* eſt *æternum*, ac immutabile, quale eſt illud: *Audi, Iſrael; Dominus*
Deuter.6. v.4.13.14 *Deus noſter, Dominus unus eſt.* Et iſtud, *Dominum Deum tuum timebis; & illi ſoli ſervies. Non ibitis poſt Deos alienos.* Animadvertit autem Joannes Angelum *habere Evangelium* illud *æternum*, quòd Angelus is præ ſe ferret quodammodò ſcripta illa divina oracula, quæ mox retuli, & proclamaturus erat; quemadmodùm in Eccleſiâ Chriſtianâ ſolet Diaconus præ ſe ferre librum Evangelii, quod è loco ſublimi in medio Eccleſiæ altâ voce prolaturus eſt cunctis ibi aſtantibus.

Ex ℣. 6. *Ut evangelizaret ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.*

Non Judæis tantùm, ſed etiam gentibus, & quarumvis nationum populis Angelus ille evangelizaturus erat Deum unum, creatorem omnium, ab omnibus terrarum incolis adorandum: *Hoc enim bonum eſt, &*
1. ad Tim. 2.v.3.4. *acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Verſ. 7. *Dicens magnâ voce, timete Dominum.*

Magnâ voce, quæ ab omnibus audiatur, præco ille Angelus omnes fortiter, ac ſuaviter adhortatur, ut Majeſtatem Dei ſummam revereantur; & juſtitiam illius piè, ſanctéque timeant.

Ex ℣.7. *Et date illi honorem.*

Uni etiam Deo vero, non falſis diis, Religioſum cultum, & adorationem impendebant.

Ex ℣. 7. *Quia venit hora judicii ejus.*

Futurum enim eſt, ut Deus, quem impii deſpiciunt, pii autem venerantur, utroſque judicet; ac perverſos debitis ſuppliciis addicat; juſtos verò, ac ſanctos ejus cultores immensâ gloriâ cumulet.

Ex ℣.7. *Et adorate eum, qui fecit Cœlum, & terram, mare, & fontes aquarum.*

Propterea, ſi ſapiant homines, ſuæque conſulant ſaluti, Deum unum, qui cuncta creavit, ac regit, adorabunt; eique ſoli, non inanibus diis, ac dæmonibus, ſervient.

Eâ celeſti voce Angeli admonita, ac roborata Sancta mulier Irene, glorioſo martyrio inſignita eſt, uti refert Baronius, ſub Galerio Maximiano;

ximiano: Cùm enim ab illâ petiiſſet Præſes, *Nùm parata es ſacrificiis veſci, & diis immolare? Reſpondit Irene, minimè, minimè, per Deum illum omnipotentem, qui creavit Cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt; ſumma enim illius ignis ſempiterni pœna propoſita eſt his, qui Ieſum Dei Verbum negaverunt.* Baron. an. Chr. 304. n. XLIV. XLV.

Verſ. 8. *Et alius Angelus ſecutus eſt illos, dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna.*

Nomine *Babylonis*, quæ antiquo populo Dei infenſa fuit, Romam tùm Ethnicam, novos Dei populos Chriſtianos perſequentem, intelligit ille Angelus: undè anteà Princeps Apoſtolorum Petrus, Româ ſcribens fidelibus Aſiæ, inquit, *ſalutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone coëlecta*; & Joannes inferiùs declarat illam *ſedere ſupra ſeptem montes*, qui ſunt ſeptem montes celebres Romæ. 1. Petr. 5. v. 14. Apoc. 17. v. 5. 9.

Iccirco autem dicitur *Babylon illa magna*, utpote notiſſima *Civitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ*, ſicuti ait Joannes alio loco. Apoc. 17. v. 18.

Ex ℣. 8. *Quæ à vino iræ fornicationis ſuæ potavit omnes gentes.*

Quatenùs inſano Deorum ſuorum, quibus ſeſe ſubjecit, amore percita, & in idolorum ſuorum contemptores Chriſtianos furens, omnes nationes ſibi ſubditas in eamdem pellexit inſaniam, & iram, ut & cultum Deorum ſuorum arctiſſimè complecterentur; & Chriſtianos unius veri Dei cultores uſque ad internecionem perſequerentur.

Ex ℣. 8. *Cecidit, cecidit.*

Verùm Chriſtiana Religio ſemper ſtabit, Salvatore ſuo illam protegente. Secùs Roma, ut Ethnica, illius perſecutrix atrociſſima, in pœnam impietatis ſuæ tàm certò cadet, ut more Prophetarum præterito ſignificantium futurum, Angelus dicat illam *cecidiſſe*; eamque vocem repetit, ad confirmationem indubitatæ veritatis, & in ſignum lætitiæ: *Cecidit, cecidit:* Nemo Civitatis illius potentiſſimæ, omniumque dominatricis caſum revocet in dubium: illum non ſemel, ſed bis conteſtatur verax Angelus, quemadmodùm Chriſtus, ipſamet veritas, voce *Amen* repetitâ confirmabat nonnumquam id, quod aſſerebat. Eamdem etiam ſententiam repetens Angelus Apocalypſis Capite decimo octavo, *cecidit, cecidit Babylon magna*, ſubjungit: *Exulta ſuper eam Cœlum, & Sancti Apoſtoli, & Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium veſtrum de illa,* quippe illam debitis pœnis affecit, quòd ſanguinem Sanctorum impiè fuderit. Apoc 18. v. 2. 10. 24.

Verſ. 9. *Et tertius Angelus ſecutus eſt illos, dicens voce magna, ſi quis adoraverit beſtiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua.*

Plectentur quoque, ut par eſt, qui Imperatores Ethnicos, beſtiæ nomine ſignificatos, adoraverint ut Deos; aut imagines illorum velut Deorum ſimulacra coluerint; ac ſignum certiſſimum idololatriæ præ ſe habuerint, vel ſacrificando idolis, vel eis thurificando, aut libando; vel à magiſtratibus iniquis accipiendo libellos ſecuritatis, uti explana-

tione quinquageſimâ ſecundâ ultimorum verſuum Capitis præcedentis oſtendi.

Verſ. 10. *Et hic bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius.*

Pſ. 74. v. 5. 6. 8. 9. Dicebat Pſalmiſta iniquis, *nolite iniquè agere; nolite loqui adversùs Deum iniquitatem; quoniam Deus Iudex eſt, quia calix in manu Domini, vini meri plenus miſto; bibent omnes peccatores terræ.* Hunc ad locum Pſalmiſtæ alludens Angelus ait, eos, qui in cultu inanium Deorum, & in Chriſtianorum perſecutione, ſectati fuerint inſaniam, & furorem Babylonis Magnæ, ſeu Romæ Ethnicæ, *quæ à vino iræ fornicationis ſuæ*, ut explicatum eſt, *potavit omnes gentes*, bibituros de vino puriſſimo, ac meraciſſimo iræ divinæ, quæ ſic in illos effundetur, ut eâ impleantur; tantaque mala patiantur, ut obſtupeſcant; ac more ebriorum, inopes animi, ac conſilii neſciant quò ſe vertant, ut parata ſibi tormenta tantiſper effugiant, vel declinent.

Ex ỿ. 10. *Et cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum Sanctorum, & ante conſpectum Agni.*

Quippe Chriſti Domini, cujus, ut Agni quondam pro illis immolati, manſuetudinem contempſerunt, juſtâ ſummi judicis ſeveritate, & coram Sanctis Angelis ei aſſiſtentibus, necnon ejus judicia ſanctiſſima demirantibus, cremabuntur igne inextinguibili; & æternos, nec umquam intermittendos dolores patientur: undè ſubditur,

ỿ. 11. *Et fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum; nec habent requiem die, ac nocte, qui adoraverunt beſtiam, & imaginem ejus, & ſi quis acceperit characterem nominis illius.*

S. Cypr. ep. 56. Cùm hæc ſatis ſuperque anteà explicuerim, adnotabo dumtaxat hunc, & duos præcedentes verſus à Sancto Cypriano ad perſecutionem, quæ illius tempore graſſabatur, referri, cùm Thibaritanos ad Martyrium exhortatur.

ỿ. 12. *Hic patientia Sanctorum eſt, qui cuſtodiunt mandata Dei, & fidem Ieſu.*

Illis perſecutionibus Ethnicorum atrociſſimis, Chriſtiani ad ſanctitatem vocati, qui mandata Dei, illud præſertìm de adorando uno Deo, edictis Imperialibus cultum plurium Deorum præcipientibus, antepoſuerint, & Jeſum Chriſtum, Filium Dei, ac Deum confeſſi fuerint, multa ab iniquis infidelibus, quorum impietatem erunt deteſtati, peracerba tormenta patientur: Sed patientia illorum magnis in Cœlo præmiis decorabitur.

ỿ. 13. *Et audivi vocem de Cœlo dicentem mihi, ſcribe: Beati, qui in Domino moriuntur.*

Ethnici, terrena dumtaxat cogitantes, reputant miſerrimos, & infeliciſſimos Chriſtianos, qui propter unum Deum, quem colunt, & propter Chriſtum, in quem credunt, conſentiunt omnibus præſentis vitæ bonis externis privari, & cunctis malis obrui. Sed vox ad Joannem è

Cœlo

Cœlo perlata eſt veraciſſima, beatitudinem omnium bonorum aggregatione perfectam aſſignans iis, qui propter Deum, & Chriſtum occumbunt.

Beati, qui in Chriſti Domini fide, ſpe, & charitate *moriuntur.*

Beati, qui ſupremum diem obeunt eo in ſtatu, in quem propter Chriſtum adacti ſunt, ſive in exilio; ſive in vinculis; ſive in penuriâ; ſive in tormentis; ſeu in terrâ; ſeu in mari; ſeu in igne.

Beati, qui obitu ſuo configurantur morti Chriſti, ita ut, ſicuti Chriſtus eapropter mortem paſſus eſt, quòd teſtimonium perhibuerit veritati, aſſerens ſe eſſe Filium Dei, ſic ipſi interficiantur, quia Chriſtum verè eſſe Dei Filium liberè, & intrepidè confeſſi ſint.

Ex ℣. 13. *Amodò jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis.*

Quanta felicitas, inquit Lactantius, *exiſtimanda eſt, ſubtractum his laibus terra proficiſci ad illum æquiſſimum Judicem, parentemque indulgentiſſimum, qui pro laboribus requiem, pro morte vitam, pro tenebris claritatem, pro terrenis, ac brevibus bonis æterna, & cœleſtia largiatur! Cum quâ mercede acerbitates, ac miſeriæ, quas perpetimur in hoc mundo, facientes opera juſtitiæ, conferri, & coæquari nullo modo poſſunt.* Hæc Lactantius. Lactant. Inſtit. l. 7. c. 27.

Bernardus autem animæ jam requiem cœleſtem poſſidenti ait; *Dùm in corpore mortis Domino militares, nulla requies erat, tùm pro labore certaminis; tùm pro periculo exitus adhuc incerti. Hinc excitabat tumultus tentationum; indè ſuccumbendi metus graviùs ſollicitabat. Habebat tamen & tunc gloriam miles Chriſti, licet & requiem non haberet.* Bern. in feſto Sanct. omn. ſer. 2.

Iam verò nemo parvam aliquam requiem ſuſpicetur eorum, qui ab omni penitùs moleſtiâ liberi, recogitant annos ſuos in dulcedine animæ ſuæ; lætantur pro diebus, quibus humiliati ſunt, annis, quibus viderunt mala: Cum jucundâ admiratione, & mirâ jucunditate conſiderant pericula, quæ evaſerunt; labores, quos pertulerunt; certamina, quæ vicerunt; & pro his omnibus certâ, & indubitatâ fide expectant beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris ſui, qui reſuſcitabit corpora eorum configurata proprii corporis claritati.

Quanta eſt felicitas eorum, quàm immenſâ lætitia, qui nimirùm triplici gaudio, de recordatione tranſactæ virtutis, de exhibitione præſentis quietis, de certâ expectatione futuræ conſummationis, exultant! Iſta Bernardus.

Ex ℣. 13. *Opera enim illorum ſequuntur illos.*

Quiſque, ait Lactantius, *dùm licet, ſe ad Deum totâ mente convertat, ut illum diem ſecurus expectet, quo Præſes, Dominuſque mundi, Deus de ſingulorum factis, cogitationibuſque judicabit. Quæcumque hìc expetuntur, non negligat, ſed fugiat; potioremque animam ſuam judicet, quàm bona iſta fallacia, quorum incerta, & caduca poſſeſſio eſt: migrant enim quotidie; & multò velociùs exeunt, quàm intraverant; & tamen, ſi nobis uſque ad ultimum liceat iſtis frui, aliis certè relinquenda ſunt. Nihil nobiſcum ferre poſſumus, niſi vitam benè, atque innocenter actam. Ille ad Deum copioſus, ille opulentus adveniet, cui aſtabunt continentia, miſericordia, patientia,* Lactant. Inſtit. l. 7. c. 27.

charitas, fides. Hæc eſt hereditas noſtra, quæ nec eripi cuiquam, nec transferri ad alterum poteſt.

Intendamus ergo juſtitiæ, quæ nos inſeparabilis comes ad Deum ſola perducet; & dùm ſpiritus hos regit artus, infatigabilem militiam Deo militemus: Stationes, vigiliaſque celebremus: congrediamur cum hoſte, quem novimus, fortiter; ut victores, ac devicto adverſario triumphantes, præmium virtutis, quod ipſe promiſit, à Domino conſequamur.

EXPLANATIO LV.

Septem poſtremis verſibus Capitis decimi quarti Apocalypſis, oſtendens ſub figuris meſſis, & vindemiæ, victorias, quas Conſtantinus eodem anno reportavit de exercitibus Maxentii, primùm apud Taurinos, & Veronam; deindè prope Romam.

VERS. 14. Et vidi; & ecce nubem candidam, & ſuper nubem, ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſuâ falcem acutam.

℣. 15. Et alius Angelus exivit de templo, clamans voce magnâ ad ſedentem ſuper nubem, mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit meſſis terræ.

℣. 16. Et miſit, qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam in terram; & demeſſa eſt terra.

℣. 17. Et alius Angelus exivit de templo, quod eſt in Cœlo, habens & ipſe falcem acutam.

℣. 18. Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat poteſtatem ſuper ignem; & clamavit voce magnâ ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam; & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ ſunt uvæ ejus.

℣. 19. Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram,

&

& vindemiavit vineam terræ, & miſit in lacum iræ Dei magnum.

℣. 20. Et calcatus eſt lacus extra Civitatem; & exivit ſanguis de lacu uſque ad frenos equorum per ſtadia mille ſexcenta.

Verſ. 14. *Et vidi; & ecce nubem candidam, & ſuper nubem, ſedentem ſimilem Filio hominis; habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſuâ falcem acutam.*

DUM Chriſtus apparuit *in monte reſplendens ſicut ſol, nubes lucida obumbravit eos* diſcipulos, qui tùm ei aſtabant; & cùm *elevatus eſt in Cœlum, nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum,* venturum rursùs in nube, ut mundum judicet. Ita nunc Joanni apparet *nubes* candore lucis ei affuſæ nitens; & *ſuper nubem* illam Angelus vultum, totiuſque corporis mutuati habitum præferens, lineamentis, decore, majeſtate, & gloriâ ſimilem Chriſto, ſummo omnium Judici, qui tametſi eſſet Filius Dei, Filium hominis perſæpe ſeſe nuncupavit, quòd per Spiritum Sanctum ex Mariâ Virgine propter homines humanam naturam ſumpſiſſet. Matth. 17. à v. 1. ad 5. Act. 1. v. 9.

Inſignitur autem is Angelus coronâ aureâ, quippe qui exhibeat Chriſtum Regem Regum, *gloriâ, & honore coronatum*; geſtatque *falcem acutam*, quòd cæſurus ſit tot hoſtes, & tantâ facilitate, quot, & quantâ ſpicas meſſor ſuccidit. ad Hebr. 2. v. 9.

Verſ. 15. *Et alius Angelus exivit de templo, clamans voce magnâ ad ſedentem ſuper nubem.*

Alter Angelus à contemplatione Divinæ Majeſtatis ad curam rerum terreſtrium zelo Dei progreſſus, exire videtur è templo Cœleſti; & cùm probè noverit juxta voluntatem Domini imminere tempus impios dæmonum cultores profligandi, & Chriſtianos perſecutionibus vexatos aſſerendi in placidiſſimam, & ſanctiſſimam libertatem, Angelum illum, qui perſonam Domini agit, precatur ardenti zelo, ac voce vehementi, ut erectos ſuperbiâ, & impietate complures Ethnicos demetat, ſternat, ac dejiciat. Quæſo, inquit.

Ex verſ. 15. *Mitte falcem tuam, & mete.*

Dudùm juſtitiam tuam continuiſti apud te: exere jam illam in hoſtes tuos. Satis, ſuperque patiens fuiſti: injurias tibi, tuiſque illatas ulciſcere. Multo tempore ſediſti, quaſi expectans nùm reſipiſcerent homines flagitioſiſſimi: non reſipiſcunt; aſſurge; eoſque debitis pœnis affice, ut cæteri timorem Sanctiſſimi tui nominis habeant. *Mete*; & ſuccide homines illos nequam, quorum non eſt numerus: *ut quid* enim tandiù *terram occupant?* Luc. 13. v. 7.

Ex ✠. 15. *Quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit meſſis terræ.*

Aruerunt ardore libidinis, æſtu iracundiæ, ignibus ſubterraneis, ac tartareis, qui in ipſis omnem inſitæ virtutis cujuſcumque humorem abſumpſerunt, ita ut in illis nullus ampliùs viror, nec ulla ſpes melioris frugis videatur. Succide illos igitur; & mete: nè differas: maturavit plùs æquo meſſis illa iniqua, & impia: non effugiat ulteriùs falcem juſtitiæ tuæ; ſed protinùs ſub eâ ſuccumbat.

Sic olim Propheta Joël juxta ſenſum hiſtoricum, (nec enim de allegorico, vel anagogico nunc loquor) variarum gentium, quæ populum Iſraëliticum graviter afflixerant, prædicens ſtragem, aiebat: *Sedebo,* Joel. 3. v.12.13. *ut judicem omnes gentes in circuitu. Mittite falces, quoniam maturavit meſſis, quia multiplicata eſt malitia eorum.*

Verſ. 16. *Et miſit, qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam in terram, & demeſſa eſt terra.*

Precationi Angelicæ, quam ex Joanne retuli, aſſenſit Angelus is, quem antè animadverti ſpecie quâdam venerandâ Chriſtum exhibere; & ſuccidit tùm ſuâ virtute, tùm Conſtantini Magni adminiculo, numeroſiſſimos Maxentii, Romæ tyrannidem exercentis, milites, ex quorum cæde oritura erat tranquillitas Chriſtianæ Religionis.

Sanè quàm plurimi milites, in campo ſtantes, erecti, denſati, longè, latèque diffuſi, non ineleganter ſpicis è terrâ ſursùm porrectis, & campum opplentibus comparantur.

Sicuti autem ſternuntur ſpicæ, dùm metuntur: ita victores, eos, quos in prælio vincunt, ac trucidant, in terram dejiciunt; ac, quemadmodùm ſectæ ſpicæ excutiuntur poſteà, ut ex eis grana, quæ ſuis in folliculis concluſa aſſervabant, auferantur: ſic conſuetum eſt victoribus proſtratos milites perſcrutari, ut quidquid in eis pretioſum, vel utile repererint, tollant.

Præterea quantamcumque ſpicarum copiam meſſores demetant, non ipſi truncantur, vel excidunt; ſed diſſectis innumeris ariſtis, ac proſtratis, ſtant incolumes.

Iſai. 9. v. 3. Quin etiam, *ſicut lætantur in meſſe, ſic exultant victores captâ prædâ, quando dividunt ſpolia.*

Nazar. paneg. 1. Conſtant. c. 3. Nazar. 2. paneg. c. 22. 24. 25. 26. At Nazarius Conſtantino inquit: *Vix quartâ parte exercitus contra centum millia armatorum hoſtium Alpes tranſgreſſus es. Cùm autem apud Taurinos campum latè jacentem tantus miles oppleret, ad unum interfectis, omnibus tuis integris, horrorem armorum ad miraculum victoriæ tranſtulerunt, quòd qui invulnerabiles habebantur, ſine tuorum vulneribus interiſſent.*

Poſtmodùm *Verona, freta immanibus copiis, factâ pugnandi copiâ, pœnas eruptionis temerariæ pependerunt. Ruricius quoque Tyrannicorum Ducum columen, magnâ ſuorum clade rejectus in mœnia, cùm adhuc mente veſanâ ſe Veronâ proripuiſſet, novos egit exercitus; ſed furorem ejus mors domuit.*

Tu

Digitized by Google

Tu verò, Imperator, non intutior tempore, quàm à Deo tectior, prælio vix multâ nocte confecto, feſſus cadibus, anhelus ex bello, cruore oblitus, ſed hoſtili, ad obſidionis vigilias recurrebas. Hæc Nazarius.

Tanta autem hoſtium ſtrages edita eſt Divinâ virtute Chriſti, cujus ſalutare ſignum, promiſſæ ſibi victoriæ indicium, Conſtantinus præ ſe ferebat. Viſi ſunt etiam Cœleſtes exercitus ſuppetias pio Imperatori adverſùs hoſtes attuliſſe, quemadmodum refert Nazarius. Nazar. 2. paneg.

Quamobrem verè impleta eſt Joannis Prophetia, quòd *ſimilis Filio hominis Angelus, qui ſedebat ſuper nubem candidam, coronam auream habens, miſit falcem ſuam in terram; eamque demeſſuit*, tot Ethnicis, Divini cultus, & Chriſtianæ Religionis hoſtibus proſtratis. c. 14. 19.

Verùm, cùm alii hoſtes aliis locis Maxentio tyranno adhuc militantes ſupereſſent, alio etiam prælio, & eodem anno, ut brevi omnes interirent, proculcandi erant; eorumque ſanguis fundendus erat: Quod mirum in modum ſub figurâ vindemiæ, & verbis rei, uti peracta eſt, quàm maximè congruis, deſcribit Joannes, proſecutus, quam inceperat imitari, Prophetiam Joëlis, prædicentis gentium plurimarum ſtragem: *Mittite*, inquit, *falces, quoniam maturavit meſſis. Venite, & deſcendite, quia plenum eſt torcular; exuberant torcularia, quia multiplicata eſt malitia eorum.* Joël. 3. v. 13.

Verſ. 17. *Et alius Angelus exivit de templo, quod eſt in Cœlo, habens & ipſe falcem acutam.*

Angelus ille laudat Deum in templo Cœleſti, & prodit ex illo armatus falce acutâ, quâ magnum numerum Ethnicorum adverſantium Deo ſuccidat, & quò verbis Jeremiæ utar, *vindemiet, ut locutus eſt Dominus in die furoris ſui.* Non tantùm plebeios, ſed etiam nobiles cædet. Milites, & duces profligabit; totumque delebit exercitum; nec ipſi Imperatori impio parcet. Lament. 1. v. 12.

Verſ. 18. *Et alius Angelus exivit de altari, qui habebat poteſtatem ſuper ignem.*

Poſteaquàm Deus igne Cœleſti primas victimas ſibi in tabernaculo Moyſis oblatas conſumpſit, præcepit, ut *ignis* ille *in altari* holocauſtorum *ſemper arderet* curâ Sacerdotum; *eſſetque perpetuus; nec umquam deficeret.* Hi autem ritus ex Apoſtolo erant *umbræ Cœleſtium.* Quamobrem Angelus aſſeritur in templo Cœleſti præpoſitus, ut foveat ignem Divinum, in quo cremeentur hoſtiæ Deo gratiſſimæ. Levit. 6. v. 12. 13. ad Heb. 8. v. 5.

Sed, quia hujuſmodi victimarum Sanctarum innumerabilis multitudo, ex perſecutionibus Ethnicorum, ac præcipuè ex poſtremis Diocletiani, & Maximiani, combuſta eſt; etſi tot innocuatum propter ignem Cœleſtem, qui Sanctos Martyres adurebat, hoſtiarum odor ſuaviſſimus fuerit Divinæ Majeſtati: tamen, cùm perſecutores illi atrociſſimi nonniſi perdere, ac prorſùs delere Chriſtianam Religionem ſibi proponerent, æquitatis Divinæ ratio poſtulabat, ut qui tanto ſceleri aſſentiebant, mactarentur; funderetúrque ſanguis illorum, tanquam victima-

rum

Digitized by Google

rum juſtæ iræ Dei immolatarum, ſicuti videre eſt apud Sophoniam, cùm
Soph. 1. v. 7. 8. ait, *Præparavit Dominus hoſtiam. In die hoſtia Domini, viſitabo ſuper Principes, &c.*

Ex ✠. 18. *Et clamavit voce magnâ ad eum, qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ ſunt uvæ ejus.*

Ardens zelo Divinæ juſtitiæ Angelus is commovit alterum Angelum, ut Ethnicorum Maxentio, Maximiani Herculii proli iniquæ, militantium ingentem multitudinem perimeret; idque ipſi verbis ex vindemiâ tranſlatis, quæ propoſitâ ſunt, ſignificat. Quaſi diceret, incide botros illius
ad Philip. 3. v. 19. vineæ infidelis, ac plenæ iniquitate. Obeſi ſunt comeſſatione, & crapulâ impii illi, *quorum Deus venter eſt; & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt*; ac iccirco oportet ut *finis* illorum *ſit interitus.* Turgeſcunt divitiis malè partis: inflantur honoribus ſceleſtis: abundant
ad Rom. 1. v. 29. 30. voluptatibus obſcœnis: denique *repleti ſunt omni malitiâ, & nequitiâ; Deoque odibiles*; nec ampliùs ab illo tolerandi.

Euſeb. hiſt. l. 8. c. 16. Tales erant Maxentiani; nam ex Euſebio, *Maxentius Romæ tyrannidem exercens, nullum impietatis, nullum intemperantiæ facinus prætermiſit: Et quodam tempore, levi admodùm occaſione arreptâ, populum in cædem ſatellitibus ſuis expoſuit; infinitaque populi Romani multitudo in mediâ Civitate, non Scytharum, non Barbarorum, ſed domeſticorum ſuorum haſtis, & armis cujuſque generis, miſerè trucidata eſt. Quanta cædes facta ſit; qui Senatorum, propter inſidias, quæ ipſorum parabantur divitiis, erant, nunc uno, nunc alio crimine falſo in eos conficto, è medio ſublati, vix percenſeri poteſt. Ad extremum verò, iſtius ſcelera delabebantur ad magicarum præſtigiarum commenta; quippe interdùm mulieres gravidas diſſecuit: nonnunquàm tenerorum infantium ſcrutatus eſt viſcera: infandas non rarò adjurationes ad Dæmones excitandos, quò illorum ſubſidio bellum ingruens depelleret, averteretque, uſurpavit.* Hæc Euſebius.

Verſ. 19. *Et miſit Angelus falcem ſuam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ.*

Libenter perfecit Angelus, quod ei mandatum eſt ab altero Angelo authoritate Divinâ. Injuriarum Deo illatarum æquiſſimus vindex, præfatam Infidelium vineam, iniquitate refertam, vindemiavit, cùm effecit, ut Conſtantinus Maxentii milites innumeros ultimo certamine obtruncaret.

Ex verſ. 19. *Et miſit in lacum iræ Dei magnum.*

Peritiſſimorum Grammaticorum judicio, & uſu, *lacus dicitur, non tantùm locus profundus cum aquis perpetuis ibidem natis, ſed etiam vas amplum, in quod muſtum pedibus, prælove expreſſum influit.* Quare Joannes metaphoram vindemiæ proſequens, ait Angelum, poſtquàm præſignificatos botros, nempe Maxentianos milites, omni nequitiâ turgidos, ſuccidit, *miſiſſe* illos *in lacum iræ Dei magnum*, hoc eſt, in vaſtam foveam, ubi conculcarentur, tanquam uvæ in torculari; ibique fuſus illorum

lorum

Digitized by Google

lorum ſanguis in pœnam iniquitatum, quibus iram Dei provocarant, copiosè flueret.

Sic apud Iſaïam cæſis Idumæis Dominus ait: *Ego, qui loquor juſtitiam, torcular calcavi: calcavi eos in furore meo; & conculcavi eos in irâ meâ; & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea.* Iſai. 63. v. 1. 3.

Verſ. 20. *Et calcatus eſt lacus extra Civitatem, & exivit ſanguis de lacu.*

Locus, in quo fuſus fuit ultimo prælio à Conſtantino innumerorum militum Maxentianorum ſanguis, fuit extra Romam. Nam ex Zoſimo, *Conſtantinus cum exercitu Romam uſque progreſſus, ante urbem caſtra metabatur in campo, qui latè patet, & equitatui eſt opportunus. Cùm verò Maxentius ex urbe copias produxiſſet, jamque pontem, quem ipſe junxerat, tranſiiſſet, ſuis Conſtantinus, ut aciem ſtruerent, imperabat. Cùm exercitus utrinque cornibus adverſis ſtarent, equitatum Conſtantinus immiſit. Is equitatum hoſtilem adortus, fudit. Peditibus quoque ſigno ſublato, ritè, compoſiteque in hoſtem illi tendebant;* ac Maxentianorum *militum innumerabilis quædam multitudo cecidit, tùm ab equitibus proculcata, tùm à peditibus interempta.* Zoſim. l. 2.

Itâ ex Zoſimo, Conſtantinus, ejuſque exercitus victor, tùm equitibus ſuis, tùm peditibus proculcavit devictum Maxentii exercitum; ejuſque ſanguinem fudit extra Civitatem Romam, uti Joannes prædixerat.

Sed quòd etiam, juxta ejuſdem vaticinium, locus, in quo magna pars ſanguinis Maxentianorum fuſus eſt, fuerit *lacus*, ſeu profunda fovea extra Romam, facile eſt ex hiſtoricis probare. Etenim, *cùm* ex Ruffino, *non procul à ponte Milvio caſtra poſuiſſet Conſtantinus*, Nazarius aſſerit *Maxentium apud Tiberim ſuos inſtruxiſſe ſic ripa locatos, ut ultimorum veſtigia, præſagio quodam eventuræ cladis, unda fatalis allueret; ità verò multitudine ſuppeditante, ut ultra quàm viſus agi poſſet, extenta acies pertineret.* Ruffin. hiſt. l. 9. c. 9. Nazar. 2. paneg. Conſtant. c. 28.

At, teſte Suetonio, *Domitianus edidit navales pugnas penè juſtarum claſſium, effoſſo, & circumſtructo juxta Tiberim lacu.* Nunc quoque egreſſis Româ per pontem Milvium ad dexteram patet prope Tiberim ille lacus, ſeu campus effoſus, quem ego ipſe ſicco pede petranſivi, cùm Româ proficiſcerer ad ſacras ædes Beatæ Virginis Lauretanas. Sueton. in Domitiano, c. 4.

Eo itaque in lacu, ſive campo extrà Romam juxta Tiberim, & poſt pontem Milvium, effoſſo, ubi magna pars exercitus Maxentiani inſtructa fuerat in aciem, cæſa fuit, calcata, & enecata cum tanto cruore, ut ſanguis illius copioſiſſimè fluxerit: unde Joannes ait,

Ex verſ. 20. *Et exivit ſanguis de lacu uſque ad frenos equorum.*

Nimirùm, tàm copioſus ſanguis hoſtium fuſus eſt eo in lacu, & loco effoſſo, ut profluxerit, & redundaverit non tantùm uſque ad frenos equorũ, victi exercitus Maxentiani in terram dejectorum, & cæſorum, ſed etiam uſque ad frenos equorum victoris exercitus Conſtantiniani. *Equus* enim,

Hervéus in Apocalypſim.

 ut

Job. 39. v. 19. 21. 22. 24. ut deſcribit ipſemet ejus Cteatot, libro Job, *terram ungulâ fodit; exultat audacter; in occurſum pergit armatis; contemnit pavorem; nec cedit gladio; fervens, & fremens ſorbet terram.* Quidni igitur Equitatus Conſtantini victor fervens, ac fremens ſorberet aliquatenùs profluentem copioſiſſimè hoſtium ſanguinem; ac ſic tingetentur eo equotum freni?

Ex verſ. 20. *Vſque ad frenos equorum per ſtadia mille ſexcenta.*

Operæ ptetium eſt adnotate, has voces, *mille ſexcenta*, juxta conſtructionem Græcam poſſe referri, & ad equos, & ad ſtadia, ita ut ſint equi mille ſexcenti, & ſtadia mille ſexcenta. Nam Græcum ſic ſe habet, *ἄχρι τῶν χαλινῶν τῶν ἵππων ἀπὸ σαδίων χιλίων ἑξακοσίων*: quaſi ſi quis hæc verba hoc modo traduceret, *uſque ad frenos equorum, ſpatio ſtadiorum mille ſexcentorum*: ſiquidem cùm voces illæ, *equorum, & ſtadiorum*, eſſent tunc, ſicuti apud Græcum, in genitivo caſu, manifeſtum foret voces illas ſequentes, *mille ſexcentorum*, poſſe non tantùm ad vocem ptoximam *ſtadiorum*, ſed etiam ad antecedentem *equorum*, referri, juxta uſum Scripturæ Sacræ, quæ hyperbatis, ſeu tranſpoſitionibus frequenter utitur; & ex participatione intellectus Divini plutes ſenſus unâ ſententiâ mitabiliter complectitur.

Iſtis prænotatis, ſi voces hæ, *mille ſexcentorum*, referantur ad illam *equorum*, alluſiſſe mihi videtut Joannes ad victoriam, quam Judas Machabæus conſecutus eſt in Lyſiam propinquum Regis Antiochi Eupatoris. Lyſias enim, ut dicitur libro ſecundo Machabæorum, *congregatis octoginta millibus, & equitatu univerſo, veniebat adversùs Iudaos.*
L. 2. Machab. c. 11. *Ingreſſus autem Iudæam, & appropians Bethſura, qua erat ab Ieroſolymâ intervallo quinque ſtadiorum, illud præſidium expugnabat. Machabæus autem, & qui cum eo erant, ope Domini, & Angeli, quem invocarunt, quique apparuit precedens eos velut eques in veſte candidâ, armis aureis haſtam vibrans, leonum more, impetu irruentes in hoſtes, proſtraverunt ex eis undecim millia peditum, & equitum mille ſexcentos*: indeque libertatem Civitatis Jeruſalem, ac Templi obtinuerunt ab ipſo Lyſiâ, & Antiocho Eupatote.

Quod cùm ita ſit, Beatus Joannes, luce ſapientiæ Divinæ illuſtratus, his vocibus, *equorum mille ſexcentorum*, innuere mihi videtur ſe comparare victoriam Conſtantini in Maxentium, victoriæ Machabæi in Lyſiam. Et ſanè, pugnatum eſt intet Machabæum, & Lyſiam prope Jeroſolymam: Dimicatum eſt inter Conſtantinum, & Maxentium prope Romam. Adjuvit Dominus miniſterio Angeli Machabæum: Auxiliatus eſt quoque Conſtantino Angelorum ope, ut ex
Nazar. 2. paneg. c. 7. 14. 20. 29. Nazario patet, & dudùm retuli. Aſſecutus eſt ex victoriâ ſuâ Machabæus libertatem Civitatis, & Templi Jetuſalem: libertatem etiam victor Conſtantinus conciliavit Romæ, & Chriſtianis Eccleſiis. Quippe
Euſeb. hiſt. l. 9. c. 8. ex Euſebio, *Romam ingreſſus, non omnino clamore, & applauſu populari commotus, non laudum elatus præconio, ſed ſubſidii à Deo allati admodùm conſcius, confeſtìm paſſionis Servatoris trophæum in manu*

propria

Digitized by Google

propria ſua ſtatua, & imaginis collocari mandat in celeberrimo loco totius urbis, cum eâ inſcriptione in baſi.

HOC SALUTARI SIGNO, VERO FORTITUDINIS INDICIO, NOSTRAM CIVITATEM TYRANNI JUGO LIBERAVI.

Quin etiam *Deum omnium bonorum, quæ ipſi obtigerant, authorem collaudat; & legem pro Chriſtianis abſolutiſſimam, accuratiſſimamque conſcribit.*

Videtur etiam nunc Romæ Arcus Triumphalis à S.P.Q.R. dicatus Conſtantino, cum his titulis, LIBERATORI URBIS, FUNDATORI QUIETIS.

Quòd ſi præfatus *mille ſexcentorum* numerus *ad ſtadia* referatur, arbitror Joannem dixiſſe, quòd *exivit ſanguis per ſtadia mille ſexcenta*, ut ſignificaret tantam fuiſſe cædem hoſtium Maxentianorum à Conſtantino, quanta fuit adverſariorum à Machabæo variis præliis, libro ſecundo Machabæorum, capite duodecimo, recenſitis, in quorum enarratione referuntur *ſtadia mille ſexcenta, & unum.*

Quippe citato capite, dicitur verſu nono, quòd *Judas Machabæus Iamnitis nocte ſupervenit; & portum cum navibus ſuccendit; ita ut lumen ignis appareret Ieroſolymis à ſtadiis ducentis quadraginta.* 2. Mach. c. 12.

Verſu autem decimo, *indè cùm jam abiiſſent novem ſtadiis, auxilio Dei, Arabum quinque millia, & equites quingentos vicit.*

Et verſu decimo ſexto, *captâ Civitate Caſphin per Domini voluntatem innumerabiles cædes fecit, ita ut adjacens ſtagnum ſtadiorum duorum latitudinis, ſanguine interfectorum fluere videretur.*

At verſu decimo ſeptimo, *indè diſceſſerunt ſtadia ſeptingenta quinquaginta.*

Atque ex verſu decimo nono, *peremerunt decem millia viros.*

Porrò à verſu vigeſimo ad vigeſimum octavum, *cùm cohors Iudæ prima apparuiſſet, timor hoſtibus, centum viginti millia peditum, equitumque duo millia quingentos habentibus, incuſſus eſt ex præſentiâ Dei; & in fugam verſi ſunt, alius ab alio, ità ut magis à ſuis dejicerentur. Iudas autem proſtravit ex eis triginta millia virorum, & egreſſus eſt ad Carnion urbem, interfectis viginti quinque millibus. Poſt horum fugam, & necem, movit exercitum ad Ephron; & cùm Omnipotentem invocaſſent, ceperunt Civitatem, & ex eis, qui intùs erant, viginti quinque millia proſtraverunt.*

Denique, verſu vigeſimo nono, *indè ad Civitatem Scytharum abierunt, quæ ab Ieroſolymis ſexcentis ſtadiis aberat.*

Jam ſi quis in unum colligat omnia ſtadia illo capite recenſita, nempe v. 9. ſtadia 240. v. 10. ſtadia 9. v. 16. ſtadia 2. v. 17. ſtadia 750. & v. 29. ſtadia 600. reperiet mille ſexcenta ſtadia, & unum.

Joannes autem hoc Apocalypſis loco, quem interpretor, prætermiſit

Aaa 2 unum

Digitized by Google

unum ſtadium; & appoſuit dumtaxat completum numerum ſtadiorum *mille ſexcentorum*: ſic verò ſummatim ſignificavit non minorem hoſtium Maxentianorem ſtragem à Conſtantino editam, quàm fuerat confecta variorum adverſariorum à Judâ Machabæo variis prælis, in quorum enarratione numerantur *ſtadia mille ſexcenta.*

Et reverà, citato libro ſecundo Machabæorum, Capite duodecimo, ab eo verſu nono, quo incipiunt referri ſtadia, uſque ad vigeſimum nonum, quo complentur ſtadia mille ſexcenta, comperio tot milites à Judâ Machabæo victos, & diſtinctè nominatos, quot ex copiis Maxentii juxta Zoſimum Conſtantinus ſuperavit ultimo prælio.

L. 2. Machab. c. 12. Etenim citati capitis v. 10. *Judas vicit Arabum quinque millia, & equites quingentes.*

Verſ. 19. *Qui erant duces cum Machabæo peremerunt decem millia viros.*

Verſ. 20. *Machabeus adversùs Timotheum proceſſit habentem ſecum centum viginti millia peditum, equitumque duo millia quingentos; & proſtravit ex eis triginta millia.*

Verſ. 26. *Judas egreſſus eſt ad Carnion, interfectis viginti quinque n illibus.*

Verſ. 27. & 28. *Pòſt movit exercitum ad Ephron; & ceperunt civitatem; & ex eis, qui intùs erant, viginti quinque millia proſtraverunt.*

Quæ cùm ita ſint, ſi ex relatis verſibus jungantur diſtincti numeri in illis recenſiti, nempe ex verſu decimo, 5500. ex verſu decimo nono, 10000. ex verſu vigeſimo, 122500: neque enim referenda ſunt triginta millia tanquam diſtincta, quæ ibi dicuntur proſtrata; cùm ſint pars illorum centum viginti duorum millium quingentorum: ex verſu autem vigeſimo ſexto, 25000. & ex duobus ſequentibus verſibus adhuc 25000. exurget numerus totalis centum octoginta octo millium militum, tùm pedeſtrium, tùm equeſtrium, quos citatum caput duodecimum libri ſecundi Machabæorum refert expreſsè, & diſtinctè ſuperatos à Judâ Machabæo.

Zoſim. 1. At ex Zoſimo totus exercitus Maxentii *centum & ſeptuaginta millibus peditum, & decem atque octo millibus equitum conſtabat*, qui ſimul conjuncti, tùm pedites, tum equites, efficiunt etiam numerum centum octoginta octo millium Maxentianorum, quos ultimo prælio Conſtantinus vicit.

Prætereà, in illis præliis, quæ *mille ſexcentis ſtadiis* conjuncta ſunt, animadvertere eſt Judam Machabæum hoſtes, tùm pedites, tùm equites, alios interfeciſſe; alios ita fugaſſe, ut ipſi magis à ſuis fugientibus dejicerentur; alios tanto numero trucidaſſe, ut *ſtagnum adjacens ſanguine interfectorum fluere videretur.*

At Conſtantinus poſtremo certamine Maxentium ita profligavit, ut alios, tùm equeſtres, tùm pedeſtres trucidaverit; alios in tàm præcipitem fugam converterit, ut magna pars vel à fugientibus proſtrata ſit,

vel

Digitized by Google

vel in Tiberim proximum fuerit demerſa; ac demùm tot hoſtes peremerit juxta illum fluvium, ut copioſus ſanguis enecatorum in illius fluminis aquas profluxerit.

Undè Nazarius panegyrico primo Conſtantini, *ad primum aſpectum Maieſtatis tuæ, primumque impetum totius tui victoris exercitus, hoſtes territi, fugatique, & exceptis latrocinii illius primis auctoribus, qui locum, quem pugnæ ſumpſerant, texere corporibus, cæteri omnes in fluvium abiere præcipites, ut tandem aliquod cædis compendium feſſis tuorum dextris eveniret, cùm impios Tiberis hauſiſſet.* Nazar. 1. panegyr. Conſtant. c. 17.

Idem rurſùs panegyrico ſecundo, *Non commemorabo hic tectas continuis ſtragibus ripas; non oppletum acervis corporum Tiberim; & inter congeſtas altè cadaverum moles, ægro nixu, ac vix reluctantibus gurgitibus exeuntem; quodque illum ipſum Tyrannum, non mors virilis, ſed fuga turpis prodidit; & dignum ignaviâ, & ſævitiæ exitu fluctus ſanguinei necaverunt.* Nazar. 2. panegyr. c. 30.

Hæc dixi, referens numerum *mille ſexcentorum* ad vocem Græcam *ςαδίων*.

Verùm præter hæc attendo vocem Græcam ἀπὸ, quæ eſt in autographo, ſignificare *ab*. Quamobrem, cùm Joannes, temporum, & locorum Divinâ luce præſcius, dixerit, quòd *exivit ſanguis de lacu uſque ad frenos equorum à ſtadiis mille ſexcentis*, indicare voluit lacum, ſeu locum effoſſum juxta Tiberim,& prope Romam, ubi innumerorum Maxentii militum, à Conſtantino, ultimâ pugnâ ſignificatâ ſub ſpecie vindemiæ, profligatorum ſanguis copioſiſſimus effluxit, diſtare circiter *ſtadiis mille ſexcentis* à loco Veronæ proximo, ubi anteà cæſus fuerat ab eodem Conſtantino alius Maxentii exercitus eo certamine, quod deſcriptum eſt ſub meſſis figurâ.

Etenim, ſi uni milliari Italico tribuamus, ut ſolet, octo ſtadia, in mille ſexcentis ſtadiis erunt ducenta milliaria Italica. At Geographi à Veronâ uſque Romam aſſignant circiter ducenta quadraginta milliaria.

Sanctus autem Joannes non abs re detraxit quadraginta milliaria, quandoquidem uterque exercitus,Conſtantinianus,& Maxentianus numeroſiſſimus, pedeſtris, & equeſtris, haud dubiè in viciniâ Veronæ, & in proximitate Romæ complura milliaria occupabat, adeò ut ab extremo loco certaminis Veronenſis verſùs Romam, ad extremum, & proximum prælii Romani locum, non fuerint niſi circiter ducenta milliaria Italica, ideoque dumtaxat *ſtadia mille ſexcenta.*

Is verò numerus maximè placuit Beato Joanni propter arcana in eo contenta, & ex Machabæis deprompta, quæ oſtendunt inſignes ſimilitudines victoriæ Conſtantinianæ cum victoriis Judæ Machabæi, ſicuti à me, Deo dante, declaratum eſt.

Digitized by Google

EXPLANATIO LVI.

Capitis decimi quinti Apocalypſis, de Moyſi, & Agni Cantico, quod fideles ob victoriam Conſtantini, Maxentio in Tiberim demerſo, concinunt; & de ſeptem plagis poſteà infligendis, ut impietas Ethnica prorsùs deleatur.

VERS. 1. Et vidi aliud ſignum in Cœlo magnum, & mirabile, Angelos ſeptem, habentes plagas ſeptem noviſſimas: quoniam in illis conſummata eſt ira Dei.

℣. 2. Et vidi tanquam mare vitreum miſtum igne, & eos, qui vicerunt beſtiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus, ſtantes ſuper mare vitreum, habentes citharas Dei.

℣. 3. Et cantabant canticum Moyſi ſervi Dei, & canticum Agni, dicentes: Magna, & mirabilia ſunt opera tua, Domine Deus omnipotens: juſtæ, & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculorum.

℣. 4. Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum? quia ſolus pius es: quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam judicia tua manifeſta ſunt.

℣. 5. Et poſt hæc vidi, & ecce apertum eſt templum taberbernaculi teſtimonii in cœlo.

℣. 6. Et exierunt ſeptem Angeli habentes ſeptem phialas de templo, veſtiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

℣. 7. Et unum de quatuor Animalibus dedit ſeptem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in ſæcula ſæculorum.

℣. 8. Et impletum eſt templum fumo à Majeſtate Dei,

&

& de virtute ejus: & nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.

VERS. I. *Et vidi aliud ſignum in Cœlo magnum, & mirabile, Angelos ſeptem, habentes plagas ſeptem noviſſimas, quoniam in illis conſummata eſt ira Dei.*

SIGNUM illud Cœleſte *magnum* fuit, tùm propter præcellentes Angelos, eorumque perinſignem in Sacris Scripturis numerum ſeptenarium; tùm propter plagarum, quas inflicturi ſunt Ethnicis, acerbitatem ingentem.

Mirabile verò, quòd Deus, Eccleſiæ ſuæ vindex, plagas illas vehementes impiis inuſturus ſit præter illorum expectationem; tantâ autem luce tunc temporis demonſtraturus ſit Chriſtianorum virtutem, ut admirationi futura ſit iis, qui anteà illam perſequebantur.

Plagis etiam illis *noviſſimis*, poſt devictum Maxentium infligendis, dicitur *conſummata ira Dei*, nempè adversùs Ethnicæ ſuperſtitionis Imperatores, populos, & urbes.

Sicuti hæc perſpicuè patebunt explanatione capitis ſubſequentis.

Interim videt Joannes quas laudes referant Chriſtiani Chriſto Domino, quòd Divinâ illius virtute Conſtantinus ſuperaverit Maxentium, profligato ſuo exercitu demerſum in Tiberim.

Verſ. 2. *Et vidi tanquàm mare vitreum, miſtum igne.*

Exhibetur Joanni ſpecies quædam, & ſimilitudo maris Erithræi, ſeu Rubri, quod *Vitreum* appellat ob pelluciditatem aquæ illius; *& miſtum igne*, propter colorem rubeum, qui in eo animadvertitur.

Porrò eâ figurâ maris rubri deſignat Joannes Tiberim, in quem Maxentius à Conſtantino fugatus, demerſus fuit: ſiquidem, uti explanatione capitis præcedentis ultimâ ex Nazario declaravi, fluvius is innumerabilium militum Maxentianorum ſanguine cruentatus eſt, ac colore tinctus rubro; undè facile colligere eſt, illum aquas ſuas ſic rubricatas ad oſtia uſque Tiberina non multùm diſſita volviſſe; indeque & mare apparuiſſe aliquantiſper rubrum.

Ex ℣. 2. *Et eos, qui vicerunt beſtiam, & imaginem, & numerum nominis ejus.*

Videt etiam Joannes eos, qui in fide, & charitate Chriſti perſtiterunt, & impietatem Imperatorum Ethnicorum Chriſtianæ Religionis hoſtium ſuperavere iis modis, quos jamdudùm expoſui.

Ex verſ. 2. *Stantes ſupra mare vitreum, habentes Citharas Dei.*

Verſ. 3. *Et cantantes canticum Moyſi ſervi Dei.*

Hinc Euſebius inquit, *Quemadmodùm ipſius Moyſis, & antiquorum, ac piorum Hebræorum temporibus, Deus Pharaonis currus, & ejus copias* Euſeb. hiſt. l. 9. c. 8.

dejecit

& vitæ *dejecit in altum, & delectos aſcenſores, ſatelliteſque regios in mari rubro*
Conſtant. *demerſit, undiſque obruit: ſic Maxentius, quique cum eo erant armati,*
l.1.c.32. *& ſtipatores, in altum Tiberis gurgitem, tanquàm lapis, præcipites deciderunt: uti Conſtantinus cum ſuo exercitu, ope Divinâ victoriam adeptus, meritò quidem, licèt non verbis, re tamen, ſimiliter cum Iſraëlitis, & egregio Dei famulo Moyſe, eadem, quæ illi olim contra impium Tyrannum Pharaonem canère, & cum Mariâ ſorore Moyſis hoc modo dicere potuiſ-*
Exod. 15. *ſet, Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt: Equum, & aſcenſorem dejecit in mare: adjutor, & protector factus eſt mihi ad ſalutem. Et rursùs, Quis ſimilis tibi in Diis, Domine? quis ſimilis tibi? Glorioſus in ſanctis, admirabilis, & præclarè faciens prodigia.*

Iſta Euſebius, quæ Chriſtianorum nemo dubitaverit à fidelibus, præſertìm Romæ, ubi fretus Deo Conſtantinus Maxentium vicit, degentibus, magnâ pietate, & lætitiâ fuiſſe in cordibus ipſorum decantata: Eccleſia enim ſemper conſuevit Pſalmos, & Cantica ex Scripturis deprompta, prout res, tempus, & occaſio tulit, competenter ad laudem Dei concinere.

Ex verſ. 3. *Et Canticum Agni.*

Cantico Moyſis præfato addebant fideles canticum ad laudem Chriſti Domini, cujus ſigni ſalutaris virtute ſciebant Conſtantinum de Maxentio victoriam conſecutum. Canticum autem illud dicitur Chriſti, non quòd ab ipſomet Chriſto editum fuerit, & cantatum, ſicuti canticum, quod Moyſis appellatur, ab ipſo Moyſe compoſitum fuit, atque decantatum; ſed quia Chriſtus animis, & cordibus fidelium illud ad gloriam ſuam ſuggeſſit. Nam cantico Moyſis videbatur laudari duntaxat Divinitas, quæ, ante Incarnationem Verbi Divini, pro Iſraëlitis Pharaonem, & exercitum ejus in mari rubro ſuffocarat: laudanda verò etiam erat humanitas Chriſti Domini, Verbo Divino in unitatem perſonæ conjuncta, quæ mirabili potentiâ Crucis ſuæ Maxentium profligavit, demerſitque; & victoriam Conſtantino in gratiam Religionis Chriſtianæ conceſſit.

Quid verò proclamabant, concinentes illud Chriſti Domini Canticum?

Ex ℣. 3. *Dicentes, magna, & mirabilia ſunt opera tua, Domine, Deus omnipotens. Iuſtæ, & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſæculorum.*

Verſ. 4. *Quis non timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum, quia ſolus pius es*, miſericors, & beneficus erga tuos; *& adorabunt in conſpectu tuo, quoniam judicia tua manifeſta ſunt*, in dejectione ſcilicet impietatis Ethnicæ, & exaltatione Religionis Chriſtianæ.

Verſ. 5. *Et poſt hæc vidi, & ecce apertum eſt templum tabernaculi teſtimonii in Cœlo.*

Nimirùm pars illa tabernaculi, in quam ſoli Sacerdotes introibant, patuit.

Verſ. 6.

Digitized by Google

Verſ. 6. *Et exierunt de templo*, nimirum de illâ parte Sacerdotali templi, ſeu tabernaculi, *ſeptem Angeli habentes* poteſtatem infligendi *ſeptem plagas* præfatas, *veſtiti lino mundo, & candido*, ſicuti moris erat antiquorum Sacerdotum tabernaculi, ac templi; *& erant præcincti circa pectora zonis aureis*, in ſignum perfectæ, & incorruptæ puritatis, & charitatis.

Verſ. 7. *Et unum de quatuor animalibus*, quo exhibebatur unus ex antiquis Levitis curam habentibus vaſorum templi, *dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viventis in ſæcula ſæculorum*, effundendæ ſeptem plagis ditiſſimis, & æquiſſimis in impios adverſantes Divinæ Majeſtati, & Chriſtianæ Religionis perſecutores.

Verſ. 8. *Et impletum eſt templum fumo à Majeſtate Dei, & de virtute ejus; & nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.*

Ex ſacrâ Scripturâ, *cùm* in dedicatione templi Salomonis, *Levitæ, & Sacerdotes Dominum laudare cœpiſſent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia ejus; factum eſt, ut impleretur domus Dei nube; nec poſſent Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter caliginem: compleverat enim gloria Domini domum Dei.* Ita quondam *Moyſes, dum erexit tabernaculum, non poterat ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & Majeſtate Domini coruſcante.* 2. Paral. 5. v. 12. 13. 14. Exod. 40. v. 16. 32. 33.

Simili figurâ Joannes ſignificat quantùm laudis, & gloriæ detulerint Cœlites Chriſto Domino, quòd miſertus ſit Eccleſiæ, quam eripuit è poteſtate infidelium; & quòd præceperit ſeptem Angelis infligere plagas extremas Ethnicis, quò dæmonum cultus ubique aboleatur; & Divinæ Majeſtatis religio ſanctiſſima magìs, ac magìs toto orbe celebretur.

EXPLANATIO LVII.

Quâ, undecim primis verſibus Capitis decimi ſexti Apocalypſis, quinque plagæ, à quinque Angelis inflictæ, explicantur de peſte, & carbunculo, de fame, & ſiti, de æſtu, & igne ſacro, ac de cæcitate, quibus percuſſi ſunt divinitùs Ethnici ſub Maximino, inſano Chriſtianorum perſecutore.

VERS. 1. Et audivi vocem magnam de templo, dicentem ſeptem Angelis: Ite, & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram.

℣. 2. Et abiit primus; & effudit phialam ſuam in terram; & factum eſt vulnus ſævum, & peſſimum in homines, qui habebant characterem beſtiæ, & in eos, qui adoraverunt imaginem ejus.

℣. 3. Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare, & factus eſt ſanguis tanquam mortui; & omnis anima vivens mortua eſt in mari.

℣. 4. Et tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina, & ſuper fontes aquarum, & factus eſt ſanguis.

℣. 5. Et audivi Angelum aquarum dicentem, Juſtus es, Domine, qui es, & qui eras: Sanctus, qui hæc judicaſti.

℣. 6. Quia ſanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere, digni enim ſunt.

℣. 7. Et audivi alterum ab altari dicentem: Etiam, Domine, Deus omnipotens, vera, & juſta judicia tua.

℣. 8. Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in ſolem, & datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni.

℣. 9. Et æſtuaverunt homines æſtu magno, & blaſphemaverunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam.

℣. 10. Et quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ; & factum eſt regnum ejus tenebroſum, & commanducaverunt linguas ſuas præ dolore.

℣. 11. Et blaſphemaverunt Deum Cœli præ doloribus, & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.

Digitized by Google

Verſ. 1. *Et audivi vocem magnam de templo, dicentem ſeptem Angelis: Ite, & effundite ſeptem phialas iræ Dei in terram.*

DEUS, inquit Lactantius Conſtantinum alloquens, *malis, qui adhuc adversùs juſtos in aliis terrarum partibus ſæviunt, quantò ſeriùs, tantò vehementiùs idem Omnipotens mercedem ſceleris exolvet; quia ut eſt erga pios indulgentiſſimus pater, ſic adversùs impios rectiſſimus judex.* Lactant. Inſtit. l. 1. c. 1.

Eapropter adversùs Ethnicos, qui ſuperſunt, Chriſtianorum perſecutores, ira Dei revelatur Dilecto Chriſti Diſcipulo; eamque ipſe teſtatur, cùm ait ſe *audiiſſe vocem magnam de templo* cœleſti prodeuntem; ac authoritate Dei, ſeptem Angelis tanquam potentiſſimis, atque fideliſſimis Divinæ Majeſtatis, & æquitatis miniſtris, præcipientem, ut extremas, quas ipſe juſtè, ac ſanctè decrevit, iniquis, & impiis plagas infligant.

Verſ. 2. *Et abiit primus, & effudit phialam ſuam in terram, & factum eſt vulnus ſævum, & peſſimum in homines, qui habebant characterem beſtiæ, & in eos, qui adoraverunt imaginem ejus.*

Primus Angelus exerens poteſtatem ſibi à Deo traditam plectendi impios, afflixit, juxta Græcum, ἕλκος, ulcere quàm maximè cruciante, & lethali eos, qui cùm ſacrificaſſent, aut thurificaſſent, aut libaſſent idolis, vel execrandos libellos accepiſſent, *habebant characterem beſtiæ*, ſeu notam certiſſimam conſenſus ſui iniquis edictis Imperatoris Ethnici, ac ferociſſimi Chriſtianorum perſecutoris; & illius, tanquàm Dei alicujus, imaginem profanis ritibus coluerant, quemadmodùm fuſiùs hæc à me expoſita ſunt explanatione quinquageſimâ ſecundâ capitis decimi tertii, verſu decimo ſeptimo.

Ea autem plaga, & quæ ſequuntur explicandæ, mihi videntur, juſto, ac manifeſto Dei judicio in pœnam ſcelerum Maximini, ejuſque ſubditorum impietati illius conſentientium, inflictæ: Siquidem, ex Euſebio, Maximinus pro Diis ſuis contra Religionem Chriſtianam declamans, ac ſæviens, pœnas illas luit. Sed primùm verba ejus impia audiamus cum horrore.

Quis, inquit, *tàm amens, tamque ab omni ratione alienus reperiri poterit, qui non advertat clementi Deorum in homines ſtudio factum eſſe, ut neque terra ſemina ſibi mandata cum fœnore reddere deneget; neque agricolarum ſpem inani expectatione fallat:* Euſeb. hiſt. l. 9. c. 6.

Neque rursùm impius Mars tàm horridus abſque impedimento in terrâ vigeat, & roboretur:

Neque æquabili Cœli temperatione perturbatâ, corpora peſte infecta, ægraque celeriter ad mortem rapiantur:

Neque mare rigidis immoderatorum ventorum flatibus agitatum turgeſcat;

 neque

neque repentina procella, & abrupta naufragam, & periculoſam tempeſtatem excitent:

Neque terra prætereà, quæ eſt omnium nutrix, & parens, ab imis quaſi viſceribus gravi cum trepidatione dehiſcat; neque montes ejus radicibus nixi, ingenti hiatu patefacto deglutiantur.

Quæ quidem mala omnia, hiſque multò graviora, nemo eſt, qui ignoret, ante hoc tempus ſæpe numero obtigiſſe.

Atque iſta univerſa acciderunt ob pernicioſum illum, & vanum errorem hominum nequam, & improborum, Chriſtianorum videlicet.

Convertant jam oculos ad camporum planitiem longè, latéque patentem: conſiderent lætas, & florentes ſegetes, ſpicarum ubertate redundantes: prata intueantur propter fœcundos, & moderatos imbres, herbis, & floribus ſplendeſcentia; aëris temperationem animadvertant, quàm æquabilis, & quàm amœna ſit.

De reliquo omnes perfundantur lætitiâ, quòd per honorem Diis adhibitum, placidiſſimâ pace conſtanter, & cum ſecuritate, ac quiete ſeſe oblectent.

Et quicumque cæco illo Chriſtianiſmi errore, & tanquàm itinere devio decedentes, ad rectam, & præclaram mentem redierunt, multò magis lætentur animo, perindè ac ſi ex tempeſtate improvisâ, aut morbo gravi erepti fuerint; & in poſterum jucundiſſimis vitæ commodis cum voluptate fruantur.

Quòd ſi qui ex illis ſint, qui in deteſtabili illâ inanitate, & inſcitiâ obſtinatè perſiſtant, longo locorum intervallo à veſtrâ urbe, & agris eam undique ambientibus, ſicuti à nobis poſtulaſtis, ſegregati, in exilium ejiciantur. Hæc apud Euſebium Maximinus.

Verùm, ſubjungit Euſebius, *dùm miniſtri hujus Edicti contra nos promulgati, iter in nonnullis regionibus faciebant, Deus, qui eſt ſuæ Eccleſiæ conſtans propugnator, arrogante Tyranni contra nos oſtentatione penè refrenatâ, & compreſſà, ſuum cœleſte præſidium nobis benignus præſtitit.*

Imbres igitur, & pluviæ, quæ hyberno tempore fieri conſueverant, ſolitam ſuam terræ irrigandæ conſuetudinem intermiſerunt.

Undè fames præter omnium expectationem paſſim graſſari, & peſtis deinceps oberrare cœpit.

Morbi etiam cujuſdam novi, & peregrini (exulceratio quædam erat, quæ æſtus, & fervoris gratià, proprio nomine anthrax, ideſt carbunculus, appellatur) gravis, & violenta impreſſio, qui per univerſum corpus pererrans, mortifera his, qui eo perturbabantur, injecit pericula.

Quin etiam, quoniam in oculis potiſſimùm ejus inſidebat cruciatus, infinitos ferè viros cum conjugibus, & liberis, cæcos reddidit.

Iiſdem temporibus idem Tyrannus bello contra Armenios adminiſtrato, unà cum exercitu gravem cladem accepit.

Iſta, cùm repentè omnia in idem tempus concurrerent, arrogantem audaciam, & temerariam contra Deum jactationem Tyranni, qui obſervantia ſuæ in Idola collatæ, & obſidionis contra nos ſuſceptæ causâ, nec famem, nec peſtem, nec bellum ſuis temporibus accidiſſe fuiſſet inſolenter gloriatus, perſpicuè coarguerunt. Iſta Euſebius.

Adjicio

Adjicio ipſe, quia etiam Tyrannus ſuperbierat non eſſe terræ motus, uti antè contigerant, prædici hocce capite à Sancto Joanne, ex effuſione phialæ ſeptimi Angeli, *terra motum magnum, qualis numquam fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram*; & reipsâ talem accidiſſe poſteà demonſtrabo ex Ammiano Marcellino.

Sed juvat ſingula Sancti Ioannis verba Prophetica explanare.

Primò itaque patet quomodò ex primi Angeli poteſtate, Divinæ Majeſtatis ultrice, vulnus, ſeu ulcus lethiferum inflictum ſit Ethnicis, atque etiam apoſtatis ſub Maximino.

Verſ.3. *Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare; & factus eſt ſanguis tanquàm mortui.*

Cùm verò Maximinus ad gloriam Deorum ſuorum inanem petulanter effutiiſſet, *Mare rigidis immoderatorum ventorum flatibus non agitari,* Deus Maris, ut terræ, Creator, ac Dominus, tantam, ſicuti in terrâ, ſic & in mari intemperiem, atque corruptionem famulatu ſecundi Angeli produxit, ut aquæ marinæ purulentæ, lividæ, ſubvirides, ac rubeæ, tanquàm cruor cadaveris, apparuerint.

Ex ℣.3. *Et omnis anima vivens mortua eſt in mari.*

Ex illâ corruptione maris factum eſt, ut homines in locis maritimis degentes, & aſſueti victitare in mari navigantes, lue peſtilenti, ſicut & terrarum incolæ, affecti interierint.

Tanta quoque fuit marinæ aquæ pravitas, ut & ipſi piſces, in mari anteà viventes, mortui fuerint; eorumque corruptio multis famem, ac etiam peſtem, vel produxerit, vel auxerit.

Quippe Petrus Foreſtus Medicus adnotavit, *quòd loca ardentia, quæ ſub mari ſunt, dùm terra motibus concutiuntur, exhalationes peſtilentes, & in mari piſces interimentes, evomunt. Quod etiam in Averno lacu, Roberti Regis Siciliæ temporibus uſu veniſſe conſtat; atque piſces omnes, quos mortuos ejecit, nigri fuerunt; & odorem ſulphureum reddebant. Vel cùm voragines terræ motibus facta, undas ſorbent, multi piſces in ſicco relinquuntur morituri, qui tandem putreſcunt; aut cum magnos ex alto fluctus deſtituit, quemadmodùm non longè à Braviſciis, in littore Thuſco balena putrefacta, teterrimo odore tàm validè aërem corripuit, ut in ejus accolas peſtilentia ingrueret.*

Foreſtus in ſcholiis, obſerv.9. l.6. de febribus cum morb. epidem.

Nam & piſces, ſi moriantur in aquâ, præcipuè in lacubus, & ſtagnis, minuſque mobilibus, aquam priùs inficiunt, mox & aërem corrumpunt; atque peſtem invehunt.

Id etiam ex Oceano contingere vidimus, ut ſi piſces vivos, vel mortuos, potiſſimùm verò magnos, fluctus maris in littora regurgitent; quod nos ſemel obſervavimus, cùm ex genere cetorum piſcis ingentis magnitudinis, atque portentoſæ molis, longitudine viginti ulnas explens, & latitudine quatuordecim, cum caudâ bifidâ, & valdè extensâ, ab Oceano in littus prope Egmondum, cùm demiſſus eſſet cum gurgite maris; qui, cùm deſcendere in alveum maris denuò non poſſet, maximo ejulatu, cùm vivus eſſet adhuc, ſuper terram ſiccam manens, tandem moriebatur, quem & ego cum multis aliis ſpectavi: ac

poſteà piſce mortuo in littore permanente, putredinem ex ſe emittente, non diù poſt peſtis ſubſecuta eſt, quæ pagum Egmondanum maritimum, & vicinum invaſit; ac multi eo tempore ibidem interempti ſunt.

Hæc Foreſtus, quæ lucem non modicam conferunt interpretationi noſtræ.

Verſ. 4. *Et tertius Angelus effudit phialam ſuam ſuper flumina, & ſuper fontes aquarum, & factus eſt ſanguis.*

Non modò marinis, ſed etiam fluvialibus, ac fontanis aquis corruptio lethifera inuſta eſt, adeò ut homines, vel ex eis non poſſent bibere, & ſic conficerentur ſiti; vel ſi eas ad potum adhiberent, quò inſuetum, & inteſtinum ardorem temperarent, mortem ſibi conciſcerent.

Verſ. 5. *Et audivi Angelum aquarum dicentem, Iuſtus es, Domine, qui es, & qui eras: Sanctus, qui hæc judicaſti.*

Profectò Sanctus erat Dominus, cùm pios ſui cultores permittebat ab impiis dæmonum ſervis vexari; nec tantam Ethnicorum iniquitatem protinùs puniret. At juſtitiam ſimul, ac ſanctitatem ſuam perſpicuè demonſtravit, dùm efferatos illos impios debitis, ac manifeſtis pœnis excepit.

Verſ. 6. *Quia ſanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt.*

Porrò Dilectus Chriſti Diſcipulus Sanctos Martyres vocat *Prophetas*, quia ſpiritu Dei agebantur; ſcelera hominum zelo Dei permoti intrepidè arguebant; futura plerùmque prædicebant; & cunctis terrenis, ac temporalibus deſpectis, nonniſi cœleſtia, atque æterna cogitabant.

Ex ℣. 6. *Et ſanguinem eis dediſti bibere, digni enim ſunt.*

Job 15. v. 16. Pſ. 78. v. 3. Cùm impii *quaſi aquam biberent iniquitatem*, quâ Chriſtianos perſequebantur; ac Sanctorum Martyrum *ſanguinem ſicut aquam effunderent*; atque ſemper illum magis, ac magis ſitirent, nec umquàm poſſet ipſorum in Chriſtianam religionem rabies reſtingui, juſtum fuit, ut & ipſi immoderatam paterentur ſitim; ac dùm eam vellent ſedare, vitam ſibi ex aquarum mortiferarum potu adimerent.

Verſ. 7. *Et audivi alterum ab altari dicentem, Etiam Domine, Deus omnipotens, vera, & juſta judicia tua.*

Æquitatem judicii divini laudat alter Angelus, loquens ex altari holocauſtorum, in quo effundebatur ſanguis victimarum, ideoque & Martyrum, qui pro Dei honore mactabantur.

Verſ. 8. *Et quartus Angelus effudit phialam ſuam in Solem, & datum eſt illi æſtu affligere homines, & igni.*

Ethnici in Chriſtianos vehementi æſtu iracundiæ concitati, Sanctis faces ardentes perſæpè admoverant; nudos ſuper carbones ſuccenſos, ac crates ferreas ignitas injecerant; fame, & ſiti confecerant; flammis denique cremandos iniquè tradiderant. Eapropter Deus impios illos dæmonum cultores, ac ſæviſſimos Chriſtianorum perſecutores, juſtè torſit immodico ſolis æſtu, necnon inteſtino ardore, carbunculo, & igne ſacro, qui corpora illorum abſumeret, ac perimeret.

Ita

Ita ſuperiùs ex Euſebio retuli, inflictum ſub Maximino *morbum mortiferum, ex æſtu, & fervore concitatum, qui per univerſum corpus pererraret*; cumque Ruffinus Euſebii interpres vocat *Ignem ſacrum*. Euſeb.hiſt. l.9 c.6. Ruff.hiſt. l.9.c.8.

Refert quoque ſuprà citatus Foreſtus exempla hominum febre peſtilenti affectorum, qui tàm immoderato æſtu adurebantur, & ſiti, ut extra ſe poſiti, & furentes, ſeſe in aquas immergerent, quemadmodùm Thucydides narrat de peſte infectis ſuo tempore, qui ſeſe ob ſitim, & calorem in puteos dejiciebant. Foreſtus ſchol obſerv. 13. l.5. de febrib. cum morb. epidem.

Verſ. 9. *Et æſtuaverunt homines æſtu magno, & blaſphemaverunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas; neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam.*

Ethnici complures, æſtu magno, tùm interno, tùm externo ſuccenſi, quòd eſſent omnium ſcelerum rei, maledixerunt Deo, juſto judici, à quo, perurgente conſcientiâ, ſentiebant ſeſe puniri; nec reſipuerunt, ut rejecto Deorum ſuorum inanium cultu impio, Deum unum ſummè juſtum, ac potentem Creatorem omnium piè, ac ſanctè colerent.

Verſ. 10. *Et quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper ſedem beſtiæ, & factum eſt regnum ejus tenebroſum, & commanducaverunt linguas ſuas præ dolore.*

Cùm Maximinus impiè ſuperbiret de felicitate imperii ſui ex falsâ benignitate inanium Deorum ſuorum, & tanquàm immanis bellua furens in Chriſtianos; furoremque ſuum oculis ardentibus, ac toto vultus exaſperati habitu demonſtraret; ſtrideret dentibus in Sanctos Dei cultores; linguam ſuam in illos maledicam exereret; ac perſæpe tùm vivos, tùm mortuos belluis devorandos projiceret; juſto Dei judicio actum eſt ut regnum illius impii Tyranni ad extremas tandem calamitates redigeretur; ejuſque ſcelerati ſubditi morbis virulentis obcæcarentur; & tàm graves paterentur dolores, ut ſe ipſos laniarent, ac diſcerperent, quaſi in rabiem acti.

Hinc Euſebius, ſtatim atque de anthrace, ſive carbunculo, quo, Maximini temporibus, Ethnici inficiebantur, locutus eſt, addit: *Quin etiam, quoniam in oculis potiſſimùm ejus inſidebat cruciatus, infinitos ferè viros cum conjugibus, & liberis cæcos reddidit.* Euſeb.hiſt. l.9. c.6.

Ipſe quoque *Maximinus inopinato Dei flagello toto corpore perculſus fuit, debitumque pro ſceleribus luit ſupplicium; ſic ut gravibus dolorum ſtimulis, & acerbo cruciatus morſu agitatus, famiſque confectus diritate, pronus in terram rueret. Ejus etiam caro univerſa ardore cœlitùs invecto, & haud aſpectabili contabuit, adeò ut eâ pedetentim exesâ, abſumptâque, tota priſtinæ formæ effigies tandem penitùs deleretur, & tanquam ſimulacrum quoddam oſſium exſiccatorum illi ſolùm relinqueretur: Et cùm æſtus adhuc vehementiùs eum ex intimis medullis inflammaſſet, ei exilierunt oculi, & è propriâ ſede elapſi, eum cæcum omninò reliquerunt*, inquit Euſebius. Euſeb.hiſt. l.9.c.8.

Quæ igitur, ex eodem Hiſtoriographo, *primus contra Dei Martyres excogitaverat ſupplicia, eadem ipſe juſtiſſimâ ſententiâ ſuſtinuit.* Euſeb. vitæ Conſt. l. 1. c.52.

Quippe

C. 51. & hiſt. l. 8. c. 14. Quippe *legem tulit, ut ſenſus illi, quibus lumen percipimus, prorſus labefactarentur. Crebræ igitur multitudines, non virorum ſolum, ſed puerorum etiam, & mulierum, cùm haberent aciem oculorum dextrorum, & pedum commiſſuras ferro, & cauteriis adeò penitùs debilitatas, ut ipſis nullo poſt uſui eſſe poſſent, ad metalla amandabantur excrucianda.*

Sic in ultionem tantæ iniquitatis adversùs Chriſtianos perpetratæ, *factum eſt* juxta prophetiam Joannis, *regnum beſtiæ tenebroſum*, quatenùs ipſe tyrannus Maximinus, ejuſque infiniti propemodùm ſubditi cujuſvis ſexus, & ætatis tenebris obſiti ſunt, & cæcitate percuſſi.

Quidni etiam plerique ex illis, qui divinitùs fuere tunc obcæcati, linguas ſuas præ acutiſſimis doloribus, quos patiebantur, comminuerint? Certè Theodoretus de Ethnicis, qui ſub Juliano *Apoſtatâ Cyrillum Diaconum non modò interfecerunt, verùm etiam diſſecto ventre, jecur ejus deguſtare non ſunt veriti*, aſſerit, *quotquot illius ſceleris labe inquinati ſunt, primùm amiſerunt dentes, qui pariter omnes ad unum excidebant; deindè linguas perdiderunt, quæ putredine tabefactæ ex ore effluebant; poſtremò oculis orbati ſunt.* (Theodor. hiſt. l. 3. c. 6.)

Verſ. 11. *Et blaſphemaverunt Deum Cæli præ doloribus, & vulneribus ſuis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.*

Tot autem, & tantorum malorum, quæ ſub Maximino perpeſſi ſunt Ethnici, cumulus fuit, quòd ex illis impiis quàm plurimi, cùm debuiſſent pœnitentiâ ſuâ iram Dei placare, magis, ac magis illam blaſphemiis ſuis provocarunt; & in impietate ſuâ morientes æternis pœnis cum dæmonibus, quibus ſerviere, ſunt addicti.

EXPLANATIO LVIII.

Sexta plaga à ſexto Angelo inflicta, de bello, quo Iulianus Imperator, Chriſtianæ Religionis deſertor, ac perſecutor, præter ſuperbam animi ſui præſumptionem, & falſa Deorum ſuorum oracula, turpiter victus eſt à Perſis, & occiſus, à duodecimo ad decimum ſextum verſum Capitis decimi ſexti Apocalypſis.

Vers. 12. Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem, & ſiccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu ſolis.

v. 13.

℣. 13. Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos in modum ranarum.

℣. 14. Sunt enim Spiritus Dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium, ad diem magnum omnipotentis Dei.

℣. 15. Ecce venio ſicut fur. Beatus, qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, nè nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.

℣. 16. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon.

Verſ. 12. *Et ſextus Angelus effudit phialam ſuam.*

POSTQUAM quinque Angeli juſto Dei judicio peracerbas Ethnicis ſub Maximino Chriſtianorum perſecutore calamitates inflixerunt, ſextus Angelus, Divinæ etiam juſtitiæ miniſter, debitis pœnis afficit Julianum Apoſtatam. Js enim Chriſtianam Religionem non modò deſeruit, ſed & perſecutus eſt, uti
narrant Socrates, Theodoretus, & Sozomenus. Socr.l.3.

Cœleſtis autem ille Spiritus impium illum Imperatorem bello perimit, c.1.9.10.
eò libentiùs, ac juſtiùs, quò inſulſiùs, & iniquiùs Apoſtata ille ſuſtu- 11.16.
Theodor.
lit è ſignis militaribus Romanis ſignum crucis Chriſti, cujus divinâ vir- l.3.c.2.3.6.
tute victoriam Cœlites anteà præbuerant de hoſtibus ſuis Conſtantino. & Sozom.

Ex ℣. 12. *In flumen illud magnum Euphratem, & ſiccavit aquam* l.5. c.15.
ejus, ut prepararetur via Regibus ab ortu ſolis. Sozom.l.5.
c.16.

Ezechiel ſtragem Ægypti à Nabuchodonoſore futuram prædicens, Ezech.29.
ait: *Hæc dixit Dominus Deus, Ecce ego ad te, Pharao, Rex Ægypti, qui* v.3.8.9.12.
cubas in medio fluminum tuorum; & dicis meus eſt fluvius, ſcilicet Nilus.
Ecce ego adducam ſuper te gladium, *& interficiam de te hominem, &
jumentum; & erit terra Ægypti in deſertum; & civitates ejus erunt deſola-
tæ; & diſpergam Ægyptios in nationes. Scient quia ego Dominus, cùm de-* Ezech 30.
dero ignem in Ægypto; & ceſſare faciam multitudinem Ægypti in manu v.8.10.
Nabuchodonoſor regis Babylonis.

Hanc autem deſolationem Ægypti, tùm gladio, tùm igne, tùm captivitate idem Propheta eodem capite deſcribit metaphoricè his verbis, *&
faciam alveos fluminum aridos:* Quippe Ægyptus, anteà populis, ſicuti Ezech.30.
flumen aquis, affluens, deficiet hominibus, cùm illorum magna pars v.12.
interficienda ſit, & altera in captivitatem abducenda; quemadmodùm deficiunt aquæ fluminis, cùm areſcit.

Præterea Ezechiel *Pharaonem* Regem Ægypti comparat *cedro excelſo,* Ezech.31.
quem nutrierunt aquæ, & in cujus radicum circuitu manarunt flumina. Poſteà v.3.4.5.

verò interitum ejus indicans, ait, *prohibui flumina ejus, & coërcui aquas multas*; ita ut, non ſecùs ac arbor areſcit, atque interit, dùm ad illam nullus humor manat, ſic futurum eſſet, ut & ipſe Pharao, diſſipatis ejus viribus, ſcilicet militibus, ac populis, miſerrimè periret.

Quin etiam Ieremias prædicens vaſtitatem Babylonis, ait: *Deſertum faciam mare ejus, & ſiccabo venam ejus.* Illum Ezechielis, & Jeremiæ ſtylum ſecutus Joannes prænuntiat exitium Juliani Apoſtatæ, quem Gre-
Naziana. or. 2. in Julian. gorius Nazianzenus nuncupat *Ieroboamum defectione, & Pharaonem duritie*; prædicitque Dilectus Chriſti Diſcipulus fore, ut impius ille adversùs Chriſtianam Religionem furens, bello contra Perſas ad Orientem ſitos inito, interiret; necnon defluerent vires ejus militares, ac populi anteà ei juxta Euphratem ſubditi; tranſirentque illius regionis urbes quàm plurimæ, & maximè inſignes, à Romanorum ditione in Perſarum poteſtatem. Quamobrem ait Angelum, Chriſto Domino, ſuorum vindici, obſequentem, *effudiſſe in Euphratem phialam ſuam*, hoc eſt, iram ejus, cujus decreta ſanctiſſima perferebat; *& ſiccaſſe aquas fluminis illius, ut prepararetur via Regibus ab ortu Solis.*

Quomodò verò iſta Juliani clades contigerit, operæ pretium eſt ex Hiſtoriographis enucleatiùs declarare, quò veritas prophetica ſingulorum Apocalypſis verborum clariùs innoteſcat.

Adnoto in primis ex Ammiano Marcellino, quòd, cùm Julianus eſſet
Ammian. Marcell. l. 22. Antiochiæ, *ſidere etiam tùm inſtante brumali, aquarum inceſſit inopia metuenda, ut & rivi ceſſarent quidam, & fontes antehac aquarum copioſis pulſibus abundantes.*

Ammian. Marc. l. 23. Indè *tertio nonas Martias profectus, Hierapolim venit; ac cum exercitu Euphrate navali ponte tranſmiſſo, properavit Carras. Principio autem menſis Aprilis pervenit Cercuſium, cujus mœnia Abora, & Euphrates ambiunt flumina; ſtatimque tranſgreſſus, pontem avelli precepit, nè qua militum ab agminibus propriis revertendi fiducia remaneret.*

Ammian. Marc. l. 24. Poſteà *venit cum claſſe ſuâ Duram: exin munimentum Anathan expugnatum incendit; hoſtileſque agros omni frugum genere divites, cum ſegetibus, & tuguriis inflammari permiſit.*

Ulteriùs invadit Diaciram, civitatem habitatoribus vacuam; frumento, & ſalibus plenam; quâ incensâ, Ozogardanam quoque oppidum formidine advenientis exercitus ibidem deſertum exurit.

Ventum eſt prætereà ad Civitatem Pyriſaboram amplam, & populoſam; in cujus arce armorum, alimentorumque copia reperta eſt maxima; undè neceſſariis ſumptis, reliqua cum loco ipſo exuſſere victores.

Dein *venit Imperator Majozamalcham urbem magnam, & validis circumdatam mœnibus, quæ virtute roboris exciſa Romani in pulverem concidit, & rui...*

Jam verò *regionibus Cteſiphontis, quam obſidere cupiebat, propinquans, ad ea armentis lætas, & frugibus, populandas manum peditum expeditam mittit; tùm flumine levâ relicto, infauſtis ductoribus praviis mediterraneas*

vias

vias arripere cito propoſuit gradu ; & tanquàm funeſtâ face Bellone, ſubjectis ignibus exuri cunctas juſſit naves, nè relicta claſſis uſui hoſtibus foret ; aut armatorum ferè viginti millia in trahendis occuparentur iiſdem navibus, & regendis.

At hoſtes, ut inediâ nos cruciarent, inquit Ammianus, *herbas cum adultis ſegetibus incenderunt.*

Tunc cùm reverti debere per loca, qua venimus, plebs vociferaretur, reſiſtebat intentiùs Princeps, multis cum eo nequaquàm fieri poſſe monſtrantibus, per effuſam planiciem, pabulo abſumpto, & frugibus, vicorumque reliquiis exuſtorum inopiâ ſqualentibus ultimâ.

Quocirca exactis aliquot diebus, commiſſo prælio Perſas inter, & Romanos, haſtâ equeſtri vulneratus Julianus interiit. Ex Ammiano. Marc. l. 25.

Eo extincto, *Iovianus eligitur Imperator* ; ac paulò poſt, *cùm fureret inediâ, iràque percitus miles, ferro properans quam fame, ignaviſſimo genere mortis, abſumi, Perſæ præter ſperata priores ſuper fundendâ pace oratores mittunt.*

Petebat autem Rex Perſarum Sapores obſtinatiùs quinque regiones, Arzanenam, & Moxoënam, & Zabdicenam, itemque Rehimenam, & Corduenam, cum Caſtellis quindecim, & Niſibim, & Singaram, & Caſtra Maurorum, munimentum perquàm opportunum.

Quæ omnia Iovianus tradidit, difficilè adeptus, ut Niſibis, & Singara ſine incolis tranſirent in jura Perſarum : à munimentis verò alienandis reverti ad noſtra præſidia, & Romana permitterent.

Quibus exitiale aliud acceſſit, nè poſt hac ita compoſita, Arſaci, Armeniorum Regi, poſcenti contra Perſas ferretur auxilium, amico nobis ſemper, & fido : Quod ratione geminâ cogitatum eſt, ut puniretur homo, qui Chiliocomum mandato vaſtaverat Principis ; & ut remaneret occaſio, per quam ſubindè licenter invaderetur Armenia. Vndè poſteà contigit, ut vivus caperetur idem Arſaces ; & Armenia maximum latus Medis conterminans, & Artaxata inter diſſenſiones, & turbamenta raperent Parthi.

Quin etiam *longævus ille idem Sapores, Rex Perſidis, Sauromace pulſo, quem authoritas Romana præfecit Hiberiæ, Aſpacuræ cuidam poteſtatem hujuſcemodi detulit, gentis diademate addito, ut arbitrio ſe monſtraret inſultare noſtrorum.* Hæc Ammianus Marcellinus.

Ex verſ. 12. *Siccavit aquam ejus.*

Quæ cùm ita ſint, icciteo Angelus dicitur *ſiccaſſe aquam* Euphratis, quòd juſto Dei judicio effecerit, ut primùm Julianus Apoſtata magnam partem regionis adjacentis Euphrati à Carris versùs Seleuciam, & Cteſiphontem, exuſſerit : deindè juſſerit comburi claſſem ſuam, quæ, uti loquitur Ammianus, *latiſſimum flumen Euphratem arctabat, utpote in quâ mille erant onerariæ naves, commeatus abundè ferentes, & tela, & obſidionales machinas ; ac quinquaginta aliæ bellatrices, totidemque ad compaginandos neceſſariæ pontes.* Etenim vulgato ſermone tritum eſt continentem pro contento perſæpe uſurpari ; & fluminum nomine regio- Ammian. Marc. l. 23.

 nes.

nes, quas alluunt, ſi nificari, quemadmodùm etiam ex Propheticis verbis Jeremiæ, & Ezechielis anteà relatis animadverti.

Profectò caloris eſt exſiccare. Nonnè igitur *aqua Euphratis*, hoc eſt, regiones ſecùs Euphratem ſitæ, & naves, quas vehebat Euphrates, exſiccantur, dùm à Juliano Apoſtatâ, uti præmonſtravimus, incenduntur?

Ex ℣. 12. *Vt prepararetur via Regibus ab ortu ſolis.*

Quamvis autem illam urbium, munimentorum, atque agrorum ad Euphratem conſiſtentium & claſſis Romanæ illuc provectæ conflagrationem juſſerit Julianus, tùm ut Perſas debellaret; tùm ut eorum regnum expeditiùs, ac celeriùs invaderet: tamen Divino nutu factum eſt, ut illa utraque regionis, & claſſis Euphraticæ combuſtio pararet, in pœnam impietatis Juliani, viam Regibus Perſarum Orientalium ad regiones, & urbes Meſopotamiæ ſecùs Euphratem è ditione Romanorum in ſuam Perſicam poteſtatem transferendas. Siquidem antè retuli ex Ammiano, Julianum, cùm non poſſet ad exuſtas à ſe regiones, quia id ſibi foret inutile, reverti, incenſâque ſuâ claſſe, ad eas anguſtias fuiſſe redactum, ut congrederetur cum hoſte, ac confœderetur. Undè ex neceſſitate conſequenti oborta eſt regionum, & urbium Romanarum Euphraticæ Meſopotamiæ deditio Perſis. Nam, *Iuliano interfecto, Perſæ*

Greg. Nazianz. or. 2. in Julian. *ita incluſos habebant Romanos, ut ex eis nè unus Lixa relictus fuiſſet, niſi fœdus cùm Perſis pepigiſſent*, inquit Nazianzenus.

Nec verò Jovianus ſucceſſor Juliani, ſed Julianus ipſe criminandus eſt propter conditiones pacis iniquas, quæ ſecutæ ſunt: Quippe, ut ait iterùm hâc ſuper re Nazianzenus, *ſpica non eſt ejus, qui meſſuit, ſed qui ſementem fecit; nec incendium aſſignandum eſt ei, qui ignem extinguere non potuit, ſed qui excitavit.*

Ex verſ. 13. *Et vidi de ore draconis, & de ore beſtiæ, & de ore pſeudoprophetæ ſpiritus tres immundos in modum ranarum.*

Draco ille, diabolus; *beſtia* illa, Julianus Apoſtata; *pſeudopropheta*

Theodor. hiſt. l. 3. c. 22. autem, *Maximus, qui*, ex Theodoreto, *tametſi philoſophum ſe eſſe profitebatur, erat tamen reverà magus, futuraque ſe poſſe prædicere jactitabat.*

Hi tres, Diabolus, Julianus, & Maximus, ore ſuo impuro, & nefando contra Chriſtianam Religionem ſuſurrarunt; ac veluti ranæ ſpurciſſimæ è cœnoſo gurgite coaxarunt.

Sozom. l. 5. c. 2. 16. Etenim ex Sozomeno, *cùm Iulianus tempore Conſtantii Imperatoris Nicomediæ ætatem ageret, Maximus, Epheſius Philoſophus, in ejus conſuetudinem fortè incidens, illum & Philoſophiam docuit, & odium Religionis Chriſtianæ in ejus animo inſevit.*

Socrat. l. 3. c. 18. Ex Socrate etiam, *Iulianus divinationum conjecturis, quas Maximus Philoſophus, qui cum eo verſabatur, illi ſuggeſſerat, confiſus eſt.*

Socrat. l. 3. c. 19. Sed & Libanius Sophiſta, oratione funebri Juliani, apud eumdem Socratem ait: *Hieme, cùm noctes ſunt paulò longiores, Imperator libros*

illos

Digitized by Google

illos, qui hominem à Palæſtinâ oriundum, Deum, & Dei Filium eſſe confirmant, diligenter evolvens, longâ diſputatione, & firmis argumentis convincebat eſſe ridiculos, religionemque ab illis excultam, & magno honore habitam, nugis redundare.

Nec ſatis fuit Juliano falſa, & impia contra Religionem Chriſtianam ſcribere: *poſt pugnam Perſicam*, uti aſſerit Theodoretus, *bellum meditabatur adverſùs Chriſtianos; laſcivaque Deæ ſimulachrum in Eccleſiis collocaturum minatus eſt.* Theodor. l.3. c.16.

Chriſtianorum quoque, ut ait Oroſius, *ſanguinem diis ſuis vovit, palàm perſecuturus Eccleſias, ſi victoriam potuiſſet adipiſci. Nam & Amphitheatrum Hieroſolymis extrui juſſit, in quo reverſus à Parthis, Epiſcopos, Monachos, omneſque ejus loci Sanctos beſtiis objiceret, ſpectaretque laniandos.* Oroſ. l.7. c.19.

Verſ. 14. *Sunt enim ſpiritus Dæmoniorum facientes ſigna, & procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium.*

Teſte Theodoreto, *Julianus miſit Delphos, & in Delum, & Dodonam, & ad alia oracula, qui vates conſulerent, an bellum gereret contra Perſas. Illi verò, & bellum geri jubebant; & victoriam pollicebantur. Unum ex illis oraculis fuit, Parati nunc dii omnes ſumus, ut feramus trophæa juxta Feram fluvium, quorum ego ductor ero ferus Mars, belli potens. Feram appellavit fluvium Tigrim, quia fera eſt, quæ idem cum eo nomen habet.* Theodor. l.3. c.16.

Itaque *ſpiritus Dæmoniorum*, quia per ſimulacra, in quibus colebantur, fundebant oracula, videbantur mira *ſigna facere*, quæ perlata ad Julianum movebant eum ſub ſpe victoriæ *ad prælium* cum Perſis committendum.

Quòd autem *ſpiritus Dæmoniorum* aſſeruntur, ſuis videlicet oraculis, uti mox explicatum eſt, *procedere*, non ad Regem ſolùm, quòd facilè intelligeretur de Juliano, ſed *ad Reges*, id dicitur ad majorem emphaſim, quâ pluralis numerus perſæpè uſurpatur, non vulgari tantùm, ſed etiam in Scripturis trito loquendi uſu: undè Debbora, *victo Jabin, Rege Chanaan*, cecinit, *Venerunt Reges; & pugnaverunt: pugnaverunt Reges Chanaan.* l. Judic. 4. v.1. c.5. v.19.

Ideò verò Joannes, Julianum deſignans, ait *Reges totius terræ*, quòd ex Gregorio Nazianzeno, *eſſet Imperator Romanorum, atque adeò, quemadmodùm ipſe Dæmonum fraude circumventus exiſtimabat, orbis univerſi*, τῆς οἰκουμένης, ſicuti eſt apud Nazianzenum, & hìc in Apocalypſi. Ammianus Marcellinus refert etiam *Saracenorum regulos, oblatâ auri coronâ Juliano, eum tanquàm mundi, nationumque ſuarum Dominum adoraſſe.* Gregor. Nazianz. or. 1. in Julian. Ammian. Marcel. l. 23.

Prætereà *per Reges totius terræ*, intelligi poſſunt, non ſolùm Julianus, Romanorum, & mundi, ut gloriabatur, Imperator; ſed etiam Sapores Imperator Perſarum, qui ſeipſum, ut videre eſt apud Ammianum, vocabat *Regem Regum*; & quem ipſi Perſæ *appellabant Acheme-* Ammian. Marc. l.17. & 19.

nem, & Artaxerxen, quod Regibus imperans, & bellorum victor interpretatur.

Illi ergo *Reges totius terræ*, nimirùm tunc cognitæ, videlicet Imperator Romanorum, & Imperator Perſarum, à *ſpiritibus Dæmoniorum congregantur in prælium*, quia cul tui Dæmonum addicti, & ab illis impulſi, bellum ſibi mutuò inferunt.

Ex v. 14. *Ad diem magnum omnipotentis Dei.*

Victoriam quidem ſibi ſpondebat de Perſis Julianus, falſis inanium Deorum, ſeu Dæmonum, oraculis deluſus: ſed juſto veri Dei judicio victus eſt in pœnam impietatis ſuæ; & cùm extrema ſupplicia Chriſtianis, eorumque Religioni Sanctiſſimæ perniciem pararet, ipſe ultimum Imperii ſui, & vitæ diem ſubiit. Quamobrem dies ille meritò prædicitur *dies magnus omnipotentis Dei*; ſicuti ſtrages tribuum Iſraël, & Ju-
Sophon. 1. v. 14. da futura à Deo juſto judice, vindicante illarum idololatriam, cæte-
Joël. 1. v. 15. raque flagitia, dicta eſt à Prophetis *dies Domini magnus; & quaſi vaſtitas à potente.*

Certè arbitrabatur Impius Julianus diem, quo præliaretur cum Perſis, fore diem Deorum ſuorum; ita ut tunc oſtenderent ſe eſſe veraces, & potentes, cùm ei largirentur victoriam, quam unanimi conſenſu promiſerant. Sed verus Deus, ſummè potens, ac Dominus exercituum Cœli, & terræ, inanitatem illorum Deorum patefecit; ſuamque ſummam veritatem, æquitatem, & potentiam declaravit perſpicuè illo die, quo cæſus eſt Julianus.

Theodor. l. 3. c. 20. Hinc refert Theodoretus, *vulneratum Iulianum furere, quòd Mars bellicoſus ipſi, uti promiſerat, auxilium minimè tuliſſet: Apollo falſa vaticinatus eſſet: Iupiter denique fulminans, non in ſuum interfectorem fulmen torſiſſet. Et quamvis à nemine pro certo cognitum ſit, quis ei debitam illam plagam impoſuerit, ſive homo, ſive Angelus; conſtat eum, qui facinus commiſit, Divinæ voluntatis adminiſtrum fuiſſe. Ferunt porrò ipſum Tyrannum, ſimul ac plagam acceperat, manum protinùs ſanguine impleviſſe; illumque projeciſſe in aërem, ac dixiſſe, Viciſti, Galilæe.*

Theodor. l. 3. c. 22. *Antiochenſes autem, ut primùm Tyrannum trucidatum intellexere, conclamarunt: Vbi tua, ô Maxime, ô ſtolide, vaticinia? Vicit Deus, & Chriſtus ejus.*

Ita verum eſt diem, quo cæſus eſt Julianus, fuiſſe *diem magnum omnipotentis Dei*, plectentis impium Apoſtatam, & pios ſui cultores Chriſtianos magnificè propugnantis. Sed & modum mirabilem, quo pœnas expetiit ab impio juſtus Dominus indicavit Sancto Joanni, cùm dixit:

Verſ. 15. *Ecce venio ſicut fur.*

Joan. 10. v. 10. Teſtimonio Scripturarum, atque experientiâ docemur, quòd *fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat.* Ad id autem perſæpe ſtruit inſidias; fingitque nonnumquàm amicitiam, ut incautos faciliùs invadat. Plerumque venit noctu, & quâ horâ non putatur. Perfodit aliquando

quando domum, quam cupit diripere; tantoque etiam aliquoties odio exardeſcit, ut ædificia, prædiaque ſuccendat. Eapropter Chriſtus Dominus, de ultimo adventu ſuo verba faciens, ait: *Si ſciret paterfamilias quâ horâ fur venturus eſſet, vigilaret utique; & non ſineret perfodi domum ſuam: ideo & vos eſtote parati, quia quâ neſcitis horâ, filius hominis venturus eſt.* Paulus verò inquit: *Dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet: cùm enim dixerint, pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* Et Petrus, *adveniet dies Domini, ut fur, in quo terra, & quæ in ipſâ ſunt, opera exurentur.*

Matth.24. v. 43. 44.
1.ad Theſſal.5. v.2. 3.
2. Petr.3. v.10.

At hæc omnia, quæ de adventu furis adnotavi, quæque ſimilitudine quâdam in Scripturis dicta ſunt de extremo Domini, orbem in æquitate judicaturi, adventu, competunt aliquâ proportione variis circumſtantiis, quibus cædes Juliani peracta eſt, à Domino juſto judice ordinata.

Namque ex Sozomeno, *ſenex quidam, qui pro omnium Perſarum libertate mortem oppetere cupiebat, primùm à Romanis deditâ operâ ſe capi permiſit; cùm tamen præ ſe ferret, invitum ſe captum eſſe. Deindè ad Imperatorem deducitur. Tum rogatus de viâ, & vera dicere viſus, perſuaſit Romanis fore, ut ſi ipſum ſequerentur, celerrimè cum exercitu ſuo ad ſuos ipſorum fines pervenirent; & quòd iter ſolùm triduo, ad ſummum quatriduo moleſtum, & difficile eſſet; & quòd pro eo tempore commeatum ſecum ferre deberent, propterea quòd terra deſerta erat, & inculta. Imperator igitur aſtuti ſenis verbis inductus, conſtituit illâc proficiſci. Vbi verò aliquantò longiùs proceſſerunt, & confecto jam tridui itinere, in locis eiſdem impediti hæſerunt, ſenex captivus vocatus in quæſtionem, confitetur ſe pro ſalute ſuorum ultrò ad mortem gradi; & paratum eſſe omnia cruciamentorum genera lubenter ſubire. Cùm autem copia Romana partim itineris longitudine, partim inopiâ rerum ad victum neceſſariarum animos demitterent, in eas jam languentes, Perſarum exercitus impetum facit; ac prælio facto eques haſtâ Imperatorem percuſſit; lethaleque ei inflixit vulnus.* Hæc Sozomenus.

Sozom. l.6. c.1.

Ammianus Marcellinus ait etiam Julianum *infauſtis ductoribus praviis mediterraneas vias arripuiſſe; juſſiſſe cunctas naves exuri; ac dein, cùm monſtraret perſpicua veritas, quòd repulſus forſitan ariditate, vel altitudine montium, ad aquas redire non poterat miles, tortos perfugas apertè faſſos ſe fefelliſſe:* ac paucis abhinc diebus interfectum Imperatorem refert.

Ammian. Marc.l.24.

Ex illâ igitur Ammiani, & Sozomeni narratione, quam videre etiam eſt apud Gregorium Nazianzenum, patet *adventus ſicut furis* in perſonâ ſenis Perſæ, ſubdolè adeuntis Julianum; ſimulantis ei obſequium, fidem, & officium; conſulentis incendium navale; ad eas denique illum adigentis anguſtias, undè non potuit evadere, quin periret.

Greg. Naz or.2. in Julian.

Illa quoque ſimilitudo furis propoſita in eo, quòd fur veniat plerùmque noctu, & quâ horâ non putant homines; atque nonnumquam domum perfodiat, liquet adhuc adversùs Julianum. Etenim, teſte Ammiano

Ammian. Marc. l. 25. miano Marcellino, *Iulianus ſomno depulſo, obſcura noctis altitudine, vidit ſqualidiùs, ut confeſſus eſt proximis, ſpeciem illam genii publici, quam, cùm ad auguſtum ſurgeret culmen, conſpexit in Galliis, velata cum cornucopia per aulaa triſtiùs diſcendentem.*

Exorto autem die promota ſunt caſtra: hinc nos egreſſos, inquit Ammianus, *Perſa ſtructis inſidiis occultè comitabantur, altrinſecùs viantes catervas à celſis collibus explorando, ut id ſuſpicans miles ad uſque perpetuum diem, nec vallum erigeret; nec ſudibus ſe communiret. Dumque teguntur firmiter latera; & exercitus pro locorum ſitu, quadratis quidem, ſed laxis incedit agminibus, invaſa ſubitò terga ponè verſus arma cogentium indicatur Principi.*

Cùm verò audenter effunderet ſemet in pugnam, incertum ſubita equeſtris haſta, cute brachii ejus præſtrictâ, coſtis perfoſſis, hæſit in imâ jecoris fibrâ.

Relatus in caſtra, hiante latiùs ſuffuſi lateris vulnere, & ſpiritum tumore cohibente venarum, epotâ gelidâ aquâ, quam petiit medio noctis horrore, vitâ faciliùs eſt abſolutus.

Sic ex illis Ammiani verbis perſpicuè eſt ea, quæ mox propoſueram *adventus ſicut furis* noctu, & inopinatò perfodientis domum, ſigna adversùs Julianum; quandoquidem proximus Juliani è vitâ diſceſſus ſignificatus illi ſit triſti ſpectro apparente ipſi noctu; Perſæ ſtructis inſidiis occultè comitarentur ejus exercitum, cujus etiam terga ſubitò invaſerunt; ipſe quoque inopinatò perfoſſus ſit in corpore, quod veluti domus eſt animæ; ex eâque perfoſſâ domo, extracta ſit Juliani anima medio noctis horrore.

Jam verò, quòd Dominus hocce Apocalypſis loco ait, *Ecce venio ſicut fur*, declarat venturum quidem, ſed non per ſe ipſum, at per alios, quos mittet vice ſui, ut ea, quæ adversùs Julianum ſanctiſſimè decrevit, exequantur: unde Theodoretus, *ſive homo, ſive Angelus, debitam ei plagam impoſuerit, conſtat eum Divinæ voluntatis adminiſtrum fuiſſe.*

Theodor. l. 3. c. 20.

Eo planè loquendi uſu in Prophetis veteris Teſtamenti paſſim dicitur Deus facturus ea, quæ nonniſi per alios faceret. *Ecce*, inquit Iſaïas, *Dominator Dominus exercituum auferet ab Ieruſalem, & ab Iuda validum, & fortem. Adducet Dominus ſuper te, & ſuper populum tuum dies, qui non venerunt à diebus ſeparationis Ephraim à Iuda. Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt. In manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quaſi lutum platearum. Numquid non ſicut feci Samariæ, & idolis ejus, ſic faciam Ieruſalem, & ſimulacris ejus?*

Iſai. 3. v. 1. C. 7. v. 17. C. 10. v. 5. & 11.

Ex verſ. 15. *Beatus, qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, nè nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.*

Hæc verba Sanctus Joannes opponit infelicitati, inſipientiæ, ac dedecori

decori Juliani, qui, cùm vanis Deorum ſuorum inanium oraculis, veluti ſomniator ſomniis ſuis, deluſus, immenſam felicitatem, & gloriam ſperaret, inſipienter fidit ſubdolis conſiliis adverſarii transfugæ; necnon armis, ſeu veſtibus bellicis nudatus, imptudenter in hoſtes protupit; ac tandem mortem, quam flagitiis ſuis merebatur, probroſam oppetiit, uti hæc conſtant ex hiſtoricis, quorum verba juvat referre.

Ex Theodoreto quidem, *Iulianus oraculis deluſus victoriam ſomniabat:* & apud Socratem dicitur *inanibus ſomniorum viſis perſuaſus:* ex Nicephoro, *ſuperbus ille gloriam Alexandri ſomniaverat; ac potiùs longè illum ſuperaſſe ſibi viſus fuerat.*

Theodor. l.3. c.16. Socrat. l.3. c. 18.

Addit Socrates, quòd Julianus, *felicitatis ſuæ ſpe nimiùm fretus, inermis in aciem proceſſit; atque idcirco telum, in eum conjectum, brachium trajecerit; & in latus ejus infixum fuerit, cujus ictu mortem obiit.*

Niceph. l.10. c.35. Socrat. l.3. c.18.

Ammianus Marcellinus etiam ait, *Principem tùm inermem ad ſpeculanda anteriora progreſſum fuiſſe; ac concitum ſuorum clade, oblitum loricæ, properaſſe ultimis ferre ſuppetias; atque cavendi immemorem haſtâ equeſtri perfoſſum.*

Ammian. Marc. l.25.

Quapropter impius ille meritò infelix, qui ſibi minimè invigilans, ac vana, more ſomniantium, cogitans, non *cuſtodivit veſtimenta ſua*, ſcilicet bellica, Imperatori ducenti exercitum convenientia, ac neceſſaria, ut ipſe ſe tueatur; & *nè nudus*, hoc eſt, talium veſtimentorum bellicorum, ſive armorum expers, *ambulet* inter hoſtes, quemadmodùm gradiretur inter amicos ſibi fidos; quò fiat, ut facilè pateat hoſtium telis; ab iiſque confoſſus, turpiter vincatur, & intereat; ſicque omnes *videant turpitudinem ejus*, eò majorem, quò præ tumore animi victoriam præſumebat illuſtriorem; iſque, ex Nicephoro, *qui ſe multis ſæculis victurum credidit, intrà triduum eſt extinctus.*

Niceph. l.10. c.35.

Iuliani etiam, referente Gregorio Nazianzeno, *turpis belli illatio, à populis, à Civitatibus perſtricta eſt, vocibus publicis, ac ſcurrilibus: reditus verò longè etiam ingloriosior. Sed quæ fuit ignominia illa? Mimi, ridiculum dictu, ipſum ducebant, turpiſſimiſque ſcenæ geſtibus pompam inſtaurabant, tibiâ modulantes, & tripudiantes; necnon abnegationem, profligationem, ac finem denique illi improperantes. Et quid perpeſſus non eſt? aut quid ab illis non audivit? quæ petulanter ludere conſueverunt, artem ad injuriam poſſidentes, donec eum Tarſenſium Civitas ſuſcepit; ibique illi lucus eſt ignominioſus, ac ſepulchrum execrandum.*

Greg. Naz. or.2. in Iulian.

Hæc retulit de Juliani obitu, ac funere probroſo Nazianzenus ab aliis effecta; ſed & ipſemet vir ſanctus, ac eloquens, de ſuperbo illo, & impio Apoſtatâ Epinicium ſumens, ait: *Vbi præſcientiæ monſtra, & ſigna, viſcerumque aruſpicina? Vbi Babylon glorioſè divulgata? ac orbis univerſus animo propter parùm deteſtandi ſanguinis comprehenſus? Vbi manibus devicti Perſæ, ac Medi? ubi contra Chriſtianos vaticinia, ac minæ, & ad nomen uſque abolitio noſtra? Omnia diſparuere; ementita fuere; defluxere; ſomnia apparuere, ac jactantia impiorum.*

Hervéus in Apocalypſim. Ddd Verſ. 16.

ỷ.16. Et congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon.

His verbis declarat Joannes Julianum ad ſui cædem cum ſuo exercitu congregandum in locum ſimilem ei, in quem ex Sacrá Scripturâ congregatus eſt ad ſuam, & militum ſuorum internecionem Siſara Princeps militiæ Jabin Regis Chanaan.

Quippe ex libro Judicum, capite quarto, *tradidit Dominus filios Iſ-*
l. Jud. 4. v. 1. *raël in manus Iabin Regis Chanaan, qui regnavit in Aſor; habuitque*
Ducem exercitus ſui nomine Siſaram: ipſe autem habitabat in Haroſeth
C. 5. v. 19. 20. 21. *gentium.* Capite autem quinto ejuſdem libri, dicuntur *Reges Chanaan*
pugnaſſe juxta aquas Mageddo; ibique ab Iſraëlitis ſuperati.

At juxta aquas fluminis commiſſum eſt prælium Juliani, & Perſarum; eoque in loco Julianus occiſus fuit, ſicuti fidem faciunt hiſtorici
Nazianz. or. 2. in Julian. perſæpe relati. Unde & Gregorius Nazianzenus de illo: *Decumbebat*, inquit, *in ripâ fluminis, malè ob vulnus affectus: Cùm autem multos ante eum gloriâ illuſtratos noviſſet, qui, quoniam artificio quodam ex hominum diſparuiſſent conſpectu, pro Diis habiti fuerant, in flumen corpus projicere nititur; ac niſi Regius quidam Eunuchus conatum prohibuiſſet, ex calamitate illâ novus Deus ſtultis apparuiſſet hominibus Iulianus.* Hæc ex Nazianzeno.

Porrò Joannes illum juxta aquas Tigris fluminis locum, in quo cædes Juliani contigit, non ſimpliciter vocavit *Mageddo*, ut indicaret dumtaxar ſimilitudinem illius loci Tigrianarum aquarum, ubi cæſus eſt Julianus, cum loco aquarum *Mageddo*, juxta quas interfectus fuit Si-
l. Judic. 4. v. 13. ſara: verùm nuncupavit illum locum *Armagedon*, nomine compoſito ex *Ar*, & *Magedo*, quòd literæ *Ar* ſint prima, & ultima urbis Aſor, in quâ regnabat Jabin Rex Chanaan; necnon ſint primæ literæ *Haroſeth* civitatis, ubi degebat Siſara; & undè congregavit omnem exercitum. Itaque Sanctus Joannes compoſuit nomen *Armagedon*, ut ſignificaret non tantùm aquas *Magedo*, ſed etiam indicaret ad illas aquas deletum exercitum Regis *Aſor*, & interfectum Siſaram ducem illius ex *Haroſeth* profectum; ac conſequenter innueret juxta aquas, ſcilicet Tigris fluminis, enecandum Julianum, ejuſque profligandum exercitum.

Sicuti verò Deus per Debboram Propheriſſam dixit Baraco Duci exer-
l. Judic. 4. v. 7. citus Iſraëlitarum, *Ego adducam ad te in loco torrentis Ciſon Siſaram Principem exercitus Iabin, & currus ejus, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tuâ.* Ita hæc Apocalypſis verba, *congregabit illos in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon*, intelligere debemus, quòd ipſemet Dominus congregabit illos, Julianum videlicet, atque ejus exercitum, ut deleantur.

Spiritus quidem *Dæmoniorum*, uti dictum eſt verſu decimo quarto, quem explicui, proceſſerunt ad illos ſignis mendacibus, & congregarunt illos in prælium ſub ſpe certiſſimæ victoriæ: ſed ex eodem verſu, & ſequenti, Deus omnipotens, & verax, congregabit ipſos eo die, & loco, quem ſtatuit, ut debitis pœnis afficiat; idque tantò magis præſtabit,

ſtabit, quòd, quemadmodùm *filii Iſraël, vehementer oppreſſi à Rege Chanaan, clamaverunt ad Dominum*; ab eoque victoriam obtinuerunt: Sic veri ſecundùm Spiritum Iſraëlitæ Chriſtiani ad Dominum Deum ſuum, ut liberarentur ab impiiſſimo Tyranno, & Apoſtatâ, qui cædem illis, ac ſi poſſet, excidium ſanctiſſimæ Religionis moliebatur, multas preces fuderunt, ut videre eſt apud Gregorium. Naziazenumn oratione ſecundâ in Julianum.

Judic. 4. v. 3.

Gregor. Naz. or. 2. in Julien.

His arbitrarer explicatum ſatis locum *Armagedon*, in quem prædixit Sanctus Joannes congregandum cum exercitu ſuo Julianum, ut interficeretur.

Sed, cùm notas, quas Dionyſius Amelottus Congregationis noſtræ preſbyter in Apocalypſim Gallicè edidit, perpendo, moveor, ut alia ſubjiciam à Lectoribus, ut ſpero, propter veritatem hiſtoricam non improbanda.

Quandoquidem, (verba citati Authoris Gallica Latinitate dono) *contra morem ſuum Apoſtolus non explicuit nobis vocabulum illud Hebraicum Armagedon, voluit, ut quid ſignificaret, diligenter inquireremus; nec ambigendum nobis reliquit, quin eo nomine arcanum aliquod peculiare comprehenderetur. At ex Sancto Hieronymo de nominibus Hebraicis, illo nomine Armagedon, ſignificatur Conſurrectio tecti, vel conſurrectio in priora. Sed non mediocris ſubtilitas adhibenda eſſet, ut ex illis duabus interpretationibus congruus huic Apocalypſis loco ſenſus eliceretur. Præfato Sancto Doctori magìs arrident duæ aliæ ejuſdem nominis ſignificationes, nempè Mons è latrunculis, & Mons Gibboſus: quæ tamen non plùs lucis conferunt, quàm duæ priores. Aliis videtur Mons ſucciſionis, ſeu diviſionis: Aliis excidium exercitus eorum: aliis denique deceptio exercitus.*

le P. Amelotte en ſes notes ſur l'Apocalypſe.

Hi r. de Nom. Hebr. de Apocalypſi: *Armagedo*, inquit, *Conſurrectio tecti, ſive conſurrectio in priora: Sed meliùs mons è latrunculis, vel mons gibboſus.*

Hæc Amelottus; iſque duas poſtremas ſignificationes, huicce loco Apocalypſis, ut ſibi lubet, accommodat.

Verùm ego, non quidem ex aliquo acumine ingenii, quod mihi ſit, ſed hiſtoriam attendens, ac divinâ luce perfuſus (*omne enim donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*) perſpicuè, ni fallor, oſtendo alias, quas ex eodem Amelotto retuli, ejuſdem nominis *Armagedon* ſignificationes, mirum in modum convenire loco illi inſigni, ac præ cæteris memorabili, in quem ab aquis Euphratis ad aquas Tigris perductus eſt Julianus, ut paulò poſt enecaretur; ejuſque profligaretur exercitus.

Ep. Jac. 1. v. 17.

Quippe ex Ammiano Marcellino rerum à Juliano geſtarum teſte oculato, *Cùm à vicinâ jam Cteſiphonte repentini excurſus, & alia formidarentur occulta, ventum eſt hinc ad foſſile flumen, Naarmalcha nomine, quod amnis Regum interpretatur, tunc aridum. Id antehac Trajanus, poſteàque Severus egeſto ſolo fodiri in modum canalis ampliſſimi ſtudio curaverat ſummo, ut aquis illuc ab Euphrate transfuſis, naves ad Tigridem commigrarent; tutiſſimumque ad omnia viſum eſt eadem loca purgari; quæ quondam, ſimilia Perſæ timentes, mole ſaxorum obſtruxere multorum; hâcque valle purgatâ, avul-*

Ammian. Marcell. l. 24.

ſis cataractis, undarum multitudine claſſis ſecura, ſtadiis triginta repulſa, in alveum ejecta eſt Tigridis; & contextis ilicò pontibus, tranſgreſſus exercitus iter verſùs Cochen, quam Seleuciam nominant, promovit.

Hæc Ammianus, quæ etiam videre eſt, licèt pauciotibus verbis, apud
Zoſim. l. 3. Zoſimum, utrumque hiſtoricum paganum.

Sed ex noſtris, Nazianzenus, Sozomenus, & Nicephorus ſimilia referunt.

Nazianz. or. 2. in Julian. Nazianzenus quidem: *Iam non procul à Cteſiphonte aberat Iulianus; Euphratiſque partem haud parvam derivavit, ut claſſi eſſet navigabilis, ex foſſâ, cujus vetuſta aſſerunt apparere veſtigia, quæ Tigri commiſcetur; & ita claſſem de fluvio in fluvium duxit.*

Sozom. l. 6. c. 1. Sozomenus quoque, *Cùm navibus propter terram interjectam Cteſiphontem appellere non poſſet, quibuſdam captivis de eâ re rogatis, foſſam reperit temporis longinquitate obſtructam, oppletamque, quâ naves tranſmitti poſſent. Itaque effoſsâ indè, egeſtâque colluvie, quæ navibus poſſet eſſe impedimento, Euphratem per eam in Tigrim derivavit; atque hàc navibus traductis ad urbem venit.*

Niceph. l. 10. c. 34. Denique Nicephorus iiſdem fermè verbis, *foſſam reperit aggere oppletam; & aggere perfoſſo, &c.*

Itaque ex illis Ammiani, Zoſimi, Nazianzeni, Sozomeni, & Nicephori narrationibus patet, quomodò Julianus cum exercitu ſuo *congregatus ſit in locum, qui vocatur Hebraicè Armagedon*, hoc eſt, juxta relatas duas primas Sancti Hieronymi interpretationes, *conſurrectio tecti, ac conſurrectio in priora*; quandoquidem deductus ſit Julianus *ad foſſam, mole ſaxorum multorum obrutam, oppletam, obſtructam, obtectam aggere*, quam Julianus *purgari, effodi, & egeri* curavit; ac iccirco deportari, & *conſurgere* fecit in oras, & ripas terram illam plurimam, & molem, ac colluviem, quâ foſſa illa fuerat obtecta. Proinde liquet, quòd illa moles *conſurrexerit*, ſeu elevata fuerit *in priora* loca, ſeu littora alvei, ut foſſa, quæ priùs temporibus Trajani, & Severi, aquas Euphratis capiebat, & in Tigrim naves vehebat, iterùm caperet, ac veheret.

Non minùs patent aliæ duæ interpretationes Hieronymianæ vocabuli *Armagedon*, nempe *Mons ex latrunculis, & Mons gibboſus.* Etenim interjecta erat præfatæ foſſæ terra inter Cteſiphontem arcem munitiſſimam, & alteram arcem, quam Nazianzenus Cochen vocat. *Cteſiphon*,
Nazianz. or. 2. in Julian. inquit, *propugnaculum validum eſt, cum foſſâ profundâ, limoque fluvii munitum; illudque fortius redditur alio munimento, quod Coche appellatur, cum pari tutelâ excitatum, ita naturâ, & manuum opere unitum, ut ambæ partes una civitas eſſe videantur.* Quamobrem altitudo illius terræ, ſeu molis, & aggeris, prædictam foſſam, antequàm illuc perveniſſet Julia-
4. Reg. 5. v. 2. C. 6. v. 23. nus, opplentis, erat veluti *mons è latrunculis*, ſeu militibus, eo nomine in Scripturâ perſæpè vocatis: Mons ſcilicet artefactus, prodiens è duabus præfatis arcibus Cteſiphonte, & Coche, in quibus erant copioſi milites. Erat quoque *mons gibboſus*, veluti agger ſuperpoſitus præfatæ foſſæ, ſicuti gibbus ſuperpoſitus eſt humeris.

At

At ex aliis, vocem illam *Armagedon* interpretantibus, erat *Mons ſucciſionis, ac diviſionis*, quòd moles illa, anteà in præfatâ foſsâ eminens, fuerat congeſta ex *ſucciſis*, tùm lapidibus, tùm glebis; necnon *divideret* Euphratem à Tigride; eſſerque obex à Perſis interjectus, nè adverſariorum naves, & turmæ ab Euphrate ad Tigrim permearent; venirentque ad Cteſiphontis obſidionem. Verùm mons ille eo modo, & eo fine congeſtus in prædictâ foſsâ, indè *exciſus* fuit, *diviſus*, erutus, ſublatuſque juſſu Juliani, ut cum claſſe ſuâ, & exercitu Cteſiphontem aggrederetur.

Quòd verò *Armagedon* aliis Interpretibus videtur *excidium exercitus eorum*, atque etiam *deceptio exercitus*, manifeſtè competit loco illi, de quo nunc agimus, in quem congregatus eſt cum exercitu ſuo Julianus. Etenim ex citatis Authoribus, Ammiano, Zoſimo, Nazianzeno, Sozomeno, & Nicephoro conſtat, paulò poſtquàm prædicta foſſa fuit purgata, Julianum eſſe interfectum, ejuſque ſubjugatum exercitum, fraude Perſæ transfugæ, qui ei navium ſuarum, tanquam ſuperfluarum, conſuluit incendium; & facilem de Perſis victoriam brevi per terras promiſit.

Illas ob cauſas miro Dei, omnia prævidentis, & præordinantis conſilio, Joannes inter cætera loca, ad quæ Julianus perventurus erat, prænotavit locum illum vocatum à ſe Hebraicè *Armagedon:* Quippe ab eo loco deinceps peſſundatus eſt cum exercitu ſuo Iulianus; quamvìs omnia ei anteà feliciter ceſſiſſent uſque ad eum locum; ac etiam indè majores progreſſus, felicemque belli exitum ſibi haùd dubiè polliceretur.

Eam, inquit Nazianzenus, *regionem, per quam Euphrates fluit, & Tigri commiſcetur, cepit, & vaſtavit; vel quia propter ſubitam irruptionem hoſtem fefelliſſet; vel ut hoc pacto inſidiosè à Perſis paulatìm ultrà protraheretur: utraque enim feruntur. Progrediens igitur exercitu concomitante, jam non procul à Cteſiphonte aberat, cui appropinquare, victoria partem præ deſiderio exiſtimabat. Hinc retrò cedere res cœperunt, perindè ac arena à pedibus divulſa, aut navis tempeſtate disjecta.* Nazianz. or. 2. in Julian.

Quæ cum ita ſint, debitaſque impietati ſuæ pœnas luerit. Iulianus Apoſtata, & ab eo liberata ſit Chriſtiana Religio, in cujus perniciem juraverat, concludam his verbis Salomonis, *Vir impius procaciter confirmat vultum ejus*; ſed *non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Prov. 21. v. 29. 30.

EXPLANATIO LIX.

Referens ad primos annos Valentiniani, Imperatoris Chriſtiani, terræ motum ab orbe condito inauditum; atque etiam necem Procopii, & Marcelli, cognatorum Iuliani, cujus impietatem, & Imperium excitare tentabant, verſu decimo ſeptimo, & decimo octavo Capitis decimi ſexti Apocalypſis.

VERS. 17. Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aërem; & exivit vox magna de templo à throno, dicens, Factum eſt.

℣. 18. Et facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua; & terræ motus factus eſt magnus, qualis numquàm fuit ex quo homines fuerunt ſuper terram, talis terræ motus, ſic magnus.

Verſ. 17. *Et ſeptimus Angelus effudit phialam ſuam in aërem.*

SEPTIMUS Angelus, qui è templo Cœleſti, juſſu Divinæ Majeſtatis prodiit, *effudiſſe* dicitur *phialam ſuam in aërem*, quatenùs acceptâ à Deo poteſtate uſus eſt, ut aërem vehementer commoveret, ac inflammaret; undè orirentur horrenda tonitrua; & ipſa moles terræ inſueto motu concuteretur.

Ex ℣. 17. *Et exivit vox magna de templo à throno.*

Dùm Angelus, juſtæ in impios iræ Divinæ miniſter, quod ſibi juſſum fuerat, implevit; Chriſtus, qui in templo, & throno cœleſti conſidet, emiſit *vocem magnam*, dignam ſe ipſo, qui Magnus eſt; quæque ad Cœlites omnes, & ad ipſum Joannem in terris degentem perferretur; ac magna paucis comprehenderet.

Ex ℣. 17. *Dicens, Factum eſt.*

Factum eſt quod juſſeram: Quippe ſeptem Angelis, qui in conſpectu throni mei ſunt, præceperam, *ut irent, & effunderent ſeptem phialas iræ meæ in terram*, ſeu in homines, terrenis addictos, nec cœleſtia cogitantes: Effuderunt illas; ideoque ipſorum obſequium laudo.

Indè

Indè autem ſequitur, ut *actum ſit* de ſuperſtitione paganâ, quæ, quamvìs Imperatorum Ethnicorum authoritate anteà in Chriſtianos atrociter ſæviret, tamen prorsùs delebitur; ac propterea auferetur omninò imperium ab Ethnicis, nè ampliùs in Chriſtianam Religionem ſæviant; ſed fixum erit in Principibus Chriſtianis, ut cultum divinum foveant, ac promoveant.

Enimverò ex Ammiano Marcellino, extincto Juliano, *Iovianus eligitur Imperator, Chriſtianæ legis ſtudioſus.* Ammian. Marcell. l. 25.

Procopius autem *corpore Iuliani ſepulto in ſuburbio Tarſenſi, confeſtim diſceſſit; nec inveniri uſquam potuit ſtudio quæſitus ingenti, niſi quòd multò poſteà apud Conſtantinopolim viſus eſt ſubitò purpuratus.*

At poſteaquam *Iovianus octavo demùm menſe quàm imperare cœperat, vitam finivit, Valentinianus, qui pro Chriſti nomine tribunatum ſub Iuliano amiſerat, conſenſu militum apud Nicæam Imperator creatus eſt; ac poſteà fratrem ſuum Valentem participem fecit Imperii; & Procopium Tyrannum, pluresque poſteà ſatellites ejus occidit,* inquit Oroſius. Oroſ. l. 7.

Is *Procopius*, teſte Ammiano Marcellino, *Iulianum Principem propinquitate contingebat.* Ammian. l. 26.

Quo interfecto, Marcellus ejuſdem Procopii cognatus, umbram principatus funeſti capeſſit. Verùm paulò poſteà cognitâ levi præſumptione Marcelli, milites miſſi ſunt audaces, & prompti, qui eum raptum, ut deditum noxæ mancipium, in cuſtodiam compegerunt: Vndè poſtridie productus, lateribus ſulcatis acerrimè, pariaque perpeſſis conſortibus, interiit, inquit Ammianus.

Subjungit autem Baronius, *talem conſecuti ſunt finem, qui Iuliano, ſicut ſanguine, ita & impietate conjuncti, poſt eum vendicare ſibi Imperium ſtuduerunt: Quibus extinctis, omni ſpe deſtituta gentilitas, languens emarcuit, deſperans penitùs poſſe ampliùs à Chriſtianis regimen Imperii in ſe transferre.* Baron. an. Chr. 366. N. 11.

Verſ. 18. *Et facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus factus eſt magnus, qualis numquàm fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram: talis terræ motus, ſic magnus.*

Porrò præfatorum Procopii, & Marcelli, cognatorum Juliani, interitus, ideoque certa, & conſtans Imperii à gentilitate defectio, contigerunt non multò, poſtquàm inauditus ab orbe condito terræ motus accidit.

Siquidem, inquit Ammianus Marcellinus, *hoc novatore*, ſcilicet Procopio, *adhuc ſuperſtite, cujus actus multiplices docuimus, & interitum, diem duodecimum Calendas Auguſtas, Cos. Valentiniano primùm cum fratre, horrendi tremores per omnem orbis ambitum graſſati ſunt ſubitò, quales nec fabulæ, nec veridicæ nobis antiquitates exponunt. Paulò enim poſt lucis exortum, denſitate præviâ fulgurum acriùs vibratorum, tremefacta concutitur omnis terreni ſtabilitas ponderis; mareque diſpulſum retrò fluctibus evolutis abſceſſit, ut retectà voragine profundorum, ſpecies natantium multiformes limo cernerentur* Ammian. Marcel. l. 26. ſub finem.

tur

Digitized by Google

tur hærentes; valliumque vaſtitates, & montium tunc, ut opinari dabatur, ſufficerent radios ſolis, quos primigenia rerum ſub immenſis gurgitibus amandavit.

Multis igitur navibus, velut aridâ humo connexis, & licenter per exiguas undarum reliquias palantibus plurimis, ut piſces manibus colligerent, & ſimilia, marini fluctus, velut gravati repulſam, verſâ vice conſurgerent; perque vada ferventia Inſulis, & Continentis terræ ſpatiis violenter illiſi, innumera quædam in Civitatibus, & ubi reperta ſunt ædificia, complanarunt.

Proindè, ut elementorum furente diſcordiâ, involuta facies mundi miraculorum ſpecies oſtendebat: Relapſa enim æquorum magnitudo, cùm minimè ſperaretur, millia multa necavit hominum, & ſubmerſit; recurrentiumque æſtuum incitatâ vertigine, quædam naves, poſtquàm humentis ſubſtantiæ conſenuit tumor, peſſundatæ viſæ ſunt; exanimatæque naufragiis corpora, ſupina jacebant, aut prona.

Ingentes aliæ naves, extruſæ rapidis flatibus, culminibus inſidere tectorum, ut Alexandriæ contigit; & ad ſecundum lapidem ferè procul à littore contortæ ſunt aliquæ, ut Laconicam prope Methonem oppidum nos tranſeundo proſpeximus diuturnâ carie fatiſcentem.

Hæc Ammianus: Quæ quis non videat verbis Apocalypſis quàm maximè convenire, cùm Joannes aſſerat *facta eſſe fulgura, & tonitrua, & terræ motum magnum, qualis numquàm fuit, ex quo homines fuerunt ſuper terram:* Ammianus autem dicat, *denſitate praviâ fulgurum acriùs vibratorum, horrendos tremores per omnem orbis ambitum graſſatos eſſe ſubitò, quales nec fabulæ, nec veridicæ antiquitates nobis exponunt.*

Conjicerem verò Deum Cœli, ac terræ Dominum, inaudito illo, à conditione mundi, terræ motu ſignificaſſe mirabilem illam, & hactenùs inviſam mutationem, quâ Imperium ab Ethnicis prorsùs deficeret; & deinceps Chriſtianorum Imperatorum authoritate ſuperſtitio pagana penitùs toto Imperio Romano deleretur: undè ſenſu quodam attributionis
ad Heb. 12. v. 26. 27. 28. verba Aggæi, & Pauli referri poſſent hùc: *Adhuc ſemel, & ego movebo terram; quod declarat mobilium tranſlationem, ut maneant ea, quæ ſunt immobilia. Itaque regnum immobile ſuſcipientes habemus gratiam, per quam ſerviamus, placentes Deo.*

EXPLANATIO LXX.

Decimi noni, & vigeſimi verſus Capitis decimi ſexti Apocalypſis, de excidio Civitatum gentium, & de ruinâ tripartitâ, tùm Nicomediæ, tùm Romæ.

VERS.

VERS. 19. Et facta eſt Civitas magna in tres partes; & Civitates gentium ceciderunt; & Babylon magna venit in memoriam ante Deum dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.

ỳ. 20. Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inventi.

Ex ỳ. 19. *Et Civitates gentium ceciderunt.*

INTERPRETOR primùm caſum Civitatum gentium, ut poſteà *Civitatis Magnæ, & Babylonis magnæ*, urbs enim una videtur duplici nomine indicata, explanationem conjungam. Itaque civitates, quarum incolæ cultui Dæmonum aſtricti, Sanctos Dei cultores vel coëgerant perſecutionis declinandæ causâ ex urbibus ſecedere, vel etiam longiſſimè expulerant edictorum imperialium iniquitate, aut terræ motibus divinitùs immiſſis everſæ ſunt; aut illarum delubra, & ſimulacra impia diruta ſunt ſacrâ Principum Chriſtianorum authoritate.

Sic ex Oroſio, ſub Conſtantio, *terræ motus horribilis multas Orientis urbes ſolo ſtravit.* Oroſ. l. 7.

Sed & Socrates, *per idem tempus etiam in Oriente terræ motus graviſſimi facti ſunt; idque Antiochiæ, vel maximè, ubi ad annum integrum terra concuſſa, & exagitata fuit.* Socrat. l. 2. c. 7.

At dudùm vidimus ex Euſebio Maximinum, qui in Orientis partibus dominabatur, tùm ſuâ ferocitate, tùm impio Jovis Antiocheni oraculo, Chriſtianos longiſſimè *ex urbibus, & agris ejeciſſe.* Euſeb. hiſt. l. 9. c. 2. 6.

Ex ỳ. 19. *Et civitas magna diviſa eſt in tres partes, & Civitates gentium ceciderunt.*

Verùm Ammianus Marcellinus, hiſtoriâ ſuâ ſubminiſtrat explicationem non modò caſus Civitatum gentium, ſed etiam Civitatis magnæ & celeberrimæ, nempe Nicomediæ, ruinam tripartitam.

Etenim, inquit, *iiſdem diebus*, ſcilicet ſub Conſtantio, *terræ motus horrendi per Macedoniam, Aſiamque, & Pontum aſſiduis pulſibus oppida multa concuſſerunt, & montes.* Ammian. Marc. l. 17.

Inter monumenta tamen multiformium ærumnarum, eminuere Nicomediæ clades, Bithyniæ urbium matris; cujus ruinarum eventum verè, breviterque abſolvam.

Primo lucis exortu, ad diem nonum Calendas Septembris, concreti nubium globi nigrantium, latam paulò antè Cœli ſpeciem confuderunt; & amandato ſolis ſplendore, nec contigua, vel appoſita cernebantur. Dein velut Numine ſummo fatales contorquente manubias, magnitudo furentium incubuit procellarum; cujus impetu pulſorum auditus eſt montium gemitus, & eliſi littoris fragor; hæcque ſecuti typhones, atque preſteres cum horrifico tremore terrarum Civitatem, & ſuburbana funditùs everterunt. Et quoniam acclivitate collium

ædes pleraque vehebantur , aliæ ſuper alias concidebant , reclangentibus cunctis ſonitu ruinarum immenſo. Poſt horam denique ſecundam , multò ante tertiam, aër jam ſudus , & liquidus latentes retexit funereas ſtrages.

Et ſupereſſe potuit ædium ſacrarum, & privatarum, hominumque pars major, ni palantes abrupti flammarum ardores per quinquaginta dies , & noctes,quidquid conſumi poterat , exuſſiſſent. Hæc Ammianus ſub Conſtantio libro decimo ſeptimo.

Ammian. Sub Juliano autem , libro vigeſimo ſecundo , idem Hiſtoriographus,
Marc.l.22. *Quarto nonas Decembres , vergente ad veſperam die , reliqua Nicomedia collapſa eſt terra motu.*

Certè ex illâ narratione cladis Nicomedienſis , patet ruinam illius Civitatis fuiſſe *in tres partes diviſam* , ſeu tribus vicibus completam.

Prima fuit, quâ *terrarum tremore Civitas , & ſuburbana everſa ſunt.*

Secunda extitit *ex abruptis flammarum ardoribus , qui palantes per quinquaginta dies , & noctes , quidquid conſumi poterat , exuſſerunt.*

Tertia denique pars accidit,*dùm ſub Iuliano reliqua Nicomedia collapſa eſt terra motu.*

Quòd autem Nicomedia fuerit *Civitas magna*, patet ex Ammiano, qui eam vocat *Bithyniæ urbium Matrem* ; & certum eſt fuiſſe ſedem Imperii, ac veluti alteram Romam , ſub Diocletiano , & Galerio Maximiano,qui
Ammian. in eâ diù commorati ſunt ; undè apud Ammianum, *Iulianus Nicomediam*
Marc.l.22. *venit urbem antehac inclytam , ità magnis retrò Principum amplificatam impenſis , ut ædium multitudine privatarum , & publicarum regia quadam urbis æſtimaretur æterna* , ideſt Romæ.

Ex ỳ.19. *Et Babylon magna.*

Quòd etiam *Babylonis magnæ* nomine intelligi queat Nicomedia , facile judicare eſt ; ſiquidem , uti Babylon ſub Nabuchodonoſore atrociter ſæviit in antiquum populum Dei , & templum Jeroſolymitanum exuſſit; ita ex Euſebio *Diocletianus in Nicomediâ edictum propoſuit, ut tùm deturba-*
Euſeb hiſt. *rentur Eccleſiæ,ſoloque æquarentur : tùm Scriptura abſumerentur igni ; tùm qui*
l.8.c.3.5. *honorem fuiſſent adepti , de gradu turpiter deponerentur : tùm privati , ſi modò*
6. *in profeſſione Chriſtiana perſtarent , libertate penitùs privarentur ; ac non longo tempore pòſt mandatum eſt , ut omnes Eccleſiarum Præſides ubique gentium primùm conjicerentur in vincula ; deindè omnibus machinis adhibitis , idolis victimas immolare cogerentur.*

Martyr. Quin etiam *Nicomediæ juſſu Diocletiani multa millia Martyrum combuſta*
Rom. *ſunt cum Dominico , in quod convenerant die Chriſti natali.*

Eapropter non immeritò Nicomedia Babylonis nomine potuit deſignari : undè Baronius , quamvìs ob aliam rationem , quam ipſe ſubjicit, & quæ noſtræ non obeſt , poſtquàm retulit everſam terræ motu Nicomediam , ait ex Apocalypſis capite decimo octavo , *Cecidit , cecidit Ba-*
Baron.an. *bylon magna (vox fuit piorum) Reges terræ cum illa fornicati ſunt. In ipſa*
Chr.358. *Euſebius , ex quo Euſebiani Arianæ hæreſis defenſores , impietatis aperuit offi-*
n.11. *cinam , ex qua Reges , & cum eis totus penè orbis factus eſt impius.*

Verſ. 20.

Verſ. 20. *Et omnis inſula fugit , & montes non ſunt inventi.*

Cùm Nicomedia non procul fuerit à mari ; & ex Ammiano referente cladem illius urbis , *magnitudo furentium incubuit procellarum , cujus impetu pulſorum auditus eſt montium gemitus , & eliſi littoris fragor , ac deinde horrificus terrarum tremor Civitatem , & ſuburbana funditùs evertit* ; ita ut , *quoniam acclivitate collium ædes pleraque vehebantur , alia ſuper alias conciderent* ; non difficile eſt intelligere omnem inſulam , vel peninſulam urbi illi proximam , in quâ erant ædificia , *fugiſſe* , hoc eſt , more longiùs fugientium , diſparuiſſe ; & *montes* , anteà ædibus refertos , *non eſſe* ampliùs ab oculis circumſpicientium *inventos* , quandoquidem omnia illa ædificia funditus everſa ſunt.

Ammian. Marcel. l. 17.

Hæc de everſione Nicomediæ dicta ſint : Sed nondùm ſatis ; quippe arbitror propoſitos Apocalypſis verſus explicandos etiam eſſe de excidio Romæ , ut Ethnicæ , in pœnam impietatis ſuæ multo tempore adversùs Chriſtianos exagitatæ.

Etenim Apocalypſis capite decimo ſeptimo , *meretrix magna , cum quâ fornicati ſunt Reges terræ* , declaratur *Civitas magna , quæ habet regnum,* ſeu imperium *ſuper reges terræ* ; atque *ſedere ſuper ſeptem montes* ; *& eſſe ebriam de ſanguine Sanctorum , & Martyrum Ieſu :* ibique etiam vocatur *Babylon magna.*

Apoc. 17. v. 1. 2. 5. 6. 9. 18.

Indè Sanctus Auguſtinus *veterem Babyloniam* nuncupat *quaſi primam Romam : ipſam* verò *Romam , quaſi ſecundam Babyloniam* ; *velut alteram Babylonem* ; *velut filiam prioris Babylonis* ; *& occidentalem Babylonem.*

Aug. de Civ. Dei l. 18. C. 2. 22. 27.

Sanctus Paulinus quoque reditum Melaniæ Jeroſolymis Romam deſcribens , ait : *Hanc filia Sion hactenùs habuit , & deſiderat : Nunc filia Babylonis habet , & admiratur : quia jam & ipſa urbs in pluribus filia Sion eſt, quàm filia Babylonis.*

Paulin. ep. ad Sever. 10.

Undè Baronius inquit , *cùm Romam Paulinus ſic nominet filiam Babylonis , ut tamen in pluribus dicat eam præ ſe ferre filiam Sion , facilè , puto , intelligis eâ nominis unius urbis varietate diſcriminatos eſſe gentiles à Chriſtianis; nimirùm ut ea ex parte Roma Babylon dicatur , ubi adhuc in ea gentilitia vigeret impietas : Sion autem in pluribus , utpote quæ Chriſtianis abundaret , in quibus cultus veræ Religionis micaret ; ut planè ex tanti viri ſententia valeas intelligere , quo ſenſu à Ioanne in Apocalypſi Roma ſit Babylon nominata.* Iſta Baronius.

Baron. an. Chr. 397. n. VII.

Ex ℣. 19. *Et facta eſt Civitas magna in tres partes ; & Babylon magna venit in memoriam ante Deum dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.*

Itaque *Civitas illa magna , & Babylon magna* , ſcilicet Roma, ut Ethnica , pœnam impietati ſuæ , & diriſſimæ in Chriſtianos ſævitiei debitam ſubiit ; eamque de ipsâ ultionem divinam ſignificat Joannes verbis ab Iſaiâ , & Jeremiâ mutuatis de excidio Babylonis , poſtquàm Hieroſolymorum urbem vaſtaverat. *Conſurge , Ieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ ejus. Ecce tuli de manu tua calicem ſaporis , fundum calicis indi-*

Iſai. 51. v. 17. 22.

gnationis meæ: non adjicies, ut bibas illum ultrà; & ponam illum in manu eorum, qui te afflixerunt; ait per Iſaïam Dominus: & Jeremiæ inquit,
Jer. 25. v. 15. 16. *Sume calicem vini furoris hujus de manu meâ, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te; & bibent; & turbabuntur; & inſanient à facie gladii, quem ego mittam inter eos.*

Ex verſ. 19. *Et facta eſt Civitas magna in tres partes.*

Roma autem, ut Ethnica, quò debitis pœnis afficiatur, aſſeritur *diviſa in tres partes* multis de cauſis, quæ varias ejus vaſtationis, & excidii hoſtilis circumſtantias exhibent.

Primùm quidem, quòd Roma tribus temporibus capta ſit, ac vaſtata à tribus Ducibus, nempe ab Alarico, à Genſerico, & à Totilâ, ut videre eſt apud Procopium Cæſarienſem libro primo de bello Vandalico, & libro tertio de bello Gothico.

Secundò, ſi Romæ deprædationem, prout ab unoquoque illorum Ducum facta eſt, conſideremus ſingulatim, animadvertemus illam tripartitam.

Iſidor. Hiſpal. in Chron. Gothor. Namque Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in Chronico Gothorum, hæc de Alaricô refert. *Alaricus, Chriſtianus quidem, ſed hæreticus, profectus in Italiam Vrbem irruit, & obſeſſam capit; ſicque Roma irruptione, atque impetu magna cladis everſa eſt. Tantùm autem Gothi clementes ibi extiterunt, ut votum anteà darent, ut ſi ingrederentur urbem, quicumque Romanorum in locis Chriſti invenirentur, in eos agere belli jure non liceret; ſed ibi & feriendi refrænaretur immanitas, & captivandi cupiditas coërceretur: ſicque poſt hoc votum ingredientes Vrbem, quoſcumque in locis ſacris Chriſti, vel Martyrum, aut Baſilicis confugientes invenerunt, non miſerunt captivos; nec cruentus ſæviit in eos gladius, commiſerantibus hoſtibus. Sed & qui extra loca Martyrum erant, & nomen Chriſti, vel Sanctorum nominabant; & ipſis ſimili miſericordiâ hoſtilis furor pepercit. Sic evaſerunt multa millia Romanorum, quibus Gothi propter Chriſtum miſericorditer pepercerunt.*

Ex illis Iſidori verbis videre eſt Romam, ut prædictum eſt à Sancto Joanne, diviſam ab Alarico in tres partes.

Prima fuit eòrum, qui in locis Sacris Chriſtianorum eſſent.

Secunda eorum, qui extra illa loca reperti, Chriſtum, vel Sanctos nominabant.

Tertia eorum, qui nec in locis Sacris Chriſtianæ Religionis inveniebantur; nec ullis verbis ſignificabant Chriſtianam pietatem præ ſe ferre.

Duabus primis partibus Gothi, ſeu Vandali ſub Alarico parcebant: in tertiam autem, quæ erat Ethnicorum, ſæviebant.

Oroſ. l. 7. c. 38. Iſid. Hiſpal. in Chron. Gothor. His peractis, inquit Oroſius: *Tertiâ die Barbari, quam ingreſſi urbem fuerant, ſpontè diſcedunt, facto aliquantarum ædium incendio*; & citatus anteà Iſidorus, *Gothi poſt tertium diem, quo Romam ingreſſi ſunt, nullo hoſte cogente diſcedunt.*

Quamobrem patet iterùm Romam *in tres partes fuiſſe diviſam*, quòd data

Digitized by Google

data ſit Alarico deprædanda tribus diebus , qui ſunt veluti tres partes
menſis : ſicuti enim rectè dicitur dies conſtare viginti quatuor horis
tanquàm partibus, ita menſis in triginta dies veluti partes dividitur.

Illam loquendi formulam , juxta hunc ſenſum , quem mox explicui,
Joannes hauſiſſe mihi videtur ex antiquis Prophetis ; Oſee enim de
populo Juda loquens, ait : *In Dominum prævaricati ſunt : nunc devorabit* Oſee 5.
eos menſis cum partibus ſuis , ut ſignificet Propheta, prævaricatorem po- v. 7.
pulum extremas , ſibique juſtè debitas pœnas perpeſſurum ab hoſti-
bus , certo numero dierum , ſeu partium menſis. Quam Oſee Prophe-
tiam ſatis , ſuperque declarat Jeremias impletam , cùm ait : *In anno nono* Jer. 52.
Regni Sedeciæ , *in menſe decimo* , *decimâ menſis* , *venit Nabuchodonoſor* v.4.6.7.
adverſus Ieruſalem ; *& obſederunt eam. Menſe autem quarto undecimi* 12, 13.
anni, nonâ menſis , *obtinuit fames Civitatem* ; *& dirupta eſt Civitas. In
menſe autem quinto, decimâ menſis, Nabuzardan incendit domum Domini.*

Confirmatâ in hunc modum ex Scripturis explicatione noſtrâ ; ab
Alarico , qui primus ex præfatis Ducibus captam Romam *diviſit in tres
partes* , quòd peculiarem , nempè Ethnicam , tertiam partem Romano-
rum vexaverit , ipſamque Romam triduo vaſtaverit ; venio ad Genſeri-
cum , ſecundum ejuſdem urbis expugnatorem.

Genſericus is *Rex Vandalorum* , ſicuti referunt Hiſtoriographi , *Ro-* Jordanus
mam ingreſſus , *cuncta devaſtat* ; *direptiſque opibus Romanorum per qua-* Ep. Ra-
tuordecim dies , *multa millia captivorum ſecum tulit : Gazam omnem Im-* vennatis de Gothis.
peratoriam in navibus poſitam ſecum in Africam tulit ; *ac ſi qua erant* Iſid. Hiſp.
Romæ decora , *adripuit. Vnam verò ex his navibus* , *ubi ſtatuæ fuerunt* , *tem-* in Chr.
peſtate periiſſe dicunt. Quin etiam urbem Romam incendit Genſericus, Goth.
ſicuti teſtatur duobus locis Evagrius : *Vrbe* , inquit , *incenſâ : Româ* Procop. de bello
incenſâ. Multa quoque *vel igne abſumpta* , *vel demolita* , teſtatur Proco- Vandal.l.1.
pius ſub finem hiſtoriæ de Româ ſecundò captâ à Totilâ libro tertio Evagr.l.2.
belli Gothorum. Huic Genſericæ deprædationi , combuſtioni , & capti- c.1.7.l.4.
vitati Romæ adjungo peſtem , & famem invectas eidem urbi , dùm ob- c.17.
ſideretur ab Alarico. *Cùm diuturna* , inquit Sozomenus , *eſſet Vrbis* Sozom.
obſidio , *& peſtis ſimul* , *& fames urbem affligeret* : nec dubium eſt quin l.9. c.6.
multi quoque tunc temporis gladio hoſtili interierint.

Quapropter dum iſta ſimul , peſtem , famem , & gladium, ac captivi-
tatem, quæ ſecuta eſt , conjungo , moveor , ut dicam Romam iterùm *in
tres partes diviſam*, juxta inditum divinitùs loquendi modum Ezechieli,
quem ſecutus eſt Joannes.

Etenim Dominus præcepit illi Prophetæ , ut *raderet ſibi pilos capitis*, Ezech. 5.
& barbæ ; adjecitque , *tertiam partem igni combures in medio Civitatis*, v.1-2.11.
juxta completionem dierum obſidionis ; *& aſſumes tertiam partem* , *& con-* 12.
cides gladio in circuitu ejus ; *tertiam verò aliam diſperges in ventum. Id-
circò dicit Dominus* , *tertia pars tui peſte morietur* , *& fame conſumetur
in medio tui* ; *& tertia pars in gladio cadet in circuitu tuo* ; *tertiam verò
partem tuam in omnem ventum diſpergam.*

Digitized by Google

Hæc Jeroſolymæ prævaricatrici contigerunt: paria Romæ, quòd impia fuiſſet, ab Alarico, & Genſerico evenere, cùm Civium illius pars una peſte, & fame interierit; pars alia gladio ceciderit; tertia autem in captivitatem fuerit abducta.

Procop. de bello Gothor. l. 3.

Quod ad Totilam tertium Romæ vaſtatorem ſpectat, non abſimilia ipſe inuſſit eidem urbi mala: de illo enim Procopius inquit: *Totilas Romam contendit: exindè vehementior fames Romanos urgebat.* Dùm autem idem Hiſtoricus captam à Totilâ Romam refert, teſtatur *multos anteà lue abſumptos periiſſe: Gothos, quos obvios haberent in urbe, obtruncare: Totilam tamen, cùm ingrederetur Petri Apoſtoli templum, victum precibus Pelagii, Gothis militibus edicto max imperaſſe, Romanorum de cætero ut neminem obtruncarent; & ei in primis precioſiſſima quæque delecta ſervarent: cætera ſibi haberent in prædam.* Denique ex eodem Hiſtoriographo conſtat, Totilam egreſſum Româ *captivos apud ſe habuiſſe.*

Quæ cùm ita ſint, fidem faciunt Romam à Totilâ, non ſecùs ac ab Alarico, & à Genſerico, juxta ſenſum Apocalypſis proximè datum, *fuiſſe in tres partes diviſam*, quòd alii ejus Cives peſte, & fame enecati ſint; alii gladio trucidati; alii fuerint captivi.

Verùm hiſtoria Procopii alios peculiares modos ſuppeditat, quibus eumdem Apocalypſis locum explicem de Româ, tùm capiendâ, tùm captâ à Totilâ.

Procop. l. 3. de bello Goth.

Cùm enim Rex ille Gothorum Romam expugnaret, præfato Pelagio Diacono, ad ſe pro Romanis ſupplici legato, declaravit: *Cætera quidem, Pelagi, quæ à nobis petieris, facilè conſequeris, tribus dumtaxat exceptis; nè quoquam pacto pro Siculis, vel urbis mœnibus hiſce, vel transfugis ſervis verba nunc facias: quandoquidem fieri non poteſt, ut aut Gothorum operâ uti pro Siculis queas, aut murus iſte urbis integer maneat; vel ſervi ipſi, qui nobiſcum nunc militant, ſuis quondam de cætero ut Dominis ſerviant.*

En ex Procopio Roma ad tres conditiones redacta, atque idcirco veluti *in tres partes diviſa*, ſi velit clementiam Totilæ, à quo premitur, experiri.

Procop. l. 3. belli Gothorum.

Totilas verò capit urbem trinâ Iſaurorum proditione, quam ex eodem Procopio, quantùm ſatis ſit, refero.

Cùm perpauci admodùm ad murorum cuſtodiam relinquerentur, & hi quidem jam fame confecti, quaterni cuſtodes quidam, & Iſauri genere, ad portam Aſinariam cuſtodias nacti, nocte conenbiâ obſervata, quâ cæteros ſomnus oppreſſerat, demiſſa è pinnis ad terram reſte, & ea ſe demittentes, Totila indè adito, excepturos ſe Gothorum intra urbem exercitum pollicentur; idque ſe nullo negotio facturos affirmant. Tùm Totilas, datos quoſdam ſuis è ſatellitibus cum his ſtatim dimittit, locum contemplaturos, undè hi aditum affirmaſſent ſuis in urbem fore. Qui, ubi ad muros venere, reſte comprehenſa, in propugnacula ipſa nullo interpellante evadunt. Quò ubi eſt ventum, Iſauri Barbaris omnia oſtentare; & nihil omnino edicere impedi

Digitized by Google

impedimenti uſpiam fore volentibus muros conſcendere. Proinde Gothi juſſi Totila cuncta renuntiare, quæ viderant, eodem, quo priùs aſcenderant fune, protinùs demittuntur. Quorum relatu omnibus Totilas cognitis, etſi eo fuiſſet ex nuncio lætitia non mediocri affectus, ſuſpicione tamen propter Iſauros captus, haud dùm confidendum his nimium eſſe cenſebat. En prima Iſaurorum proditio; ſequitur ſecunda.

Non multos indè poſt dies ad Totilam Iſauri iidem venere, ad id facinus hortaturi. Tum ille alios duos cum his rursùm ire mox juſſit, ut & ipſi diligentiùs omnibus, & accuratè perveſtigatis, viſa renunciarent. Qui utique non longè poſt ad Totilam revertentes, priorum ſimillima referunt omnia. Sic peracta eſt Iſaurorum ſecunda proditio. Tertia tandem conficitur modo eo, quem Procopius pergit enarrare.

Factum eſt ut tertiò demùm Iſauri, Totilæ cùm in conſpectum veniſſent, ad aggrediendum id facinus incitarent. Tum ille alios quoſdam cum Iſauris miſit; cum hiſque & ſanguine quendam ſibi propinquiorem. Hi verò ad Totilam paulò poſt redeuntes, ad rem peragendam confirmant. Qui omnium certior factus, primis tenebris, univerſo armis inſtructo exercitu, ad portam Aſinariam duxit; quaternoſque inde è Gothis prævalidos viros Iſauris ducibus per funem jubet in muros evadere. Qui nocte ſtatim eadem, quâ & Iſauris ipſis obvenerat per vices cuſtodia, dormitantibus cæteris, ad fores Aſinarias aperiendas deſcendunt; præciſaque lignea ſecuribus obice, refractiſque ferreis clauſtris, Gothis aditum patefaciunt; & patentibus portis, cum univerſo exercitu Totilam intra Urbem ad hoſtium arbitrium recipiunt.

Ita pater Romam quodammodò *in tres partes diviſam*, quòd tribus Iſaurorum proditionibus tradita ſit Totilæ poteſtati.

Poſteaquàm autem Totilas Romam cepit, *eam*, inquit Procopius, *in primis ad ſolum proſternere decernit. Sed* conſilio mutato, *muri tantùm, & diverſis in locis hic diruit, quantùm totius partem eſſe hanc tertiam conjecturâ quis conſequi poterat.* Procop. de bello Goth. l. 3.

Quapropter liquet etiam tùm Romam *in tres partes diviſam*, quòd duæ partes murorum illius ſubſtiterint; tertia verò pars fuerit dejecta.

Verſ. 20. *Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inventi.*

Nemo eſt ex iis, qui vel hiſtoriam Romanam legerunt, vel Romam ipſam viderunt, qui neſciat urbem inſulâ Tiberinâ, & montibus, veluti totidem partibus celeberrimis diſtinctam.

Dùm autem vaſtata fuit ab Alarico, dicitur *omnem inſulam fugiſſe, & montes non eſſe inventos*, quòd omnes Chriſtiani, qui inſulam Tiberinam, & montes Romanos incolebant, ex ædibus ſuis ad loca Chriſti, vel Martyrum, quantùm potuere, confugerint, ut gladium hoſtilem effugerent: undè & factum eſt, uti anteà retulimus ex Iſidoro Hiſpalenſi, ut hoſtes *non miſerint captivos, quoſcumque in locis Sacris Chriſti, vel martyrum confugientes invenerunt, nec cruentus ſævierit in eos gladius.* Iſidor. Hiſpal. in Chron. Gothor.

Sic igitur *omnis inſula fugit*, id eſt, omnis Chriſtianus inſulæ habitator fugit. *Et montes non ſunt inventi*, tunc, ut anteà erant, incolis Chriſtia-

nis

nis referti: quia anteà Chriſtiani illis in montibus tutò commanebant: tunc verò propter adventum hoſtis coacti ſunt ex illis montibus ſecedere, & in loca ſacra ſeſe recipere, ut ſuæ conſulerent ſaluti.

Parem fugam, atque etiam majorem, diſtinctis verbis refert Procopius ſub Totilâ: *Ubi*, inquit, *Totilas intra urbem fuit, & perturbatio indè, & timor, ut captâ in urbe, Romanos invaſerant; militum Romanorum pars maxima cum Ducibus ipſis, ut facile cuique, fugam capeſſunt: pauci quidam Romanis cum Civibus ſe immiſcentes, in templo perfugium habuere. Soli omnium ex Patritiis viris Decius, & Baſilius, cum aliis nonnullis, cùm preparatos ad id equos haberent, cum Beſſâ urbis Præſide fugere potuerunt. Sed Maximus, Olibriuſque, & cum his ſimul Oreſtes, & alii quidam, in Petri Apoſtoli ædem ſe fugâ recipiunt. Conſtat ſanè è plebe tunc homines ad quingentos in urbe reſides per id tempus fuiſſe, qui in Divorum ſe templa receperant. Cæteri omnes jam ex urbe exceſſerant; & in alias ſe contulerant terras; vel lue abſumpti fuerant.*

Procop. l. 3. belli Goth.

Ita manifeſtum eſt ex Procopio, ſub Totilâ *omnem inſulam fugiſſe, & montes non eſſe inventos*, quatenùs omnes incolæ inſulæ Tiberinæ, & montium Romanorum fugerunt ex Urbe; vel ſi qui reſidui extiterint, relictis privatis ædibus, quas in præfatis inſulâ, & montibus habebant, confugerunt ad Sacras Sanctorum Apoſtolorum, & Martyrum ædes.

Illûc quoque victor Totilas ſe contulit; & gratiam indè præſtitit Romanis. *Totilas ipſe*, inquit Procopius, *orandi gratiâ Petri Apoſtoli Templum ingreditur; & Pelagii, qui ei obvius fuit, Chriſti in manibus Evangelia geſtans, precibus victus, præcepit Gothis Romanorum de cætero ut neminem obtruncarent, cùm anteà obvios, dumtaxat è militibus viginti, & ſexaginta è plebe homines trucidaſſent.*

Procop. l. 3. de bello Goth.

Hæc Totilas, cùm primâ vice Romam cepit.

Secundâ autem vice, quâ Romam noctu novâ Iſaurorum proditione ingreſſus eſt per portam Capenam: *Ingens eo loco*, inquit Procopius, *ſupervenientium cædes facta eſt: multi jam ex Romanis per alias, & ab hac diverſiſſimas portas abibant: ſed qui Centumcellas petebant, in inſidiatores delati trucidabantur, vix paucis evadentibus. Quadringenti autem Equites ad Adriani ſepulchrum confugiunt, ponte præoccupato, qui ad ſacram beati Petri fert ædem; ac demùm Gothorum ſe copiis voluntarii omnes immiſcent. Cæteri deindè Romani, qui ad Sacras ædes confugerant, trecentorum ferè hominum numero, fide ſalutis acceptâ, extemplò ad Totilam conceſſerunt.*

Procop. l. 3. de bello Gothor.

Undè iterùm manifeſtum eſt illâ ſecundâ vice, quâ Totilas Romam cepit, *Omnem inſulam fugiſſe, & montes non eſſe inventos*, cùm ex Romanis, qui vel in inſulâ Tiberinâ, vel in montibus urbis antea extabant, multis occiſis, alii ex Urbe fugerint; alii ad molem Adriani fugam arripuerint; alii ad ſacras ædes confugerint.

Denique *omnis inſula fugit, & montes non ſunt inventi*, cùm poſt famem, luem, cædem, conflagrationem, deprædationem, & ingentem vaſtitatem ab Alarico, Genſerico, & Totilâ Romæ inuſtam, magna incolarum,

Incolarum, ædium, divitiarum, ſtatuarum, ornamentorumve publicorum multitudo, quam antea in Inſulâ Tiberinâ, & in montibus Romanis videre erat, prorsùs diſſipata fuerit, nec amplius iis in locis apparuerit: ita ut, verbis Jeremiæ huc, quantùm fas eſt, traductis, *egreſſus ſit ab eâ* Urbe *omnis decor ejus; & inimici ejus locupletati ſint propter multitudinem iniquitatum ejus.* Lament. 1. v. 5. 6.

EXPLANATIO LXI.

Vltimi verſus Capitis decimi ſexti Apocalypſis, de grandine vehementi, quæ poſt extinctum Procopium, Iuliani Apoſtatæ conſanguineum, graſſata eſt Conſtantinopoli, & in Cappadociâ, Valentiniano, & Valente Imperatoribus.

VERS. 21. Et grando magna ſicut talentum deſcendit de Cœlo in homines; & blaſphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis, quoniam magna facta eſt vehementer.

Verſ. 21. *Et grando magna ſicut talentum deſcendit de Cœlo in homines.*

EXPLANATIONE quinquageſimâ nonâ hujuſce Capitis retuli compendiosè necem Procopii, & Marcelli, conſanguineorum Juliani, cujus Imperium impium excitare conati fuerant; necnon expoſui inauditum ab orbe condito terræ motum, primis annis Valentiniani, & Valentis Imperatorum: nunc inuſitatam grandinem, quæ paulò poſt ſub iiſdem Imperatoribus Conſtantinopoli, & in Cappadociâ decidit, Joannes prædicit, ut pergat oſtendere ſummam Dei omnia gubernantis, ac ordinantis providentiam, & æquitatem plectentis non modò impium Procopium, ſed etiam Civitatem, quæ ei tantiſper faverat, & Regionem, in quâ prædia multa poſſidebat. Fidem facient horum, quæ propono, Hiſtoriographi.

Quippe ſub Valentiniano, & Valente, inquit Socrates, *Iurino, & Ioviano Conſulibus, ſexto nonas Iulii, grando magnitudine inuſitatâ, lapidibus ſimilis, Conſtantinopoli decidit.* Socrat. l. 4. c. 10.

Hieronymus autem, *Tanta Conſtantinopoli eſt orta tempeſtas, ut mira magnitu*- Hieron. Chron.

magnitudinis decidens grando nonnullos hominum interfecerit.

Baron. an. Ch. 367. n. XXXII.

Nec Conſtantinopolis ſolùm afflicta eſt illâ grandinis clade, ſed etiam Cappadocia, quemadmodùm ex oratione, quam Gregorius præſente Patre habuit Nazianzi, colligit Baronius; eamque ex citato Socrate refert ad quartum annum Valentiniani, & Valentis Imperatorum.

Ex verſ. 21. *Magna facta eſt vehementer.*

Greg. Nazianz. or. in plagam grandinis.

Quàm verò gravis fuerit illa grandinis plaga, tùm propter ejus inuſitatam magnitudinem, tùm propter tempus menſis Julii, quo decidit, cùm inſtaret meſſis copioſa, & ſperaretur vindemia uberrima, quam utramque attrivit, declarat Nazianzenus: *Proindè*, inquit, *admodùm gravis eſt ſterilitas terræ, frugumque vaſtatio; & cur non? Cùm jam ſpes exultaret, horreiſque appropinquaret. Verè moleſta eſt meſſis deformitas; & quòd agricolæ ob labores triſtantur inanes; ſegetibuſque tanquam mortuis aſſident, quas imber lenis nutrivit, rapidus verò extirpavit; quibus nequaquàm manum ſuam meſſor implebit; & ſinum ſuum, qui manipulos colligit. Verè ſpectaculum miſerandum; terra affecta eſt injuriâ, ac detonſa.* Subjungit idem à Domino, *Induxi ſuper vos grandinem: vineas veſtras, & arbuſta devaſtavi.* Hæc Nazianzenus.

Baron. an. Chr. 367. n. XXXIII. Greg Naz. or in laud. Baſil. Gregor. Nyſſenus in laudem ejuſdem.

Sed &, inquit Baronius, *fames ingens, quæ plagam grandinis ſecuta eſt, tum alios, tùm præcipuè Cappadocas magnopere exagitavit.* Undè Nazianzenus, *fames graſſabatur, & quidem poſt hominum memoriam atrociſſima. Languebat Civitas, nempè Cæſarea Cappadociæ; nec ex ullo loco auxilium afferebatur; nec ulla calamitatis medicina.* Ita quoque Gregorius Nyſſenus, *fames gravis, & ſæva tàm ipſam urbem, quàm omnem Vrbi ſubditam Regionem affligebat.*

Indè liquet quàm verum fuerit, juxta verba Sancti Joannis, quod *plaga grandinis magna facta eſt vehementer*, tùm propter ejus inſuetam magnitudinem, & lapideam duritiem; tùm propter necem, quam nonnullis intulit, & vaſtitatem, ac famem graviſſimam, quam invexit.

Ex ℣. 21. *Et blaſphemaverunt Deum homines propter plagam grandinis.*

Quare non mirum eſt, licèt horrendum, & execrandum, quòd impii *homines* plagâ illâ grandinis attriti, ac diriſſimè vexati, *Deum*, à quo ſentiebant ſe præter ſuam voluntatem puniri, *blaſphemaverint*, vel odio adversùs ipſum propter mala, quæ patiebantur, more dæmonum efferati; vel arguentes eum injuſtitiæ, quòd ipſos, aut immeritos, aut plùs æquo plecteret; vel ſicuti olim conſueverant Ethnici, mala ſibi illata refundentes in Chriſtianam Religionem, tanquam cauſam; ex quo Procopius, qui avitam Deorum pietatem cum Imperio renovare tentaverat, fuerat interfectus ab Imperatoribus Chriſtianis.

Greg. Naz. or. in plag. grand.

Quapropter de talibus impiis, ſcelera ſua non minuentibus, ſed augentibus, cùm flagellarentur, inquit Nazianzenus, *induxi ſuper vos grandinem: pravitatem verò veſtram nequaquàm contrivi. Cognoſco quòd durus ſis; & nervus ferreus cervix tua.* Ac poſteà, *plagâ percuti, non grave eſt; ſed*

ob

Digitized by Google

ob plagam, nequaquam refrenari longè eſt graviſſimum, quemadmodum ex Prophetis quidam de populo ait Iſraëlitico duro, & corde incircumciſo: Domine, flagellaſti eos, & non doluerunt. Corripuiſti eos; & noluerunt ſuſcipere diſciplinam, quoniam populus averſus eſt averſione malâ, ob quam penitùs conteretur, & confringetur.

Eſt quidem, inquit Socrates, *multis in ore, illam grandinem, Deo irato, quòd multi Sacerdotes, qui cum Eudoxio communicare recuſaverant, eſſent ab Imperatore relegati, delapſam fuiſſe.* Socr. l. 4. c. 10.

Non rejicio hanc illius grandinis, quæ Conſtantinopoli decidit, cauſam, cùm Eudoxius fuerit Epiſcopus Conſtantinopolis Arianus; ac Valens Imperator hæreſis Arianæ fautor fuerit.

Sed dùm ea, quæ hocce capite Apocalypſis anteceſſerunt, confero cum iſtâ grandine, quæ conſequenter prædicitur, ex illo antecedentium, & conſequentium ordine, qui maximè obſervandus eſt in Scripturis Sacris, ut eæ intelligantur, moveor ut ſubjiciam aliam ei ordini congruentem, ejuſdem grandinis, non tantùm Conſtantinopoli, ſed etiam in Cappadociâ decidentis cauſam, quam hiſtoria mihi ſuppeditat, eamque Sacræ Scripturæ, tùm antiquæ, tum ipſius Apocalypſis authoritate confirmabo.

Nimirum Zoſimus teſtatur *poſt obitum Iuliani, Procopium Cæſaream, quæ Cappadociæ urbs eſt, unà cum uxoribus, & liberis eſſe profectum, quòd iſtic habitare decreviſſet, ubi & prædia magni pretii poſſidebat. Hîc illo commorante, Valentinianus, & Valens Imperatores lecti, priùs etiam ſuſpectum habentes, confeſtim mittunt, qui hominem comprehenderent. Ille ad Pontum Euxinum curſu contendit: indè ad Cherſoneſum; ac tandem Conſtantinopolim noctu pervenit.* Zoſim. l. 4.

Procopius conciliato ſibi Eugenio eunucho, quem magnas opes poſſidere compererat, conſtitutum in urbe præſidium, quod duobus militum numeris conſtabat, pecuniâ corrupit. Præter hos, ſervis armatis, nec magno labore non exiguâ multitudine coactâ, pluribus hoc ſtatu rerum ſponte ſuâ ſemet offerentibus, intempeſtâ nocte copiis in urbem immiſſis, Procopius veluti Rex ſcenicus ſubitò factus conſpectus eſt. Aſcenſo Tribunali, quod ante Prætorium eſt, cùm omnes ſpebus, & largis promiſſis impleſſet, aulam ingreſſus eſt. Poſteà miſit, qui milites, quoſcumque poſſent, ad ſeſe tranſducerent: quòd ſanè perfacilè conſiebat, pecuniis in eos, eorumque Duces diſtributis: quo facto copia non contemnenda ad eum confluebant. Præterea cognationis cum Imperatore Iuliano ſplendor, & quòd omnibus in bellis, quæ ille geſſerat, expeditionum ſocius fuiſſet, homines ad eum pelliciebat. Hæc Zoſimus.

Cùm igitur Procopius *prædia magni pretii poſſederit in Cappadociâ*, & Imperium uſurpaverit Conſtantinopoli; *odio autem ſint Deo impius, & impietas ejus*; Deus impium illum Procopium, & ea, quæ ejus erant, ac ei ſuberant, vel faverant, execratus, attrivit grandine inſuetâ, & vehementi Conſtantinopolim, & Cappadociam, ut maledictiones ad- Sap. 14. v. 9.

Digitized by Google

versùs impium à Deo in Scripturâ prolatæ, veriſſimè poſſint in ipſum Procopium contorqueri: *Maledictus eris in Civitate; maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledicta reliquia tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ.*

Deuter. 28. v. 16. 17. 18.

Ulteriùs animadvertere eſt ex Scripturâ, Samuelem teſtatum Iſraëlitis, *dixiſtis mihi, Rex imperabit nobis, cùm Dominus Deus veſter regnaret in vobis. Sed & nunc ſtate, & videte rem iſtam grandem, quam facturus eſt Dominus in conſpectu veſtro. Numquid non meſſis tritici eſt hodie? Invocabo Dominum; & dabit voces, & pluvias; & ſcietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conſpectu Domini, petentes ſuper vos Regem. Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluvias in illâ die. Et timuit omnis populus nimis Dominum, & dixit ad Samuelem, ora pro ſervis tuis ad Dominum Deum tuum, addidimus enim univerſis peccatis noſtris malum, ut peteremus nobis Regem.*

1. Reg. 12. v. 12. 16. 17. 18. 19.

Quamobrem ſicuti Deus inſolitis tonitruis, & imbribus tempore meſſis convicit populum Iſraëliticum, quàm grande malum feciſſent, quòd ſibi poſtulaſſent Regem, quamvìs Dominus ipſorum, ac Deus regnaret in illis: ita ingenti, ac inſuetâ grandine, cùm meſſis inſtaret, immiſsâ, ſumma omnium conditrix, ac gubernatrix Majeſtas Divina palàm oſtendere voluit, quanti criminis reus eſſet populus Conſtantinopolitanus, qui impium Dæmonum cultorem Procopium voluit habere Imperatorem, tametſi jam imperaret eximius unius Dei cultor, & præclarus Chriſti Confeſſor Valentinianus.

Denique commonſtravit Dominus ſe eſſe tàm juſtum, ut non modò deleturus ſit Romam, Babylonis magnæ nomine anteà ſignificatam, quòd multis ſæculis conſenſerit Imperatorum ſuorum impietati, eorumque adversùs Chriſtianos furori; verùm etiam puniat Conſtantinopolim, novam Romam, quòd tantiſper aſſenſum, & favorem aliquot menſibus præbuerit uni Procopio, qui Chriſtianæ Religionis odium cum Imperio Ethnico, ſi potuiſſet, propagaſſet.

Certè videbitur Apocalypſis capite decimo octavo *Angelus lapidem magnum, quaſi molarem, mittens in mare, ac dicens, hoc impetu mittetur Babylon Civitas illa magna, & ultrà non invenietur.* Interim prædicitur fore, ut Conſtantinopolis, nova Roma, etſi ab initio Chriſtiana, vel etiam infinities juſtior antiquâ Româ, aut ſaltem multò minùs iniqua in iis, quæ peccavit; atterenda ſit *grandine magnitudinis inuſitatæ, & lapidibus ſimili:* undè comparatione factâ Conſtantinopolis priùs, ac mitiùs caſtigandæ, cum Româ, quæ ut Ethnica poſtremò, ac graviſſimè plectetur, fas ſit ad propoſitum hæc verba Principis Apoſtolorum referre; *Tempus eſt ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem à nobis: Quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? Et ſi juſtus vix ſalvabitur: impius, & peccator ubi parebunt?* Iſta ſequentium capitum Apocalypſis explanatione magìs, ac magìs innoteſcent.

Apoc. 18. v. 21.

1. Petr 4. v. 17. 18.

EXPLA

EXPLANATIO LXII.

Condemnationis Romæ ut Ethnicæ, ſub ſpecie meretricis, & beſtiæ ſeptem capitibus, & decem cornibus monſtroſæ; inſanientis inanium Deorum ſuorum amore, & furentis in Chriſtianos; opibus, & populis affluentis; ſeptem montibus, ſuper quos ſita eſt, celebratæ; notatæ etiam ſeptem Imperatoribus à Nerone primo Chriſtianorum perſecutore ad Trajanum; & ab eo ad Licinium, & Iulianum, decem alios Imperatores, Chriſtianæ Religionis perſecutores habentis, toto Capite decimo ſeptimo Apocalypſis.

VERS. 1. Et venit unus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas.

℣. 2. Cum quâ fornicati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitant terram de vino proſtitutionis ejus.

℣. 3. Et abſtulit me in ſpiritu in deſertum. Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem.

℣. 4. Et mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſuâ, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis ejus.

℣. 5. Et in fronte ejus nomen ſcriptum : Myſterium ; Babylon magna , mater fornicationum , & abominationum terræ.

℣. 6. Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Jeſu. Et miratus ſum, cùm vidiſſem illam , admiratione magnâ.

℣. 7. Et dixit mihi Angelus : Quare miraris? Ego dicam tibi Sacramentum mulieris , & beſtiæ , quæ portat eam , quæ habet capita ſeptem , & cornua decem.

℣. 8. Beſtia , quam vidiſti , fuit , & non eſt , & aſcenſura eſt de abyſſo , & in interitum ibit : & mirabuntur inhabitantes terram (quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi) videntes beſtiam , quæ erat , & non eſt.

℣. 9. Et hic eſt ſenſus , qui habet ſapientiam. Septem capita , ſeptem montes ſunt , ſuper quos mulier ſedet , & Reges ſeptem ſunt.

℣. 10. Quinque ceciderunt , unus eſt , & alius nondum venit : & cùm venerit , oportet illum breve tempus manere.

℣. 11. Et beſtia , quæ erat , & non eſt , & ipſa octava eſt ; & de ſeptem eſt , & in interitum vadit.

℣. 12. Et decem cornua , quæ vidiſti , decem reges ſunt , qui regnum nondum acceperunt : ſed poteſtatem tanquam Reges unâ horâ accipient poſt beſtiam.

℣. 13. Hi unum conſilium habent , & virtutem & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent.

℣. 14. Hi cum Agno pugnabunt , & Agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum eſt , & Rex regum , & qui cum illo ſunt , vocati , electi , & fideles.

℣. 15. Et dixit mihi : Aquæ , quas vidiſti , ubi meretrix ſedet , populi ſunt , & gentes , & linguæ.

℣. 16. Et decem cornua , quæ vidiſti in beſtiâ , hi odient fornicariam , & deſolatam facient illam , & nudam,

dam,

dam : & carnes ejus manducabunt , & ipſam
igni concremabunt.

℣. 17. Deus enim dedit in corda eorum,ut faciant quod
placitum eſt illi : ut dent regnum ſuum beſtiæ,
donec conſummentur verba Dei.

℣. 18. Et mulier, quam vidiſti, eſt Civitas magna, quæ
habet regnum ſuper reges terræ.

Verſ. 1. ***Et venit unus de ſeptem Angelis, qui habebant ſeptem phialas, & locutus eſt mecum, dicens.***

QVAMVIS capite præcedenti ſeptimus Angelus, Divinæ juſtitiæ miniſter, phialam ſuam, & iram æquiſſimam Dei effuderit in Civitatem magnam, ſeu Babylonem magnam, quam interpretati ſumus Romam ut Ethnicam : tamen quia majeſtas urbis illius excidendæ, & impietas non ſatis tunc deſignatæ ſunt, *unus*, ac fortaſſis juxta vim nominis illius in Scripturis perſæpe uſitatam, primus *de ſeptem* illis *Angelis*, quorum *ſeptem phialas* effuſas eodem capite præcedenti explicuimus, accedit ad Joannem, ei indicaturus ſitum illius Civitatis, divitias, ornatum, populorum affluxum, Imperium, ac præcipuos ejus Imperatores, qui inſano Deorum amore perciti, ipſâ conſentiente, Chriſtianos atrociter perſecuti ſunt, undè futurum eſt ut deleatur. Apoc. 16. v. 17. 19. 10.

Ex ℣. 1. *Veni*, mente mihi copulare ; *oſtendam tibi damnationem*, cauſas condemnationis, & pœnas, *meretricis magnæ*, nimirùm ex v. 18. Civitatis magnæ, quæ Prophetarum antiquorum ſtylo nuncupatur meretrix, quòd impuriſſimorum dæmonum, ac veſanorum Deorum cultui turpiter ſeſe ſubjiceret, cùm debuiſſet unum Deum Cœli, & terræ Creatorem, ac Dominum, caſtè, & ſanctè colere.

Ex ℣. 1. *Quæ ſedet ſuper aquas multas*, nempè populis undequaque in eam ex omni natione confluentibus abundat, juxta interpretationem Angeli v. 15. referendam.

Verſ. 2. *Cum qua fornicati ſunt Reges terræ.*

Reges terræ, ſuper quos ex v. 18. Civitas illa magna habet regnum, ſeu imperium, aſſenſerunt illius fornicationi ſpirituali, & inſano Deorum amori.

Ex ℣. 2. *Et inebriati ſunt, qui inhabitant terram de vino proſtitutionis ejus.*

Quin etiam populi, ejus ditioni ſubditi, qui nonniſi terrena ſapuerunt, turpiſſimis, ac impiis illius deſideriis obſecuti ſunt ; & mente capti, velut ebrioſi, libentiſſimè ſeſe dediderunt idololatriæ, ac cuivis alii impietati, ad quam ipſos exemplo, & authoritate permovit.

Verſ. 3. *Et abſtulit me ſpiritu in deſertum.*

Dum Eccleſia Chriſtiana perſecutionem patiebatur ab Imperatoribus Romanis Ethnicis, fugiebat in deſertum, ut ibi tuta eſſet à perſecutione, quemadmodùm vidimus capite duodecimo: ita nunc Angelus animum Joannis evocat in deſertum, ut indè tanquàm ex loco minimè impedito, & velut ex rupe quâdam excelsâ, & eminenti, liberiùs, ac faciliùs circumquaque conſpiciat Romam Ethnicam Chriſtianæ Religionis perſecutricem.

Explan. XLVII.

Ex ℣. 3. *Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ.*

Videt Joannes Romam Ethnicam conquieſcentem, ac corroboratam authoritate Imperatorum ſuorum, more belluino ſævientium in Chriſtianos, & unum verum Deum blaſphemantium impietate illâ, quâ plures Deos colunt, & Chriſtum Dei Filium, ejuſque Religionem ſanctiſſimam execrantur, ſicut hæc fuſius expoſita ſunt capitis decimi tertii primorum verſuum explanatione.

Explan. L.

Ex ℣. 3. *Habentem capita ſeptem, & cornua decem.*

Notat Angelus in Româ Ethnicâ ſeptem montes, necnon ſeptem Imperatores, ac decem alios Imperatores, quos recenſebimus explicatione verſus noni, & verſus duodecimi hujus Capitis.

Verſ. 4. *Et mulier erat circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis.*

Hæc erant ornamenta virorum, ac mulierum, Senatus, populique Romani prædivitis, ac imperantis.

Ex ℣. 4. *Habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus,*

Dan. 5. à v. 1. ad 4.

Alludere mihi videtur Joannes ad concubinas regias, quæ bibentes in vaſis aureis cum Baltaſar Rege Babylonis, ſeſe mutuò provocabant ad ebrietatem, ad laſciviem, & ad petulantem Deorum ſuorum, quos laudabant, amorem. Sic Roma ut Ethnica, quæ jam exhibita eſt ſub ſpecie meretricis, dicitur *habere poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus*; quatenùs epulans ſplendidè cum Imperatoribus ſuis, illa, & ipſi ſeſe invicem, ac conſequenter omnes nationes ipſiſmet ſubditas, pelliciunt ad impuriſſimum cultum ſpirituum immundorum, & ad perſecutionem Religionis Chriſtianæ: Quod ſcelus erat prorsùs abominandum, & execrandum.

Verſ. 5. *Et vidi in fronte ejus nomen ſcriptum: Myſterium; Babylon magna.*

Explan. LX.

Siquidem arcanum eſt, cur Roma, ut Ethnica, Babylonis nomine ſignificetur. Rationes autem illius appellationis protuli explanatione penultimâ capitis præcedentis.

Ex ℣. 5. *Mater fornicationum, & abominationum terræ.*

Non ſecùs ac mater filios parit, fovet, atque promovet; Roma quócumque ditionem ſuam porrigeret, ſuperſtitionem Deorum ſuorum transferebat

Digitized by Google

ſerebat: Populorum etiam, quos ſibi ſubjiciebat, inanem retinebat cultum; ac totis viribus fornicationes abominandas cum idolis toto obfirmabat, augebatque Imperio.

Verſ. 6. *Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Ieſu.*

Ut ebrius nimio amore vini plùs æquo, & uſque ad horrendam repletionem bibit, ita Roma Deorum ſuorum inanium cupidine incitata, tot Chriſtianorum, unum Deum, ac Chriſtum Dei Filium ſanctiſſimè colentium ſanguinem tàm iniquè fudit, ac intra mœnia ſua, & in totâ ditione excepit, ut eodem ſanguine innocuo dici queat ebria, & ad horrorem uſque oppleta.

Ex ỳ. 6. *Et miratus ſum, cùm vidiſſem illam, admiratione magna.*

Quippe valdè inſueta erat, & horrenda ſpecies illius mulieris; necdùm Joannes penitùs noverat quid omnis illa ſimilitudo ſignificaret.

Verſ. 7. *Et dixit mihi Angelus, quare miraris?* Quaſi neſcius.

Ex ỳ. 7. *Ego dicam tibi ſacramentum*, myſterium, arcanam ſignificationem *mulieris, & beſtiæ, quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem.*

Verſ. 8. *Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt.*

Impietas Imperatorum Romanorum Ethnica, Chriſtianæ Religionis perſecutrix, *fuit* primùm in Nerone; *& non eſt* ampliùs in ipſo, quia verè mortuus eſt. Videatur, ſi lubet, init. Explan. 11.

Ex ỳ. 8. *Et aſcenſura eſt de abyſſo.*

Videlicet in Trajano, qui commotus à Diabolo furorem in Chriſtianos renovabit.

Ex ỳ. 8. *Et in interitum ibit.*

At quamvìs multos fideles interempturus ſit Trajanus: nihilominùs ipſe, ſicut & Nero, in æternum peribit in pœnam impietatis, & atrocitatis ſuæ.

Ex verſ. 8. *Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi, videntes beſtiam, quæ erat, & non eſt.*

Ethnici illi, qui nec dederunt, nec daturi ſunt nomen Chriſto Domino, propterèa quòd obſtinato animo cultum Deorum retineant, & ii ex Chriſtianis, qui temporalium ſuppliciorum metu averſabuntur ſanctiſſimam Chriſti Salvatoris Religionem, obſtupeſcent, corpore, vel animo conſpicientes Imperatorem, qui impietatem, ac ſævitiem adversùs Chriſtianos, dudùm in Nerone extinctam, rurſùs excitabit: admiratione autem geſtorum illius bellicorum, & minarum illius atrocium pavore correpti, edictis illius impiis cedent; nec vitæ æternæ, quam Chriſtus promiſit, & confert obſequentibus ſibi, erunt participes, ſicuti fuſiùs anteà expoſui.

Verſ. 9. *Et hic eſt ſenſus; qui habet ſapientiam.* Explan. 11.

Percipiet illum.

Ex verſ. 9. *Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet.*

Jam dixi mulierem illam eſſe Romam, quæ conſenſu omnium ſita eſt ſuper ſeptem præcipuos montes, quorum ſequuntur nomina: Mons Palatinus: Mons Aventinus: Mons Cœlius: Mons Exquilinus: Mons Quirinalis: Mons Janiculus: Mons Pincius.

Ex verſ. 9. *Et reges ſeptem ſunt.*

Illa eadem ſeptem capita præfatæ beſtiæ, non tantùm ſeptem prædictos montes, ſed etiam ſeptem Imperatores mox recenſendos, ſignificant.

Verſ. 10. *Quinque ceciderunt, unus eſt, & alius nondum venit; & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere.*

Etenim à Nerone excluſo, *quinque* Imperatores Romani Ethnici, Galba, Otho, Vitellius, Veſpaſianus, & Titus, *ceciderunt*, hoc eſt, mortui ſunt.

Unus eſt, videlicet ſextus, Domitianus, in quo revixit impietas Neronis, non tantùm Ethnica, ſed etiam Chriſtianæ religionis perſecutrix.

Et alius nondùm venit, nempe Nerva nondùm Imperat; cùm Joannes ſcriberet Apocalypſim tempore Domitiani.

Euſeb. in Chron. *Et cùm venerit, oportet illum breve tempus manere*, quandoquidem Nerva, poſteaquam Imperium fuerit adeptus, uno anno, & quatuor menſibus dumtaxat vivet.

Verſ. 11. *Et beſtia, quæ erat, & non eſt, & ipſa octava eſt; & de ſeptem eſt.*

Impietas, *quæ erat* in Nerone, *& non eſt* ampliùs in ipſo; quæque, ſicuti additum fuit verſu octavo, quem explicui, *aſcenſura eſt de abyſſo*; *& ipſa octava eſt*, videlicet in Trajano, futuro etiam Chriſtianorum perſecutore: Namque Galba, Otho, Vitellius, Veſpaſianus, Titus, Domitianus, Nerva, & Trajanus, ſunt octo Imperatores.

Ex verſ. 11. *Et de ſeptem eſt.*

Primùm quidem, ille idem Trajanus, à Nerone excluſo, Imperator octavus, *eſt de ſeptem*, ſeu de ſeptimo, utpote à Nervâ Imperatore, ſenio confecto, adoptatus.

Secundò *de ſeptem* illis *eſt*, quia ſeptem Imperatorum præfatorum impietatem omnem Trajanus habebit: ethnicam quidem, quæ fuit ſola in ſex Imperatoribus, Galbâ, Othone, Vitellio, Veſpaſiano, Tito, & Nervâ: Chriſtianorum autem etiam perſecutricem impietatem, quæ erat in Domitiano, cùm Joannes Apocalypſim conſcriberet, Trajanus habiturus eſt.

Tertiò, ſi quis ſeptem illos Imperatores Romanos incipiat enumerare à Nerone, Chriſtianorum primo perſecutore; & deinde, prætermiſſis Galbâ, & Othone, qui numquam fuerunt pacifici poſſeſſores Imperii, de quo Vitellius à ſuo exercitu Germanico electus ſemper contendit cum illis; ipſum ſolum Vitellium, qui profligatis illis duobus ſolus imperavit

ravit pacificè, computet uſque ad Trajanum, eumdem Trajanum reperturus eſt ſeptimum. Nempe Nero, Vitellius, Veſpaſianus, Titus, Domitianus, Nerva, & Trajanus, ſunt ſeptem Imperatores.

Ex verſ. 11. *Et in interitum vadit*, ſeu *ibit*, ex verſu 8. quem jam expoſui.

Verſ. 12. *Et decem cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt, qui regnum nondùm acceperunt.*

Cùm *decem* illi *Reges*, ſeu Imperatores, eo tempore, quo Joannes ſcribebat, *nondùm acceperant regnum*, ſive Imperium, profectò non debent enumerari ab ipſo Nerone, & aliis ejus ſucceſſoribus, uſque ad Domitianum, qui jam Imperium acceperant, dùm Joannes tradebat Apocalypſim.

Ex verſ. 12. *Sed poteſtatem tanquam reges unâ horâ accipient poſt beſtiam.*

Neque verò putandum eſt illos decem Imperatores imperium adminiſtraturos *poſt beſtiam* completè conſideratam; ſiquidem *beſtia* completè conſiderata, uti anteà viſum eſt, *habet capita ſeptem, & cornua decem,* hoc eſt, juxta relatam explicationem, *ſeptem Reges*, ſeu Imperatores, *& decem Reges*, ſive Imperatores. Quapropter neceſſe eſt intelligere futurum, ut decem illi Imperatores conſequantur imperium *poſt beſtiam* incompletè conſideratam, quatenùs *habet ſeptem capita;* ſicque decem illi Imperatores enumerandi ſunt poſt ſeptem Imperatores jam recenſitos à nobis, ac idcirco poſt Trajanum, juxta præcedentium verſuum explanationem. Apoc. 17. v. 3. 9. 12.

Neque etiam exiſtimandum eſt, decem illos Imperatores ſimul imperaturos, quia textus ait, quòd *poteſtatem unâ horâ accipient:* vox enim horæ latiſſimè intelligenda eſt hîc pro tempore multos annos, atque etiam aliquot ſæcula comprehendente. Sicuti cùm ait Chriſtus, *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo*, hora illa complectitur omne tempus perſecutionum Fidelibus inferendarum, quemadmodùm etiam teſtatur inſignis apud Euſebium epiſtola de Martyribus Lugduni coronatis. *Omnes*, inquiunt, *velut immanes belluæ contra nos furere cœperunt; ita ut, ſi qui anteà propter neceſſitudinem moderatè ſe erga nos geſſiſſent, tunc veluti rabie quâdam incitati, dentibus frendere, inſanireque propè viderentur, atque id adeò, quod à Domino noſtro prædicebatur, in eo eſſet impletum: tempus venturum, in quo omnis, qui vos occiderit, videbitur obſequium præſtare Deo.* Hæc apud Euſebium. Joan. 16. v. 2. Euſeb. hiſt. l. 5. c. 1.

Sanè illa *hora*, de quâ nunc agitur in Apocalypſis textu, intelligenda quoque eſt de toto tempore, quo Romani Imperatores Deorum cultui addicti, perſecutionem movebunt adversùs Chriſtum Dominum, & ejus fideles, ut patet verſibus proximè ſecuturis.

Itaque dicuntur illi decem Imperatores *accepturi poteſtatem unâ horâ,* non quia omnes ſimul imperaturi ſunt; ſed quia imperabunt dumtaxat illo uno tempore, quod Divina Majeſtas, cujus judicia abyſſus multa, aſſi-

gnavit perſecutionibus Ethnicorum adversùs Chriſtianos, ut proben-
Eccl. 3. tur. Nam ex Sapiente eſt *tempus belli, & tempus pacis.* At decem illi Im-
v. 8. peratores Romani non imperabunt duobus illis temporibus, *belli* contra
Chriſtianam Religionem, & *pacis* erga eamdem Chriſti Eccleſiam: Sed
tantummodò imperaturi ſunt uno illo tempore, atque iccirco *unâ* illâ
horâ, *belli*, ac perſecutionis adversùs Sanctos Chriſti Domini ſervos.

Quinam autem fuerint poſt Trajanum decem Imperatores illi Romani
Ethnici, qui Chriſtianam Religionem perſecuti ſunt, referam ex Euſebio
hiſtoriæ Eccleſiaſticæ facilè Principe.

Primus igitur Imperator, qui poſt Trajanum Chriſtianos perſecutus
Euſeb. hiſt. eſt, fuit Marcus Aurelius Verus, qui & Antoninus dictus eſt. *Ejus enim*
l. 4. c. 14. *tempore*, inquit Euſebius, *Aſia maximis perſecutionum procellis turbata*
Euſeb. hiſt. *fuit*; ac rursùs, *gravis, & acerba in nonnullis terræ partibus perſecutionis*
l. 5. c. 1. *procella ex temerario populi impetu per ſingulas urbes excitata, contra nos in-*
graveſcere cœpit, in qua infiniti propè Martyres, in reliquis etiam orbis terra-
rum partibus, generoſa cæde pro Chriſto tolerata nobilitati ſunt.

Euſeb. hiſt. Secundus Imperator fuit *Severus*, *qui*, ex Euſebio, *acerbam, & gra-*
l. 6. c. 1. *vem contra Eccleſias perſecutionis tempeſtatem excitavit, ita ut à Chriſti ath-*
letis viriliter pro pietate concertantibus ubique penè gentium præclara Martyrii,
& inſignia certamina confecta ſint.

Tertius Imperator *Maximinus*, *qui* Euſebio referente, *propter gravem*
Euſeb. hiſt. *invidiam, qua contra Alexandri* prædeceſſoris ſui *familiam, in qua complu-*
l. 6. c. 21. *res fideles, & Chriſtiani verſabantur, flagrabat, acerbam perſecutionis tem-*
peſtatem concitavit; juſſitque ſolos Eccleſiarum Præſides, tanquàm auctores
Doctrinæ Evangelicæ, neci dari.

Euſeb. hiſt. Quartus Imperator *Decius*, qui, ut ait Euſebius, *odio quodam capitali,*
l. 6. c. 32. *quo cum Philippo* prædeceſſore *diſſidebat*, incenſus, *perſecutionem contra*
Eccleſiam concitat.

Euſeb. hiſt. Quintus Imperator *Gallus*, *qui*, ex Dionyſio Alexandrino apud Euſe-
l. 7. c. 1. bium, *cùm regnum ejus proſpero fortunæ flatu ferretur, & res omnes ad vo-*
luntatem fluerent, ſanctos, ac pios viros, qui pro pace ejus Imperii, proque
vita incolumitate enixè Deum precabantur, crudeliter exegit.

Euſeb. hiſt. Sextus Imperator *Valerianus*, *quem* Dionyſius Alexandrinus, relatu
l. 7. c. 9. Euſebii, aſſerit *homines culpâ vacuos, ac Sanctos Dei, utpote ſceleſtorum, ac*
execrabilium incantamentorum adverſarios, & oppugnatores, acerbè perſecu-
tum, necique tradidiſſe.

Euſeb. hiſt. Septimus Imperator *Diocletianus*, cujus cum Maximiano Herculio
l. 8. c. 3. perſecutio notiſſima, & graviſſima fuit.
ad 12. Octavus Imperator *Galerius Maximianus*, qui cum Maximino, poſt-
Euſeb. hiſt. quam Diocletianus, & Herculius Imperium abdicarunt, perſecutionem
l. 8. c. 14. continuavit, ut videre eſt apud Euſebium.
& 17.

Euſeb. hiſt. Nonus Imperator *Licinius*, qui ex Euſebio *contra Deum ipſum Conſtan-*
l. 10. c. 8. *tini propugnatorem bellum gerere decrevit: Chriſtianum quemque ex ſuis ædi-*
& 9. *bus ejicit: milites Chriſtianos in ſingulis Civitatibus ex aliorum militum nu-*

mero

mero eximi; eoſque, ſi non ſua ſponte dæmonibus immolare inſtituerent, de dignitatis gradu dejici mandat. In eos, qui carceribus affligebantur, legem tulit, nè quis clementia adductus quicquam alimenti illis impertiret; & qui conferrent, parem pœnam cum illis ſubirent: Quaſdam Eccleſias ſolo adæquari, alias occludi juſſit: Quoſdam Epiſcopos acerbis ſuppliciis affecit, ita ut alii, corpore in multas particulas diſſecto, quò à piſcibus devorarentur, in altos maris gurgites fuerint præcipitati: De reliquo contra omnes Chriſtianos perſecutionem commovere in animum induxit.

Decimus tandem Imperator, *Iulianus* Apoſtata, *qui*, ut ait Ruffinus, *callidior cæteris perſecutor, non vi, neque tormentis, ſed præmiis, honoribus, blanditiis, perſuaſionibus, majorem penè populi partem, quàm ſi atrociter pulſaſſet, eliſit.* Ruffin. hiſt. l. 10. c. 32.

Attamen ſub eo Apoſtatâ gentiles graviſſimis tormentis excruciarunt multos Sanctos; & ipſe extremas pœnas Chriſtianis comminatus eſt, cùm in Perſas proficiſceretur, ut videre eſt apud Theodoretum, & Sozomenum, quorum primus ait, *alia prætereà infinita maleficia, illo tempore terrâ, marique ab impiis contra pios fuiſſe commiſſa*: Sozomenus verò, *Iuliani minæ fortaſſe re ipſa expletæ fuiſſent, niſi celeriùs ipſe è vitâ migraſſet.* Baronius etiam refert *Iulianum in Oriente degentem convertiſſe per Præfectos ſuos perſecutionem in Romanam Eccleſiam.* Theodor. hiſt. l. 3. c. 6. 7. Sozom. l. 5. c. 4. Baron. an. Chr. 362. àn. CCLXIX.

Verſ. 13. *Hi unum conſilium habent.*

Præfati decem Imperatores *unum conſilium*, non quidem ſimultaneum, ſed ſucceſſivum *habent* perſequendi Chriſtianos; & ſummam, quâ pollent, authoritatem exerent in eum finem.

Ex verſ. 13. *Et virtutem, & poteſtatem ſuam beſtiæ tradent.*

Cùm illi Imperatores deberent ſe, ſuaque tradere in cultum impenſiſſimum unius veri Dei, à quo omnis illorum vis, & poteſtas eſt; tamen ſe, ſuaque dedent in obſequium impium inanium Deorum, & in iniquum Chriſtianæ Religionis odium, quo excandeſcentes, tanquam beſtia ferociſſima, pardo, urſo, & leone antè ſignificata, adversùs Sanctos Dei cultores atrociter ſævient. Apoc. 13. v. 2. Explan. 1.

Verſ. 14. *Hi cum Agno pugnabunt*, perſecutionibus ſuis contra ejus ſanctiſſimam Religionem; *& Agnus vincet illos; quoniam Dominus Dominorum eſt, & rex regum.*

Ex verſ. 14. *Et qui cum illo ſunt, vocati, electi, & fideles.*

Imperatorum etiam præfatorum blanditias, & minas, præmia, & tormenta ſuperabunt Chriſti Domini gratiâ corroborati Chriſtiani, ad ejus paſſionum, & gloriæ conſortium vocati; *ambulantes dignè* tantâ *vocatione; ac per bona opera certam ſuam vocationem, & electionem facientes*; necnon fidem, quam jurarunt Salvatori, æquiſſimam toto ſervantes pectore. ad Eph. 4. v. 1. 2. Petr. 1. v. 10.

Verſ. 15. *Et dixit mihi*, nempe Angelus; *Aquæ, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & linguæ:* videlicet Roma Ethnica populis quorumvis idiomatum, & quarumlibet nationum abundabat,

 uti

uti jam ſub initium hujus capitis declaravimus.

Verſ. 16. *Et decem cornua, quæ vidiſti in beſtiâ; hi odient fornicariam.*

Decem Imperatores relati, quamvis videantur diligere Romam, eique conſulere, ac prodeſſe, dùm Chriſtianos Diis ejus adverſantes perſequentur: tamen odient illam, eique nocebunt plurimùm perſecutionis iſtius impietate.

Ex verſ. 16. *Et deſolatam facient illam, & nudam.*

Quippe cauſa erunt vaſtitatis, & deprædationis urbis illius, quæ caput eſt Imperii illorum; quæque furorem ipſorum adversùs Chriſtianam Religionem, vel excitabit, vel laudabit.

Ex verſ. 16. *Et carnes ejus manducabunt, & ipſam igni concremabunt.*

Quia impietas illorum Imperatorum cauſa erit cur tantæ urbis cives fame, & peſte, dùm hoſtes illam obſidebunt, exedantur; & ipſa, poſtquàm capta fuerit, magnâ parte comburatur; quemadmodùm iſta ex hi-
Explan. 12. ſtoricis expoſui explanatione decimi noni, & vigeſimi verſus Capitis decimi ſexti.

3. Reg. 18. v. 17. 18. Sic, cùm *Achab vidiſſet Eliam, Tu-ne es ille, qui conturbas Iſraël?* ait: quibus verbis impius ille Rex diriſſimam trium annorum famem, quam patiebatur ejus populus, refundebat in ſanctiſſimum Prophetam. Verùm Propheta declarat impietatem illius Regis, ac ejus populi, cauſam eſſe tanti mali à Deo juſtè illis inflicti, dùm *ait, non ego turbavi Iſraël, ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.*

Verſ. 17. *Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum eſt illi, ut dent regnum ſuum beſtiæ, donec conſummentur verba Dei.*

Joan. 19. v. 10. 11. Ubi Pilatus dixit Chriſto, *Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit Ieſus, non haberes poteſtatem adverſùm me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*, videlicet à Deo Patre meo. Undè Petrus ſermonem habens ad Judæos de Chriſto, inquit: *Hunc de-*
Act. 2. v. 23. *finito conſilio, & præſcientiâ Dei traditum, per manus iniquorum affligentes, interemiſtis.* Ac poſteà: *Deus, quæ prænuntiavit per os omnium Propheta-*
Act. 3. v. 18. *rum, pati Chriſtum ſuum, ſic implevit.*

At Chriſtus non modò voluit juxta beneplacitum Dei Patris propter
ad Rom. 8. v. 17. ejus gloriam pati, ſed etiam vult ut ſervi ſui addictiſſimi *compatiantur ei, ut & conglorificentur.* Quamobrem ait, *non eſt ſervus major Domino ſuo; ſi*
Joan. 15. v. 20. *me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Mundus gaudebit: vos autem con-*
C. 16. 17. 22. *triſtabimini; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.*

Itaque ut indè veniam ad explanationem verborum Apocalypſis, quæ propoſita ſunt, *Deus dedit in corda eorum*, non impertiendo præfatis Imperatoribus malitiam, quâ Chriſtianos iniquè perſequantur; ſed conceſſit, ſeu permiſit menti erroneæ, & pravæ voluntati Imperatorum illorum, *ut faciant quod eſt illi placitum*, non quidem per ſe, ſed conſequenter; hoc eſt, ut moveant adversùs Sanctos Divinitatis ipſius unius cultores perſecutionem: Etſi enim malignitas, ac iniquitas, quâ movetur

ab

Digitized by Google

ab illis Imperatoribus Ethnicis ea perſecutio, diſpliceat Deo ſummè bono, ac juſto: tamen fides, patientia, cæteræque Martyrum, ac Confeſſorum virtutes, quæ conſequenter ea in perſecutione elucent, gratiſſimæ ſunt Divinæ Majeſtati.

Permittit etiam Deus illis Imperatoribus, *ut dent regnum ſuum beſtiæ*, id eſt, vim, & poteſtatem Imperii ſui exerant belluinâ contra Chriſtianos ferocitate, quæ, uti jam dictum fuit, ſignificata eſt pardi, urſi, & leonis feritate. Apoc. 13. v. 2. Explan. L.

Tandiù autem adversùs Chriſtianos ſævient Imperatores illi, quamdiù permittet illis Deus: permittet verò, *donec conſummentur verba Dei*, id eſt, impleatur quod multò antè dixit in Apocalypſi, nempè compleatur numerus Martyrum, qui illis perſecutionibus interficiendi ſunt; & patientiâ ſuâ invictâ coronam vitæ, & gloriæ æternæ conſecuturi. *Conſummabuntur* etiam tunc alia *verba Dei*, tàm à Chriſto Domino, quàm ore prophetarum, & Apoſtolorum prolata de *perſecutione*, quam *omnes, qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu, patientur*; de *multis tribulationibus, per quas oportet intrare in Regnum Dei*; & de *tertiâ parte* hominum *in terrâ*, ſcilicet Chriſtianorum, qui *ducendi ſunt per ignem, & urendi, ſicut uritur argentum, & probandi, ſicut probatur aurum, ut probatio fidei*, inquit Petrus, *multò pretioſior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in revelatione Ieſu Chriſti.* Apoc. 6. v. 11. 2. ad Tim. 3. v. 12. Act. 14. v. 21. Zachar. 13. v. 9. 1. Petr. 1. v. 7.

Verſ. 18. *Et mulier, quam vidiſti, eſt Civitas magna, quæ habet regnum ſuper Reges terræ.*

Caput Imperii Imperatorum illorum Ethnicorum, qui Chriſtianam Religionem perſecuti ſunt, fuit Roma, cùm eſſet cultui Dæmonum, inaniumque Deorum ſuperſtitioni addicta; quapropter debitas pœnas à Deo juſto judice paſſa eſt, quemadmodùm viſuri ſumus explanatione capitis ſequentis.

EXPLANATIO LXIII.

Capitis decimi octavi Apocalypſis, de excidio Romæ, ut Ethnicæ, quod paganis eſt luctuoſum, Cælitibus autem jucundum.

Vers. 1. Et poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de Cœlo, habentem poteſtatem magnam: & terra illuminata eſt à gloriâ ejus.

℣. 2. Et exclamavit in fortitudine, dicens: Cecidit, cecidit

cecidit Babylon magna : & facta eſt habitatio dæmoniorum , & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ, & odibilis.

℣. 3. Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes : & reges terræ cum illâ fornicati ſunt : & mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti ſunt.

℣. 4. Et audivi aliam vocem de cœlo , dicentem : Exite de illâ , populus meus , ut nè participes ſitis delictorum ejus , & de plagis ejus non accipiatis.

℣. 5. Quoniam pervenerunt peccata ejus uſque ad cœlum , & recordatus eſt Dominus iniquitatum ejus.

℣. 6. Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis : & duplicate duplicia ſecundùm opera ejus : in poculo, quo miſcuit, miſcete illi duplum.

℣. 7. Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit , tantùm date illi tormentum , & luctum : quia in corde ſuo dicit : Sedeo Regina : & vidua non ſum : & luctum non videbo.

℣. 8. Ideo in unâ die venient plagæ ejus, mors , & luctus, & fames , & igne comburetur : quia fortis eſt Deus, qui judicabit illam.

℣. 9. Et flebunt,& plangent ſe ſuper illam reges terræ, qui cum illâ fornicati ſunt , & in deliciis vixerunt , cùm viderint fumum incendii ejus.

℣. 10. Longè ſtantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes : Væ , væ, civitas illa magna Babylon , civitas illa fortis : quoniam unâ horâ venit judicium tuum.

℣. 11. Et negotiatores terræ flebunt , & lugebunt ſuper illam : quoniam merces eorum nemo emet ampliùs.

℣. 12. Merces auri , & argenti , & lapidis pretioſi , & margaritæ , & byſſi , & purpuræ , & ſerici , & cocci , & omne lignum thyinum , & omnia vaſa

eboris

eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro, & marmore.

℣. 13. Et cinnamomum, & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ, & tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & manciporum, & animarum hominū.

℣. 14. Et poma deſiderii animæ tuæ diſceſſerunt à te: & omnia pinguia, & præclara perierunt à te, & ampliùs illa jam non invenient.

℣. 15. Mercatores horum, qui divites facti ſunt, ab eâ longè ſtabunt, propter timorem tormentorum ejus, flentes, ac lugentes.

℣. 16. Et dicentes, Væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpurâ, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis.

℣. 17. Quoniam unâ horâ deſtitutæ ſunt tantæ divitiæ. Et omnis gubernator, & omnis, qui in lacum navigat, & nautæ, & qui in mari operantur, longè ſteterunt.

℣. 18. Et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes: Quæ ſimilis civitati huic magnæ?

℣. 19. Et miſerunt pulverem ſuper capita ſua, & clamaverunt flentes, & lugentes, dicentes: Væ, væ civitas illa magna, in quâ divites facti ſunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus: quoniam unâ horâ deſolata eſt.

℣. 20. Exulta ſuper eam cœlum, & Sancti Apoſtoli, & Prophetæ: quoniam judicavit Deus judicium veſtrum de illâ.

℣. 21. Et ſuſtulit unus Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicens: hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultrà jam non invenietur.

℣. 22. Et vox citharœdorum, & muſicorum, & tibiâ canentium, & tuba non audietur in te ampliùs: & omnis artifex omnis artis non invenietur in te ampliùs: & vox molæ non audietur in te ampliùs.

℣. 23. Et lux lucernæ non lucebit in te ampliùs: & vox

Digitized by Google

ſponſi & ſponſæ non audietur adhuc in te: quia mercatores tui erant principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.

ỷ. 24. Et in eâ ſanguis Prophetarum, & Sanctorum inventus eſt, & omnium, qui interfecti ſunt in terrâ.

Verſ. 1. *Et poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de Cœlo, habentem poteſtatem magnam, & terra illuminata eſt à gloriâ ejus.*

POSTEAQUAM capite præcedenti unus Angelus declaravit Joanni pœnas, quibus à Deo juſto judice condemnata erat Roma, ut Ethnica, & cauſas condemnationis illius, ex impio inanium Deorum cultu, & iniquiſſimis Chriſtianorum perſecutionibus depromptas; apparet alter Angelus, eximiâ pollens poteſtate, & tanto præfulgens gloriæ ſplendore, ut terram illuſtret. Quippe miniſter eſt, ac nuntius Dei ſummè potentis, & juſti, propalaturus toti terræ excidium illius urbis, quæ toto propemodùm orbe, cui imperabat, ſanctiſſimam Chriſti Domini religionem exagitarat; & graves intulerat injurias Divinæ Majeſtati. Sic apud Oſee Dominus,
Oſee 6. *quid faciam tibi, Ephraim? Quid faciam tibi, Iuda? Iudicia tua quaſi lux*
v. 4. 5. *egredientur:* ſiquidem ſtrages, quam impietate tuâ promeruiſti, mani-
ad Epheſ. feſta erit omnibus; *omne enim*, inquit Apoſtolus, *quod manifeſtatur,*
5. v. 13. *lumen eſt*; & ipſe Angelus, de quo nunc agitur, paulò poſt dicet, *fortis*
Apoc. 18. *eſt Deus, qui judicabit illam* urbem.
v. 8.

Verſ. 2. *Et exclamavit in fortitudine.*

Græcum addit φωνῇ μεγάλῃ, voce magnâ. Ut ille Angelus *diligebat*
Marc. 12. *Deum ex toto intellectu, & ex totâ fortitudine*, omnem etiam, quam à
v. 33. Deo accepit, poteſtatem exeruit ad ejus gloriam; clamavitque totis viribus, quò perferretur ad omnes ejus vox, quæ excidium illius urbis æquiſſimum, ex Divinis decretis inflictum, publicabat.

Ex ỷ. 2. *Dicens, cecidit, cecidit babylon magna.*

Dudùm retulimus ex Auguſtino, Paulino, & Baronio Romam, ut
Explan. in Ethnicam, appellari Babylonem. Ruinam autem illius Angelus bis pro-
Hieron. in clamat, ut ſignificet rem difficilem creditu ſe annuntiare; ac idcirco
proœmio illam conſtanter aſſeverare, nè quiſquam eam in dubium revocet. Alio-
l. 3. Com- quin, inquit Hieronymus, *quis crederet ut totius orbis extructa vi-*
ment. in *ctoriis Roma corrueret? ut ipſa ſuis populis, & mater fieret, & ſepulchrum?*
Ezech.

Angelus quoque ſubverſionem Romæ bis eloquitur, tanquàm exultans, & invitans ad lætitiam Angelos gloriam Dei zelantes, & Sanctos
Apoc. 18. Martyres, quorum ſanguinem ab illâ Urbe fuſum ulciſcitur Dominus
v. 20. ejuſdem urbis clade: undè poſtmodùm dicet Angelus, *exulta ſuper eam*

Cœlum,

Cœlum, & Sancti Apoſtoli, & Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium veſtrum de illâ.

Porrò caſus ille Romæ, ut Ethnicæ, intelligendus eſt potiſſimùm de delubrorum, idolorumve, quæ in eâ ſupererant, direptione, & vaſtitate. Etenim, cùm Iſaïas excidium antiquæ Babylonis prædicens, protulit hæc verba, quæ Angelus tranſtulit ad ruinam Romæ præfatæ, *Cecidit, cecidit Babylon*, addit, *& omnia ſculptilia Deorum ejus contrita ſunt in terram.* Jeremias etiam inquit, *Viſitabo ſuper ſculptilia Babylonis.*

[Iſai. 21. v. 9. Jer. 51. v. 47.]

At quamvìs à Conſtatino Magno multi Imperatores Romani fuerint Chriſtiani: tamen complures Romæ tùm è Senatu, tùm è plebe Deorum inanium cultum pertinaciter retinebant.

Indè *Maximus*, occiſo Gratiano, inquit Baronius, *Imperatoris aggreſſus eſt perſonam gerere, non Tyranni; & quò ſibi, cùm Senatum, tùm etiam populum conciliaret, cunctis morem gerere etiam plùs æquo ſtudebat; indulgere gentilibus; reddere illis dempta per Gratianum ſacrificia; reſtituereque ſublatam in Capitolio aram Victoriæ.*

[Baron an. Chr. 387. n. LXIV.]

Theodoſius autem magnus, profligato Maximo, uti refert Baronius, *cum Romanis tranſegit, ut ſacrificia omnia abolerentur, feſtique Dies, & ipſa ſtatua idolorum frangerentur: ſi qua tamen earum excellentis eſſent manus artificis eadem, non ad cultum, ſed ad urbis ornatum exponerentur.*

[Baron. an. Chr. 389. n. I.]

Nam, ſubjungit Eminentiſſimus ille Cardinalis, *confractio nobiliſſimorum artificum operum Gothis iſta non attendentibus aſcribenda eſt: quibus fortaſsè Deus tradidit urbem, ut eam penitùs expurgarent à Deorum gentilium ſimulacris.*

Verùm, inquit iterùm Baronius, *petentibus Flaviano Præfecto, & Arbogaſte Comite, aram Victoriæ, & ſumptus cærimoniarum, Eugenius Tyrannus oblitus fidei ſuæ conceſſit reſtitui in Romano Capitolio Aram Victoriæ; occluſa diù reſerari gentilium templa; fumare Vrbem nidore deteſtabilium ſacrificiorum; oracula conſuli; extaque inſpici animalium.* Theodoſius tamen, ubi iſta ſcivit, prohibuit.

[Baron. an. Chr. 392. n XVIII. XXV. l. 12. de Pagan. C. Theodoſ.]

Sed *Eucherius Stilichonis filius, ad conciliandum ſibi favorem paganorum, reſtitutione templorum, & everſione Eccleſiarum imbuturum ſe regni primordia minabatur.*

[Oroſ. l. 7. c. 27.]

Quare paulò poſt Divinâ providentiâ, & æquitate factum eſt, ut *ad ſolvendum quinque millies libras auri, & tricies mille libras argenti*, quò Alaricus Romam primâ obſidione ſuâ liberaret, *non ornamenta duntaxat ſua ſimulacris adimerentur; verùm etiam nonnulla ex auro, & argento facta conflarentur*: inquit Zoſimus.

[Baron. an. Chr. 408. n. IX. Zoſim. l. 5.]

Quid rogo, ſubinfert Baronius, *cum Romanis idolorum cultoribus faciendum fuit, ut, inviti licet, Divinæ obtemperarent voluntati, qui jam Imperatorum edicta contempſerant], niſi eò neceſſitatis illos adigere, ut à barbaris coarctati, ipſi præſtarent, quod rogati, vel juſſi à Chriſtianis Principibus, ac Divinæ legis Antiſtitibus facere contempſiſſent? Vt planè quiſque*

[Baron. an. Chr. 409. n. IV.]

recto mentis obtutu iſta conſiderans, *perſpicuè illud intelligat*, *ad hoc barbaros immiſſos in urbem vindices*, *ut altis fixam radicibus idololatriam funditùs extirparent.*

Oroſ. l. 7. *Itaque*, ait Oroſius, *poſt hac tanta augmenta blaſphemiarum*, *ulti-*
c.27. 28. *ma illa*, *diùque ſuſpenſa urbem pœna conſequitur. Adeſt Alaricus:*
an. Chr. *trepidam Romam obſedit*, *turbat*, *irrumpit: dato tamen precepto priùs*,
410. *ut ſi qui in ſancta loca*, *præcipuéque in Sanctorum Apoſtolorum Petri*, *&*
Pauli baſilicas confugiſſent, *hos in primis inviolatos*, *ſecuroſque eſſe ſine-*
Sozom. *rent. Militibus autem*, inquit Sozomenus, *ſuis univerſis*, *ac ſingulis*
l. 9. c. 9. *permiſit Romanorum opes diripere*, *utcumque poſſent*, *omneſque domos eo-*
Oroſ. l. 7. c.28. *rum deprædari.* Sed & ex Oroſio *multa ædes incenſa ſunt.*

In quibus, quæ plurimorum Ethnicorum erant, quis dubitaverit multa pretioſa Deorum ſimulacta fuiſſe? ideóque vel indè multa adempta, vel ibi combuſta?

Oroſ. l. 7. Cùm è contra *aurea*, *atque argentea vaſa*, ſacris Chriſtianæ Reli-
c. 28. gionis miniſteriis inſervientia, ſervata fuerint à Barbaris, *& pià pompâ*
Baron. an. Chr. 410. *ad Petri Apoſtoli Baſilicam juſſu Alarici reportata*, quemadmodùm re-
n. XXVI. fert Oroſius; meritóque, ac ſanctâ eloquentiâ amplificat pius Cardinalis
XXVII. Baronius.

XXVIII. Poſteà *Genſericus*, ex Procopio, *ingenti claſſe in Italiam adnavigans*,
Procop. de *Romam nullo adverſante facilè ingreditur*; *Gazamque omnem Imperato-*
bello Vandalico l. 1. *riam in navibus poſitam ſecum in Africam tulit*; *ac ſi qua erant Roma*
an. Chr. *decora*, *inter quæ Iovis Capitolini tegularum ex ære auratarum partem*
455. *dimidiam adripuit. Vnam verò ex his navibus*, *ubi ſtatuæ fuerunt*, *periiſſe dicunt*, *cæteras incolumes in Africam delatas.*

Iſidor. Quot igitur Deorum ſimulacta ex Urbe Româ ablata ſunt à Genſe-
hiſt. Vandal. rico, cùm multæ ejus naves illis fuerint onuſtæ; & urbis direptio, teſte
Iſidoro, duraverit diebus quatuordecim? Quin etiam ex Evagrio, *Vrbe*
Evagr. l. 2. c. 7. *incenſâ*, *rebuſque omnibus direptis*, vel ex Nicephoro, *urbe direptâ*,
Niceph. *ſpectaculiſque ejus incenſis*, colligere eſt, multa Deorum profana loca,
l. 15. c. 11. & ſimulacra conflagraſſe.

an. Chr. Denique *Totilas*, cùm primùm Romam cepit, *imperavit militibus*
547. *Gothis*, *ut ei in primis pretioſiſſima quæque delecta ſervarent: cætera ſibi*
Procop. l. 3. de bello Goth. *haberent in prædam. Quàm multa in patritiorum ædibus inventa fuere!* inquit Procopius, qui & referens ſecundam vicem, quâ Romam cepit Totilas, aſſerit alia anteà Romæ *vel igne abſumpta fuiſſe*, *vel demolita.*

Unde inferre eſt, vix quicquam ex antiquis ſignis Ethnicæ ſuperſtitionis ſuperfuiſſe Romæ poſt illatas ei ab Alarico, à Genſerico, & à Totilâ ſtrages, & clades.

Ex verſ. 2. *Et facta eſt habitatio Dæmoniorum.*

Scimus ex Chriſto; *Satanam ſicut fulgur de Cœlo cecidiſſe*; & teſtatur
Luc. 10. v. 18. Apoſtolus eum in hunc aërem terræ imminentem dejectum; ſiquidem
ad Eph. 2. vocat illum *principem poteſtatis aëris hujus ſpiritum*, *qui nunc operatur*
v. 2. *in filios diffidentiæ.* Quapropter, cùm plurima Romæ loca fuerint à præ-
fatis

ſatis Barbaris vel incenſa, vel demolita, vel deprædata, vacuaque extiterint hominibus, qui ea incolerent, illuc ſeceſſerunt Dæmones, à nullo homine impediti; vel perſtiterunt illic, ubi anteà colebantur ab Ethnicis. Etenim fugantur Dæmones à ſanctis viris: undè Paulinus in vitâ Sancti Ambroſii refert, *Dæmones renunciaſſe aruſpici, ſe non ſolùm ad ipſum Ambroſium appropinquare minimè poſſe, verùm etiam nec ad fores domus, in quâ manebat.* Secùs Gregorius Magnus aſſerit, *diabolum multis annis invaſiſſe, & inhabitaſſe Corinthi domum magnam; ab eaque hominum habitationem repuliſſe. Sed poſteaquàm Sanctus Dacius Mediolanenſis urbis Epiſcopus in eam ex propoſito divertit, fidelium habitaculum facta eſt: quia dùm eam unus veraciter fidelis ingreſſus eſt, ab eâ protinùs mendax ſpiritus, atque infidelis abſceſſit.* Sic igitur Roma poſt ingentem, & multiplicem ſtragem vacua incolis, etiam ſanctis viris plurimis, qui vel in eâ obierunt, vel indè ſponte, aut per vim abſceſſerunt, *facta eſt habitatio Dæmoniorum* ſolorum, aëtem terræ proximum occupantium, præſertìm iis in locis, quæ anteà ſuperſtitioni ethnicæ, ac ipſorum Dæmoniorum cultui impio erant addicta.

Paulin. in vitâ S. Ambroſ. Gregor. Magn. Dialog. l. 3. c. 4.

Ex verſ. 2. *Et cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & omnis volucris immundæ, & odibilis.*

Chriſtus Dominus in Evagelio dæmonem vocat ſpiritum immundum; idcoque cenſere quis poteſt idem omninò ſignificari, cùm dicitur Roma *facta habitatio Dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi.*

Matth. 12. v. 43. Luc. 11. v. 24.

Verùm quia ſequitur, *& cuſtodia omnis volucris immundæ*, arbitror quoque deſignari ab Angelo futurum, ut Roma multipliciter diruta, ac vaſtata, ſit ſeceſſus, non tantùm Dæmonum, ſed etiam animalium, quæ lex antiqua reputabat immunda. Etenim Jeremias de excidio veteris Babylonis loquens, ait, *& erit Babylon in tumulos, habitatio draconum, eo quòd non ſit habitator. Omne autem animal, & omne volatile* dicitur in Geneſi *omnis caro, in qua erat ſpiritus vitæ, & ſpiraculum vitæ.* Quamobrem *omnis ſpiritus immundi* nomine poteſt intelligi omne animal lege antiquâ reputatum immundum, quod ſecedet in ruinas Romæ, & in eis morabitur.

Jer. 51. v. 37. Gen. 7. v. 15. 22. Levit. 11.

Erit etiam ibi omne genus *volucris immundæ*, quæ enumeratur in Levitico; quæque hîc appellatur *odibilis*, quemadmodùm eodem capite Levitici omne animal immundum dicitur *abominabile & execrandum.*

Levit. 11. à v. 13. ad 19. Levit. 11. v. 10. 11.

Undè hûc, & multò magìs poſt vaſtatam ab Alarico, Genſerico, & & Totilâ, Romam, ejuſque vel diruta, vel incenſa, vel direpta delubra, & idola, transferre licet verba, quæ Sanctus Hieronymus protulerat ſub Gratiano, ac de Graccho Romanam præfecturam gerente, qui rejectâ ſuperſtitione Ethnicâ fidem Chriſti amplexus fuerat. *Auratum ſqualet Capitolium fuligine; & aranearum telis omnia Romæ templa cooperta ſunt. Movetur urbs ſedibus ſuis; & inundans populus ante delubra ſemiruta, currit ad Martyrum tumulos. Nonnè ſpecum Mithræ; & omnia portentuoſa ſimulacra ſubvertit, fregit, excuſſit? Solitudinem patitur &*

S. Hier. ep. 6. ad Lætam.

in urbe gentilitas. Dii quondam nationum cum bubonibus, & noctuis in ſolis culminibus remanſerunt. Hæc Hieronymus.

℣. 3. *Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illâ fornicati ſunt; & mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti ſunt.*

Vaſtata eſt Roma in pœnam Idololatriæ ſuæ, quæ fornicatio ſpiritualis eſt,& in ultionem ſuæ contra Chriſtianos perſecutionis, ad quam reges, & populos ſibi ſubditos commovit. Luxus etiam illius impius, & voluptates abominandæ, in ſupellectili, in pompâ, in epulis, in ſpectaculis, aliiſque deliciis, quarum maxima pars cultum impuriſſimorum Deorum ſpectabat, quibuſve fovendis, omnium regionum Mercatores divitias ingentes ſibi comparabant, cauſa fuere vaſtitatis illius, & ſubverſionis.

℣. 4. *Et audivi aliam vocem de Cœlo, dicentem: Exite de illâ, populus meus, ut nè participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.*

Ita quondam Deus per Jeremiam ſubverſionem antiquæ Babylonis prædicens, Iſraëlem monebat ex eâ immensâ bonitate, quâ ſibi aſtrictis providet, *fugite de medio Babylonis, & ſalvet unuſquiſque animam ſuam.* (Jer. 51. v. 6.) Amantiſſimus autem Salvator hìc in Apocalypſi per Angelum conſulit populo Chriſtiano ſibi chariſſimo diſceſſum, & fugam ex urbe Româ, ne pœnas, quas illa ut Ethnica propter impietates ſuas paſſura eſt, ipſi in eum credentes, ac ſanctos ejus mores ſectati, ſubeant; ſicque, quamvìs innocui, videantur eorumdem, ac illa, ſcelerum rei, & *delictorum ejus* quoquo modo *participes.*

Monita Salvatoris obaudierunt, & ſecuti ſunt plurimi Chriſtiani. Quippe Baronius refert (Baron. an. Chr. 408. n. XLIII.) *Melaniam ſeniorem, diſtractis prædiis, unà cum Melaniâ nepte, Pinianoque ejuſdem Melaniæ viro, & Albinâ nuru, evaſuram cum illis imminentem*, quæ ſubſecuta eſt ab Alarico, *urbis cladem, Româ receſſiſſe; & Hieroſolymam ſe iterùm contuliſſe.* Addit ex Palladio, *oraculo Prophetico à Melaniâ Romæ evulgato, atque ſæpiùs inculcato, complures Romanorum civium Chriſtianorum ad rerum temporalium contemptum inductos eſſe, conſultiùs exiſtimantes, amore Chriſti, ſpe ſupernæ retributionis prodigere in pauperes ſuas divitias, quàm eas ad Barbarorum prædam relinquere.* (Pallad. in Lauſiac. c. 33.)

Hæc Baronii verba concludam iſtis: Quàm Sanctus,& felix ille ſpiritalis ex urbe diſceſſus, cùm animo fideli ex eâ ſecederent, profecturi tandem in Cœlum, ubi theſauros ſibi theſaurizabant!

Teſtatur quoque Oroſius, (Oroſ. l. 7. c. 28.) *beatum Innocentium Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, tanquam juſtum Loth ſubtractum à Sodomis, occultâ providentiâ Dei apud Ravennam, tunc, cùm Alaricus Romam irrupit, poſitum, nè peccatoris populi videret excidium.*

Quòd ſi plerique Chriſtiani non ex totâ Urbe procul ſeceſſerunt,cùm vel primùm obſeſſa eſt, vel tandem capta fuit ab Alarico Roma; tamen

ex

ex eâ, præſertim ut Ethnicâ, & Babylone conſideratâ, quodammodo fugerunt, dum eo tempore, quo ingreſſum in illam hoſtem cognoverunt, protinùs omnes propemodùm, relictis privatis ædibus, aliiſque ejus urbis locis, ad Sanctorum Martyrum, ac præcipuè Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicas confugerunt; ibique exempti fuere à morte, quam Ethnici extra illa ſancta loca conſiſtentes perpeſſi ſunt.

At poſteaquàm Roma capta eſt, & direpta ab Alarico, complures, inquit Baronius, *ex Vrbe recedentes, alii in inſulas Tyrrheni pelagi confugere; alii in Orientem, Hieroſolymam petiere; alii trans mare etiam in Africam confugerunt.* Baron. an. Chr. 410. n. xxxvi. xxxvii.

Narrat prætereà Procopius, cùm primâ vice Totilas Româ potitus eſt, fuiſſe è *plebe tunc homines, ad quingentos in urbe reſides, qui in divorum,* hoc eſt, Sanctorum, *ſe templa receperant. Cæteri omnes, jam ex Vrbe exceſſerant; & in alias ſe contulerant terras; vel lue abſumpti fuerant.* Secundâ autem vice, quâ Romam invaſit Totilas, *cæteri*, inquit idem Procopius, *Romani, qui ad Sacras ædes confugerant, trecentorum ferè hominum numero, fidem ſalutis ab eo acceperunt.* Procop. l 3. de bello Goth.

Verſ. 5. *Quoniam pervenerunt peccata ejus uſque ad Cœlum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum ejus.*

Tot, tantaque fuerunt Romæ, uti Ethnicæ, peccata, ut illorum ferè infinitus fuerit numerus; eaque in immenſam propè altitudinem excreverint; ac ſic *uſque ad Cœlum pervenerint*; coëgerintque Deum Cœli, quamvis clementem, in quem perpetrata fuerant, debitis pœnis illa afficere. Videbatur quidem pleriſque inſenſatis Deus ſummè bonus ea non attendere, dùm ipſa non plectebat manifeſtè: ſed ubi ſtatuit ipſam Urbem, in quâ tot, tantaque ſcelera commiſſa ſunt, ſubvertere, ac re ipsâ ita ſubverſa eſt, ut nonniſi rudera antiquæ gentilitatis in eâ ſuperſint, oſtendit palàm cunctis ſe omnium iniquitatum illius urbis juſtè, ac perfectè recordari.

Verſ. 6. *Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis.*

Vox iſta cœleſtis alloquitur populum Chriſtianum, cui paulò antè dixerat, *exite de illâ populus meus*, ac præcipuè Sanctos, in Cœlum receptos, quos Roma Ethnica perſecuta eſt; quorumve ſanguinem fudit, ut inferiùs dicitur hocce capite. Deſignat autem vox illa cœleſtis Romam ut Ethnicam, vaſtandam propter iniquitates, quas in Chriſtianam Religionem perpetravit; ideoque eam pœnâ talionis, quæ in lege Domini præſcribitur, juſtè plectendam. Quaſi diceret; Roma Ethnica, ô Chriſtiani, diripuit veſtra bona: diripiatur & ipſa. Ædes veſtras, ac etiam Eccleſias dejecit, atque combuſſit: diruatur & ipſa; ejuſque delubra incendantur. Tanquàm vilia mancipia vos excepit; ac plerumque ex Civitatibus ſuis expulit: pellantur quoque ejus cives; & in miſerabilem ſervitutem redigantur. Fame, gladio, ac graviſſimis tormentis vos enecavit: pereant etiam ejus incolæ fame, peſte, enſe. Nixa eſt veſtram religionem ſanctiſſimam abolere: deleatur prorsùs impietas ſuperſtitionis illius. Apoc. 18. v. 4. Apoc. 18. v. 20. 24. Exod. 21. v. 23. 24. 25.

Digitized by Google

Ex verſ. 6. *Et duplicate duplicia ſecundùm opera ejus : in poculo, quo miſcuit, miſcite illi duplum.*

Lex antiqua populi Dei, quæ pœnam talionis ſtatuit, decrevit quoque, ut *ſi quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit, quinque boves pro uno bove reſtituat, & quatuor oves pro una ove.* Undè David, auditâ parabolâ Nathan, *dixit, ovem reddet in quadruplum.* Et Zachæus Chriſto Domino, *ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.*

Exod. 22. v. 6. — 2 Reg. 12. v. 6. — Luc. 19. v. 8.

Juxta hanc legem cenſet Dominus plectendam Romam, ut Ethnicam, cùm ait, *duplicate*, hoc eſt, reddite, *duplicia*; & rurſùs, *miſcete illi duplum:* duplicia enim, & duplum efficiunt quadruplum. Eo autem juſto, ac ſancto Divinæ æquitatis decreto factum eſt, ut Roma fuerit quater capta, ſemel ab Alarico, ſemel à Genſerico, & bis à Totilâ, quemadmodum ex Hiſtoricis, quos antè retuli, conſtat.

Verſ 7. *Quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum: quia in corde ſuo dicit, ſedeo Regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo.*

Quantùm ſibi arrogavit; tantùm illi detrahite. Quantùm ſuperbiit, tantùm illam abjicite. Quantùm inanis gaudii percepit ex gloriâ ſuâ, tantùm mœroris, & doloris ſentiat ex ignominiâ ſibi illatâ. Ad ſummum honoris faſtigium elata eſt: ad infimum dedecoris ſtatum dejiciatur. Jactavit ſe omnium nationum, etiam Barbararum, Dominam: apud omnes gentes, etiam efferatas, tanquam vile mancipium habeatur. Dicatur de illâ quod quondam de Jeruſalem vaſtatâ; *Quomodò ſedet ſola civitas plena populo? facta eſt vidua Domina gentium.* Et ipſamet ſe ipſam plangens in hæc verba erumpat, *Dominus poſuit me deſolatam; tota die mœrore confectam.*

Lament. 1. v. 1. 13.

Hinc Hieronymus poſt primam vaſtitatem Romæ ab Alarico; *Quis crederet, ut tota Orientis, Ægypti, Africæ littora, olim dominatricis urbis ſervorum, & ancillarum numero complerentur; ut quotidie ſancta Bethlehem nobiles quondam utriuſque ſexus, atque omnibus divitiis affluentes, ſuſciperet mendicantes? Quibus, quoniam opem ferre non poſſumus, condolemus; & lachrymas lachrymis jungimus.*

Hieron. proœmio in l. 3. comment. Ezech.

Verſ. 8. *Ideò in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames: & igne comburetur; quia fortis eſt, qui judicabit illam.*

Plurium annorum, ut videre eſt apud Jeremiam, tempus quo Jeruſalem à Nabuchodonoſore vexata fuit, direpta, & vaſtata, perſæpe vocatur à Prophetis dies, & dies Domini, juſtè punientis ſcelera illius urbis, ſeu, ut ait Ezechiel *Dies in tempore iniquitatis præfinita*, videlicet à Deo juſto judice.

Jer. 52. v. 28. 29. 30. — Ezech. 21. v. 25. 29.

Eodem Prophetico ſtylo aſſerit Joannes futurum, ut *plagæ*, ſive graviſſimæ calamitates Romæ, *veniant in una die*, hoc eſt, uno, quamvìs multos annos comprehendat, tempore, quod divina æquitas, cui etiam *mille anni ſicut dies unus*, præfiniit in ultionem flagitiorum illius Civitatis, Etenim,

2 Petr. 3. v. 8.

Digitized by Google

Etenim, ſicuti juſtus eſt Dominus, cùm iſtas adversùs illam pœnas decernit: ita potens eſt ut per ſeſe, ac quarumcunque creaturarum, & quorumvis hoſtium miniſterio plagas illas ipſi infligat.

Quænam verò fuerint plagæ illæ, & calamitates Romæ, liquet his verbis; *Mors*, id eſt, ex frequenti Scripturarum uſu, peſtis, & gladius: *& luctus*, qui oritur ex amiſſione rerum chariſſimarum, quales ſunt opes, liberi, conjuges, dignitates, voluptates: *& fames, & igne comburetur*, quæ quidem facilè intelliguntur.

Quàm graves autem, & peracerbæ extiterint illæ ab Alarico, Genſerico, & Totilâ inuſtæ calamitates Romæ, operæ pretium eſt ex Hieronymo, & Hiſtoricis referre, quò veritas Prophetica verborum Apocalypſis, uti à nobis explicata eſt, evidentiùs pateat.

Hieronymus urbis ab Alarico ſtragem lugens, inquit: *Hæret vox; & ſingultus intercipiunt verba dictantis. Capitur urbs, quæ totum cepit orbem; immò fame perit, antequàm gladio; & vix pauci, qui caperentur, inventi ſunt. Ad nefandos cibos erupit eſurientium rabies; & ſua invicem membra laniarunt; dùm mater non parcit lactenti infantiæ; & ſuo recipit utero, quem paulò antè effuderat. Quis funera fando explicet; aut poſſit lacrymis æquare dolorem? Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos; plurima perque vias ſparguntur inertia paſſim corpora, perque domos: & plurima mortis imago.* Hæc Hieronymus.

S. Hieron. ep. 16. ad Principiā.

At Zoſimus fami peſtem addit his verbis: *Quoniam nullum aderat mali ſanandi remedium; jamque cuncta ventris inediæ ſuccurrentia defecerant, famem, ceu conſentaneum erat, peſtis comitabatur; omniaque plena cadaveribus erant. Cumque non poſſent extra urbem ſepeliri cadavera, quòd omnem exitum hoſtes obſervarent, urbs ipſa mortuorum ſepulchrum erat: adeò quidem, ut alioquin etiam ſolitudo in urbe foret; ſique nulla fuiſſet alimentorum penuria, vel exhalans è cadaveribus odor ad inficienda, corrumpendaque corpora ſuffeciſſet.*

Zoſim. l. 5.

Oroſius autem ait, *barbaros tertia die, qua ingreſſi urbem fuerant, ſponte diſceſſiſſe, facto aliquantarum ædium incendio; & nè quiſquam fortè dubitaret ad correptionem ſuperbæ laſciviæ, & blaſphemiæ civitatis hoſtibus fuiſſe permiſſum, eodem tempore clariſſima urbis loca fulminibus diruta ſunt, quæ inflammari ab hoſtibus nequiverunt.*

Oroſ. l. 7. c. 28.

Quæ{cùm ita ſint ex præfatis Authoribus, perſpicuum eſt juxta noſtram verborum Apocalypſis explanationem, famem, peſtem, gl..dium, & incendium Romæ ab Alarico eveniſſe.

Peracerbus quoque eidem urbi luctus contigit à Genſerico, quandoquidem ex Procopio Barbarus ille *gazam omnem Imperatoriam, ac, ſi qua erant Romæ decora, abripuerit*; & ex Paulo Diacono, *omnibus opibus ablatis, multa indè captivorum millia Carthaginem revexerit.*

Procop. l. 1. de bello Vandal. Paul. Diac. author Miſcellæ, l. 5.

Victor etiam inquit, *factum eſt peccatis urgentibus, ut urbem illam quondam nobiliſſimam, atque famoſam Genſericus caperet Romam; & ſimul exindè Regum multorum divitias cum populis captivavit. Quæ dùm multitudo captivi-*

Victor l. 1. de perſec. Vandal.

tatis Africanum attingeret littus, dividentibus Vandalis, & Mauris ingentem populi quantitatem (ut moris eſt Barbaris) mariti ab uxoribus, liberi à parentibus ſeparabantur: Et quia pleroſque inſuetude navigii, & crudelitas captivitatis afflixerat, non parvus inter eos numerus fuerat ægrotorum.

Quis inde fuerit mœror, & luctus Romanis divitias, libertatem, gloriam, voluptatem amantibus, conjicere eſt.

Procop. l. 3. belli Goth. Tandem Totilâ Romam obſidente, *vehementior*, inquit Procopius, *exindè fames Romanos urgebat, cùm nullas poſſent ex agris fruges invehere; & rebus eſſent maritimis intercluſi.*

Idem Hiſtoriographus poſteà, *Quandiù aureus fuit Romanis nummus, frumentum, & furfures coemebant. Verùm ubi demùm his defuit, domeſticam ſupellectilem omnem in forum inferre; & pro diurno hanc victu in eorum commutare jacturam. Sed ubi militibus frumenti nil reliquum fuit, quod impartiri Romanis poſſent, ad urticas univerſi jam circumſpicere. Quibus deficientibus, cùm earum non magna his copia eſſet, atque adeò ad ſaturitatem non omnes haberent, corpore extenuari demque cœperant; plerique verò vel incedentes, vel dentibus adhuc ipſis urticas mandentibus, de improviſo exanimati cadebant. Iamque vel purgamentis in cibum, & ſtercoribus utebantur. Nonnulli etiam fame nimium degravati, manus ſibimet inferebant, cùm nec canes quidem, nec mures de cætero invenirent, nec aliud uſquam demortuum animal, quibus uti in cibum poſſent. Undè Imperatoris Præfecti ex eâ civium Romanorum deſperatione terrore perculſi, traditis, qui abire ex urbe vellent, pecuniis, quocumque animus ferret, ut ſecederent, ſtatim juſſere. Quo factum eſt, ut paucis admodùm Romæ relictis, in fugam omnes ſe proriperent; & quò cuique licuit, diverſim abirent: Eorum tamen pars maxima, areſcentibus præ inedia viribus, mortem paſſim obibat: nonnulli ab hoſtibus intercepti interiere.*

Cùm verò Totilas Romam ingreſſus eſt, ait Procopius, præter *quingentos homines in urbe reſides, cæteros omnes jam ex urbe exceſſiſſe, vel lue abſumptos periiſſe.*

Verſ. 9. *Et flebunt, & plangent ſe ſuper illam Reges terræ*, & quivis Magnates impii, *qui cum illa fornicati ſunt, & in deliciis vixerunt*, qui participes fuere ejus impietatum; *cùm viderint*, vel oculis corporis, vel intuitu mentis ex narratione ejus cladis, *fumum incendii ejus.*

Verſ. 10. *Longè ſtantes propter timorem tormentorum ejus*; nec enim ad eam audebunt accedere, nè calamitatibus illius involvantur.

Ex verſ. 10. *Dicentes, væ, væ civitas illa magna, civitas illa fortis*: Quæ dejecta eſt, & vaſtata, quaſi nullius eſſet roboris, & momenti.

Ex verſ. 10. *Quoniam unâ horâ venit judicium tuum.*

Tempus omne plurimorum annorum, quo Roma afflicta eſt, & attrita, dictum eſt antè à una dies, uti expoſuimus: nunc dicitur etiam *una hora*: Neque cuiquam mirum videri debet, cùm apud Iſaiam omne tempus afflictionis Jeruſalem, ejuſque captivitatis Babylonicæ, dicatur
Iſai. 54. v. 7. 8. *punctum, & momentum. Ad punctum in modico dereliqui te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te.*

Verſ. 11.

Verſ. 11. *Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt ſuper illam; quoniam merces eorum nemo emet ampliùs.*

Verſ. 12. *Merces auri, & argenti, & lapidis pretioſi, & margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & ſerici, & cocci, & omne lignum thyinum, & omnia vaſa eboris, & omnia vaſa de lapide pretioſo, & æramento, & ferro, & marmore.*

Verſ. 13. *Et cinnamomum, & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ, & tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.*

Hæ erant opes, quibus Roma abundabat copioſiſſimè: Sed ſatis ſuperque ex relatis patet illam, poſteaquam ab Alarico, Genſerico, & Totilâ vaſtata eſt, iis omnibus divitiis fuiſſe orbatam; nec quemquam ejus civium, qui tunc temporis extitere, habuiſſe ampliùs quidquam, quo poſſet præfatas res, vel pretioſiſſimas, vel ad faſtum, & voluptatem ſuperfluam conducentes ſibi comparare, cùm ii, qui anteà ditiſſimi erant, ad extremam inopiam eſſent tunc redacti.

Quamobrem Hieronymus poſt cladem ab Alarico illatam ait, *illam quondam potentiam, & ignorantiam divitiarum, ad tantam inopiam perveniſſe, ut tecto, & cibo, & veſtimento indigeat: Et nobiles quondam utriuſque ſexus, atque omnibus divitiis affluentes, ſint mendicantes.* Hieron. procemio in l. 7. comment. in Ezech.

Unde, inquit etiam ſub Totilâ Procopius, *vel Ruſticiana, Boëtii quondam uxori, & Symmachi filiæ id reliquum fuit ad vitam, & miſeriarum cumulum, ut ab hoſtibus panem, vel neceſſarium aliud quicquam emendicando depoſceret, quæ facultates antehac ſuas egentibus impartiſſet; & ſervilibus ipſa, ruſticaniſque indumentis amiciretur. Haud ſecus, & Romanorum primores, amiſſis prorsùs fortunæ bonis, domos circumeundo, foreſque oppulſando, cibum dari ſibi ſuppliciter precabantur, nil prorsùs his ignominiæ eâ re afferente.* Idem. procem. in l. 3. Ezech. Procop. de bello Goth. l. 3.

Verſ. 14. *Et poma*, fructus, *deſiderii animæ tuæ diſceſſerunt à te; & omnia pinguia, & præclara perierunt à te, & ampliùs illa jam non invenient.*

Siquidem de ipsâ dici queat, quod quondam Jeremias de Jeruſalem vaſtatâ. *Egreſſus eſt* ab illâ *omnis decor ejus: Qui veſcebantur voluptuosè, interierunt in viis. Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores; denigrata eſt ſuper carbones facies eorum: adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum.* Lament. 1. v. 6. C. 4. v. 5. 7. 8.

Verſ. 15. *Mercatores horum, qui divites facti ſunt, ab ea longè ſtabunt, propter timorem tormentorum ejus, flentes, ac lugentes.*

Verſ. 16. *Et dicentes, væ, væ civitas illa magna, quæ amicta erat byſſo, & purpurâ, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioſo, & margaritis.*

Verſ. 17. *Quoniam unâ horâ deſtituta ſunt tanta divitiæ.*

Cuncta iſta liquent explanatione præcedentium.

Ex verſ. 17. *Et omnis gubernator, & omnis, qui in lacum navigat, & nauta, & qui in mari operantur, longè ſteterunt.*

Verſ. 18. *Et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes; Quæ ſimilis civitati huic magnæ?*

Hieron. proœmio in l. 1. comment. Ezech. *Clariſſimum*, inquit Hieronymus, *terrarum omnium lumen extinctum eſt: imò Romani Imperii truncatum caput; &, ut veriùs dicam, in unâ urbe totus orbis interiit.*

Verſ. 19. *Et miſerunt pulverem ſuper capita ſua, & clamaverunt flentes, & lugentes, dicentes, væ, væ civitas illa magna, in quâ divites facti ſunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus, quoniam unâ horâ deſolata eſt.*

Quiſquis legerit caput vigeſimum ſeptimum Ezechielis, animadvertet quantas divitias Tyrus, urbs maritima, antequàm vaſtaretur, ſibi ſuis negotiationibus undique comparabat; indéque percipiet multò majores opes omnium nationum maritimarum mercatores ſolitos acquirere ex pretiis rerum omnis generis exquiſitiſſimarum, quas Romæ, cùm florentiſſimum eſſet totius Imperii caput, vendebant.

Verſ. 20. *Exulta ſuper eam Cœlum, & Sancti Apoſtoli, & Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium veſtrum de illa.*

Baron. an. Chr. 409. N. V. *Quanta*, inquit Baronius, anno antequàm Alaricus Romam caperet, *divini nominis ignominia in urbe illâ, ubi Principes Apoſtolorum unà cum Evangelio ſanguinem effudiſſent; & deſtruendæ idololatriæ causâ innumeræ myriades Martyrum vitam pariter profudiſſent; ubi tot, tantaque miracula edita eſſent; tot ſanctiſſimi urbis Epiſcopi docuiſſent; & innumera Sanctorum agmina tot ſeculis coaluiſſent; ibi adhuc ſub Chriſtianis Regibus*, etſi renitentibus, *abominationem idolorum cultus vigere; & ampliſſimis honoribus frequentari!*

Secùs ego dixerim, Apocalypſim explanaturus, ſummam eſſe Divinæ Majeſtatis gloriam, quòd urbem, cunctis propemodùm gentibus imperantem, ipſique Deo multis ſæculis quàm maximè adverſantem, deleverit; ex eâque omnes Ethnicæ ſuperſtitionis reliquias ſuſtulerit, ut ipſe unus verus Deus in ſpiritu, & veritate religioſiſſimè colatur.

Luc. 15. v. 7. 10. Hinc, ſi juxta Chriſti Domini vocem ingens *gaudium eſt in Cœlo coram Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente:* Quantâ putandum eſt Cœleſtes ſpiritus lætitiâ perfuſos ex illâ mutatione mirabili, quâ gentiles, cùm viderunt delubra ſua diruta, & ablata idola in urbe primariâ, ſanctè compulſi ſunt ab impietate ſuâ reſipiſcere?

Exultant etiam Apoſtoli, & Prophetæ, ſanctique Martyres, ac Chriſtiani omnes, ſpiritu divino, cùm in terris degerent, afflati, quòd urbem illam, ut ethnicam, Deus juſtus judex evertendam cenſuerit. Rea erat atrociſſimarum perſecutionum, quas contra ipſos moverat; proptereà ipſam divina æquitas debitis pœnis addixit. Dùm Martyres conſtanti animo mortem oppetebant, aliique Sancti gravia quæque patiebantur, ſibi proponebant

impium

impium Deorum inanium, ac Dæmonum cultum abolere: deinceps toto orbe ruet, exciſâ Româ, quæ erat ethnicæ ſuperſtitionis caput.

Verſ. 21. *Et ſuſtulit unus Angelus fortis lapidem, quaſi molarem magnum; & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon Civitas illa magna, & ultrà jam non invenietur.*

Prophetia Jeremiæ recenſet, quòd *ſcripſit Ieremias omne malum, quod venturum erat ſuper Babylonem, in libro uno. Et dixit Ieremias ad Saraiam, Cùm veneris in Babylonem, cumque compleveris legere librum iſtum, ligabis ad eum lapidem, & projicies illum in medium Euphratem; & dices, Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget à facie afflictionis, quam ego adduco ſuper eam, & diſſolvetur.*

Jer. 51. v. 60. 61. 63. 64.

Pari modo Angelus, projiciens magno impetu lapidem ingentem in mare, ſignificavit novam Babylonem, Romam ſcilicet uti ethnicam, ita ſubvertendam, diripiendam, vaſtandam, ut in priſtinum ſtatum numquam revocetur; nec ultrà cum ædibus, ſignis, & monimentis impiæ gentilitatis appareat.

Fortaſſis quoque Angelus ſignificavit magnam partem ſimulacrorum execrandorum Romæ ethnicæ, nè ampliùs arte, vel pretio oculos, & animum cujuſquam dementent, ſubmergendam in mare; quod contigit ſub Genſerico, cujus una navis, ſtatuis Româ ablatis onuſta periit in mari, quemadmodùm antea retulimus ex Procopio.

Procop. de bello Vandal. l. 1.

Non qualemcumque autem lapidem, qualis à Saraia juſſu Jeremiæ, ſed *molarem magnum*, ab Angelo ſumptum, & projectum in mare, teſtatur Joannes ex veneratione ſententiæ Chriſti Domini aſſerentis, *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis.* Quot enim fidelibus idola, quibus Roma à tot ſæculis ſcatebat, erant ſcandalo; & quot gentiles in idololatriâ retinebant? Sanè legimus, quod cùm *Paulus* eſſet *Athenis, incitabatur ſpiritus ejus in ipſo, videns idololatriæ deditam civitatem*, & *viros Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores*, dùm *præteriens videbat* illorum *ſimulacra*. Quantò major erat occaſio ſcandali, & commotionis animi piis unius Dei cultoribus Chriſtianis innumerabilis idolorum multitudo Romæ, quæ, ut ait Sanctus Leo, *ignorans ſuæ provectionis auctorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus; & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe Religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem?*

Matth. 18. v. 6. 7.

Act. 17. v. 16. 22. 23.

S. Leo. Ser. 1. in Natali Ap. Petri, & Pauli.

Verſ. 22. *Et vox citharœdorum, & muſicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te ampliùs.*

In tantâ clade Romæ ab Alarico, Genſerico, & Totilâ illatâ, quis eſſet locus inanis exultationis, qualem quondam percipiebat in ludicris, & impiis ethnicæ ſuperſtitionis ſuæ ſpectaculis? Quin potiùs quo tempore à præfatis Barbaris vaſtata eſt, omnia in eâ complebantur luctu ex fame, peſte, cæde, incendio, deprædatione, & captivitate.

Digitized by Google

Lam. Jer. 5. v. 14. 16. Sic Jeremias Jeroſolymorum ſtragem deflens, *defecerunt juvenes de choro pſallentium: verſus eſt in luctum chorus noſter.*

Ex ✠. 22. *Et omnis artifex omnis artis non invenietur in te ampliùs*, nempe ut ethnicâ; *& vox molæ non audietur in te ampliùs*, itidem ut ethnicâ.

Etenim, cùm dirutis ejus profanis delubris, & ablatis idolis, ſubverſus etiam ſit impius falſorum Deorum cultus, ceſſarunt in eâ prorsùs omnes cujuſvis artis opifices, qui idololatriæ exornandæ, corroborandæ, ac quoquomodò fovendæ adlaborabant. Ita Jeremias, *con-* Jer. 10. v. 14. 15. *fuſus eſt artifex omnis in ſculptili: vana ſunt; in tempore viſitationis ſuæ peribunt.*

Subjungo Romam, anteà populis innumeris affluentem, ex multiplici ſtrage ſui ad eam hominum paucitatem redactam, ut primâ vice, Procop. l. 3. de bello Goth. quâ eam Totilas cepit, fuerint *tunc è plebe homines* dumtaxat *quingenti in urbe reſides, cùm cæteri omnes jam ex urbe exceſſerant, vel lue abſumpti perierant.* Secundâ autem vice, quâ capta eſt à Totilâ, nonniſi *trecentorum* circiter *hominum numerus* fuerit, teſte Procopio. Undè facilè colligitur omnem artificem in eâ tunc defeciſſe, præſertim cùm extrema Civitatis inopia victum operariis non poſſet ſuppeditare.

Sed & *vox molæ non fuit ampliùs* eo tempore *audita* Romæ, cùm inibi graſſata ſit fames tam gravis, ut tandem *frumenti nil reliquum fuerit*, Procop. de bel. Goth. l. 3. quod poſſet *Romanis tradi*; ac *univerſi coacti ſint urticas mandere, quæ & ipſæ illis poſtremò defuerunt*, quemadmodū anteà fuſiùs ex Procopio retuli.

Verſ. 23. *Et lux lucernæ non lucebit in te ampliùs.*

Nimirùm ut Ethnicâ; quippe ſubverſis delubris, & direptis idolis, necnon deletâ prorſus impietate ethnicæ ſuperſtitionis, non accendentur ampliùs Romæ lucernæ ad cultum inanium Deorum, & Dæmonis 2. ad Cor. 4. v. 4. principis tenebrarum, qui dudùm *excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei.*

Quin etiam Roma ex multiplici ſui ſtrage, ad tantam penuriam redacta eſt, ut vix dubitaverim oleum, quo vel victitaret, vel noctis tenebras depelleret, ei non ſecùs ac frumentum, cæteraque neceſſaria, defuiſſe. Prætereà, etiamſi tunc temporis ſupereſſet tantiſper olei, quid neceſſe fuit opificibus ex eo lucernas noctu accendere, cùm ob extremam Romæ inopiam non haberent quidquam operis, quod cogerentur nocturnis temporibus moliri; immò & ipſi artifices, præ rerum omnium penuriâ tunc defecerint?

Denique cùm ſponſalia celebrarentur noctu, & lucernis accenſis tùm opus eſſet, ſicuti verbis proximis ſignificatur ſponſalia tunc temporis non futura, indicatur quoque nunc non fore lucernarum lucem, quæ ſponſalibus illuceat. Ita Dominus exterminium Judæorum in Jeruſalem à Nabuchodonoſore per Jeremiam prædicens, ait: *Perdam ex eis vocem gau-* Jer. 25. v. 10. *dii, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, vocem molæ, & vocem lucernæ.*

Qu

Ex ℣. 23. *Et vox ſponſi, & ſponſæ non audietur adhuc in te.*

Quis tempore famis graviſſimæ, peſtis teterrimæ, direptionis luctuoſæ, captivitatis miſerrimæ, & vaſtitatis extremæ, quam perpeſſa eſt Roma ab Alarico, Genſerico, & Totilâ, nuptias cum gaudio celebraret? Sic Dominus per Jeremiam excidium Jeruſalem prædicens, aiebat: *quieſcere faciam de urbibus Iuda, & de plateis Ieruſalem, vocem gaudii, & vocem lætitiæ; vocem ſponſi, & vocem ſponſæ: in deſolationem erit terra.* Jer. 7. v. 34.

Ex verſ. 23. *Quia mercatores tui erant principes terræ.*

Eas, quas expoſui clades graviſſimas, paſſa eſt Roma, quia tot, tantiſque opibus exuberavit, ut nationum ſibi ſubditarum mercatores præcipui ad eximias dignitates ex divitiis ejus gratiâ comparatis pervenerint; atque etiam ii, qui variis terræ locis principatum videbantur obtinere, gloriam, & opes captabant ex mercibus pretioſiſſimis, quas curabant Romam ad ejus ſplendorem, & voluptatem tranſvehi. Ipſa verò urbs cunctis opibus terrâ, marique aſcitis intemperanter, & ſceleſtiſſimè abutebatur ad laſciviem, & impietatem.

Ex verſ. 23. *Quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.*

Quod magìs eſt, gentes imperio ſuo obſequentes, erroribus ſuis infecit; corrupitque animas perverſo Dæmonum cultu; & ad æternum interitum adegit. Quale veneficium, necem dumtaxat temporalem infligens, ſimile illi, quod mortem ſempiternam conſciſcit!

Verſ. 24. *Et in eâ ſanguis Prophetarum, & Sanctorum inventus eſt, & omnium, qui interfecti ſunt in terrâ.*

Poſtremò univerſi ſanguinis Chriſtiani toto orbe ab Ethnicis fuſi, rea fuit Roma, tùm exempli ſui pravitate, tùm conſenſu, & approbatione, tùm denique authoritate flagitioſiſſimâ, quâ paſſim, & ubique perſecutiones atrociſſimas concitavit adversùs Sanctos unius veri Dei cultores, & præclaros Chriſti Salvatoris Diſcipulos, Spiritu Divino afflatos.

EXPLANATIO LXIV.

Laudis, quæ refertur à Cælitibus Deo, ob everſam Romam ut ethnicam; & nuptiarum ſpiritualium Chriſti cum Eccleſiâ; necnon pietatis Ioannis erga Angelum; & humilitatis Angeli erga Ioannem, à primo ad decimum verſum Capitis decimi noni Apocalypſis.

VERS. I.

VERS. I. Poſt hæc audivi quaſi vocem turbarum multarum in Cœlo dicentium, Alleluia: ſalus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt.

℣. 2. Quia vera, & juſta judicia ſunt ejus, qui judicavit de meretrice magnâ, quæ corrupit terram in proſtitutione ſuâ, & vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum de manibus ejus.

℣. 3. Et iterùm dixerunt, alleluia; & fumus ejus aſcendit in ſæcula ſæculorum.

℣. 4. Et ceciderunt ſeniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes: Amen, alleluia.

℣. 5. Et vox de throno exivit, dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſervi ejus, & qui timetis eum, puſilli, & magni.

℣. 6. Et audivi quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut vocem tonitruorum magnorum, dicentium, Alleluia: quoniam regnavit Dominus Deus noſter omnipotens.

℣. 7. Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit ſe.

℣. 8. Et datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido; byſſinum enim juſtificationes ſunt Sanctorum.

℣. 9. Et dixit mihi, ſcribe: Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt. Et dicit mihi, hæc verba Dei vera ſunt.

℣. 10. Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum. Et dicit mihi, vide nè feceris: conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Jeſu. Deum adora. Teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ.

VERS. 1. *Poſt hæc audivi quaſi vocem turbarum multarum in Cœlo, dicentium, Alleluia.*

CAPITE præcedenti *vox de Cœlo* perlata eſt, dicens, *exulta ſuper eam*, nempè Romam, ut ethnicam, ſubverſam, *Cœlum, & Sancti Apoſtoli, & Prophetæ; quoniam judicavit Deus judicium veſtrum de illâ.* Nunc teſtatur Joannes ſe percepiſſe *vocem turbarum multarum in Cœlo*, hoc eſt, innumeræ multitudinis Sanctorum, è terris in Cœlum admiſſorum, qui præcedenti voci Angelicæ obſequentes, darent gloriam Deo, quòd verè, ac juſtè judicaſſet eamdem urbem; eamque debitis pœnis ob ejus impietates affeciſſet. Apoc. 18. v.4.20.

Cùm autem ſuam eâ de re gratitudinem erga Deum verbis ſuis teſtificarentur, aiebant, *Alleluia:* Quæ vox Hebræa ſignificat, *laudate Deum, qui eſt:* Quaſi innumerabiles illi Sancti ſeſe mutuò cohortarentur ad laudes Divinas concinendas; ac ſibi invicem dicerent, collaudemus totis animis, ac viribus Deum, qui eſt ipſummet eſſe; quique dudùm de ſe ipſo locutus eſt Moyſi, *Ego ſum, qui ſum*; & de quo Iſaïas, *omnes gentes, quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo; & quaſi nihilum, & inane reputata ſunt ei.* Revera enim ille unus immutabilis, & æternus eſt: cætera caduca. Undè Propheta Regius de terrâ, & Cœlis, ad Deum verba faciens inquit, *ipſi peribunt; tu autem permanebis; & omnes veteraſcent, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es; & anni tui non deficient.* Exod. 3. v. 14. Iſai. 40. v.17. Pſ. 101. v.26.27. 28.

Hinc Hieronymus excidium Romæ ab Alarico illatum relaturus, præmiſit; *Vera ſententia eſt, omnia orta occidunt; & aucta ſeneſcunt. Et alibi, nihil eſt enim opere, & manu factum, quod non conficiat, & conſumat vetuſtas. Quis crederet ut totius orbis extructa victoriis Roma corrueret?* Hieron. Procemio in l. 3. comment. Ezech.

Addiderim ipſe eò minùs id à gentilibus creditum, quò magìs illam ſuperbè jactabant, & efferebant, tanquam *urbem æternam*, ut videre eſt apud Authores Ethnicos.

Ex verſ. 1. *Salus, & virtus Deo noſtro.*

Verſ. 2. *Quia vera, & juſta judicia ſunt ejus, qui judicavit de meretrice magnâ, quæ corrupit terram in proſtitutione ſuâ; & vindicavit ſanguinem ſervorum ſuorum de manibus ejus.*

Laudant Sancti Majeſtatem, potentiam, & æquitatem Dei punientis Romam, ut ſuperſtitioni ethnicæ deditam, quæ fornicationibus ſuis ſpiritualibus, ex abominando Dæmonum cultu obortis, orbem ſibi ſubditum coinquinavit; & omnes gentes imperio ſuo iniquiſſimo obſecundantes excitavit ad horrendam Chriſtianorum perſecutionem. Gratias etiam quantas poſſunt, referunt Deo, quòd ſervorum ſuorum ſanguinem copioſiſſimum, quem illa inexplebili ferocitate fudit, ipſe ſanctiſſimè ultus ſit; quodque crediturcs deinceps in ipſum ſalvos fecerit,

Digitized by Google

& exemerit ab omnibus perſecutionibus, quas impietas Urbis illius ethnicæ, ſi ſtaret, rursùs adversùm illos excitaſſet.

Præterea, quòd Fideles, qui tempore cladium Romanarum ad Sacras Martyrum ædes, ac potiſſimùm Baſilicas Petri & Pauli confugerant, ſalvi facti ſunt, ac liberati à gladio Barbarico, qui extra illa pietatis Chriſtianæ aſyla ſæviebat; Beati Apoſtoli, & Martyres, non id ſuis viribus, ſed Divinâ *virtute* factum reputant; nec indè honorem ſibi vendicant, ſed *gloriam* reddunt Deo; totamque hanc gratiam acceptam referunt ei, cujus eſt in primis, ac præcipuè populum ſuum ſalvare, & protegere. Si quid verò Sancti Apoſtoli, & Martyres ex eâ ope fidelibus collatâ ſibi deputant, nonniſi partes ſecundarias, vel etiam ultimas, & humillimi miniſterii vices apud Deum gloriantur ſe habere.

Verſ. 3. *Et iterùm dixerunt, Alleluia.*

Hâc iteratâ voce *turba* illæ *multa* Cœlitum confirmant grati animi
ſui, honoris, & obſequii erga Deum teſtificationem: quaſi dicerent,
Pſ.14.v.4. *laus Deo*, qui, cùm ſit ipſummet eſſe, *ad nihilum deduxit in conſpectu
ſuo malignam*, & impiam Romam, ut ethnicam: *timentes autem ſe*
ipſum omnium *Dominum glorificavit.*

Ex verſ. 3. *Et fumus ejus aſcendit in ſæcula ſæculorum.*

Quia Joannes capite præcedenti loquens de ruinâ Babylonis, ſeu Ro-
Apoc. 18. mæ, dixit, cùm *viderint fumum incendii ejus*, arbitrabuntur nonnulli
v. 9. hæc verba, *& fumus ejus*, intelligenda eſſe de fumo incendii ejuſce urbis; & ſenſus eſſet allatæ ſententiæ, *fumus ejus aſcendit in ſæcula ſæculorum*, non quòd continuò conflagraret, & fumum ex incendio ſuo perpetuum emitteret Roma; ſed quòd effectus ei multoties ex combuſtione, & ſubverſione inuſtus, ſit perpetuus: ita enim incenſa eſt, & & diruta Roma ethnica, ut ruinæ ejus ſuperſtitionis impiæ numquam reſarciantur.

Verùm, etſi hunc ſenſum nolim rejicere, quem & ego libenter explano: tamen veriſimilior mihi videtur juxta literam alius ſenſus. Quippe adnotandum eſt hocce capite, quod nunc interpretor, nullam prorsùs mentionem incendii fieri, ſed nec in Græco quicquam eſſe, quod reſpondeat Pronomini *ejus*: nec denique verbum illud *aſcendit*, ſumendum eſſe in præterito, ſed in præſenti; ſiquidem Græcum habet dumtaxat, ὁ καπνὸς ἀναβαίνει, *fumus aſcendit in ſæcula ſæculorum*, ut ſignificetur fumus ille, de quo agitur, revera perpetuò aſcendere; ſemper emitti, nec umquàm intermitti. Quod quomodò fiat, perſpicuum erit, collatione factâ hujuſce loci cum alio percelebri Iſaiæ.

Etenim cùm inſignis ille Propheta *vidit Dominum ſedentem ſuper ſo-
Iſai 6. v. 1. lium excelſum, & elevatum, & quòd ea, quæ ſub ipſo erant, replebant
2. 3. 4. templum*; ac audiit duos *Seraphim* alternis vocibus clamantes, atque
Divinam ſanctitatem collaudantes, ſubjungit, *& commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis; & domus repleta eſt fumo.* Nimirùm Seraphim tanto igne charitatis Divinæ exardeſcunt, tantoque fervore

Spiritus

Digitized by Google

Spiritus Deum ſummè ſanctum collaudant, ut videatur ex illorum animis prodire ardor, & fumus cœleſtis, qui Templum, in quo laudes Divinas decantant, repleat.

Ita eo Apocalypſis loco, quem nunc explanandum ſuſcepi, dùm *turba multa in cœlo* conjunctis viribus, ac vocibus Deum laudant, eique concinunt *Alleluia, alleluia*; Evangelicus Propheta Joannes aſſerit, *quòd aſcendit fumus*, videlicet is, qui prodit ex igne charitatis Divinæ, quo ſuccenditur multitudo illa Sanctorum in laudum Divinarum cele-
bratione. Sic quondam Pſalmiſta dicebat Domino, *dirigatur oratio* Pſ. 140.
mea ſicut incenſum in conſpectu tuo; & ipſe Joannes anteà teſtatus eſt v. 2.
in Apocalypſi, quòd *aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum* Apoc. 8.
coram Deo. v. 3.

Cùm verò perpetuus ſit ignis charitatis Divinæ in Sanctis illis, quorum vocem in cœlo Ioannes audiit; iique haud dubiè Deum jugiter laudent, ac laudaturi ſint perpetuò abſque ullâ intermiſſione, aſſerit quòd ad vocem *Alleluia*, prolatam ab illis, *aſcendit fumus in ſecula ſeculorum*; quia, ut ſemper Deum amant, ita ſemper ſeſe *mutuò ex ardenti* in Deum charitate ad laudes Divinas cohortantur; eamque vocem modo mirabili fundunt, *Alleluia*, laudate Deum:
tanquam ſi quiſque illorum dicat quod apud Pſalmiſtam: *Benedicam Do-* Pſ. 33. v. 2.
minum in omni tempore: ſemper laus ejus in ore meo. Magnificate Domi- 4.
num mecum; & exaltemus nomen ejus in idipſum. Quod quidem reipsâ Dan. 3.
omnes continuò præſtant, dùm unanimes *laudant, & ſuperexaltant Deum* v. 87.
in ſæculorum *ſecula.*

Verſ. 4. *Et ceciderunt ſeniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum ſedentem ſuper thronum, dicentes: Amen, alleluia.*

Quâ poſſunt ſummâ abjectione ſui, & humilitate profundâ proſtrati Apoc. c. 4.
Sancti illi, quos dudùm diximus ſub ſpecie viginti quatuor ſeniorum, Explan. 14.
& quatuor animalium figurâ, miro modo, & perfectiſſimo explere in 15.
Templo cœleſti priſcorum officia Sacerdotum, & Levitarum in Templo Ap. c. 4.
Hieroſolymitano, adorant inſidentem throno Cœleſti Deum, videlicet Explan. 14.
Chriſtum, hominem ſimul ac Deum, ut aliis locis Apocalypſis ex- 16.
poſuimus.

Dicunt autem *Amen*, tanquam approbantes quod turbæ multæ in Cœlo mox dixerunt. Verè ita eſt quod ab illis dictum fuit, *quia vera, & juſta ſunt judicia* tua de Româ ut ethnicâ, quam ob ejus impietates ſubvertendam cenſuiſti. Verè tibi *ſalus*, & incolumitas tuorum fidelium in locis ſacris tempore cladis Romanæ aſcribenda eſt. Verè tibi omnis gloria referenda eſt ex ſubverſione omnium ſignorum ſuperſtitionis ethnicæ, & conſervatione ædium, aliarumque rerum nomini tuo ſacratum. Verè tua *virtus*, & potentia mirabiliter in iſtis omnibus elucet.

Proptereà & ipſi *vinginti quatuor ſeniores, & quatuor animalia*

Digitized by Google

myſtica Chriſtum Dominum ſervorum ſuorum Salvatorem piiſſimum, protectorem potentiſſimum, & vindicem æquiſſimum maximoperè laudant; ac in ejus perennem honorem toto animo dicunt, *Alleluia.*

Verſ. 5. *Et vox de throno exivit, dicens: Laudem dicite Deo noſtro omnes ſervi ejus, & qui timetis Deum, puſilli, & magni.*

At Chriſtus, ut homo, quamvìs *in gloriâ Patris* conſtitutus, & *ſedens ad dexteram ejus*, tantæ eſt humilitatis, tantâque veneratione movetur erga Patrem, ut gloriam omnem, quam à Cœlitibus, & quibuſlibet Sanctis recipit, deferat Patri; eique etiam ab aliis delatam velit. Eapropter,

E throno cœleſti, cui inſidet, præcepit illis, *dicens, Laudem dicite Deo noſtro*, videlicet Patri: aſcenſurus enim in Cœlum, & ſeſſurus à dextris Dei Patris, aiebat ipsâ die reſurrectionis ſuæ Diſcipulis ſuis ad-
Joan. 20. v. 17. huc in terrâ degentibus, *aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum.* Si tunc, cùm Diſcipuli erant mortales,
ad Hebr. 2. v. 11. variiſque peccatis obnoxii, ipſe beatiſſimâ immortalitate donatus, ac plenus gloriâ, & ſanctitate, *non confuſus eſt fratres eos vocare*, eumdemque ſui, & illorum Patrem, & Deum aſſerere; multo minùs nunc erubeſcit iiſdem titulis ipſos exornare, cùm illos jam in Cœlum ad conſortium ſuæ ſanctitatis, & gloriæ admiſerit. Itaque authoritate illâ ſuaviſſimâ, quâ Dominus eſt ipſorum obſervandiſſimus, ac amantiſſimus, jubet ut à laudibus, quas ei dederunt, totos ſe transferant ad
Apoc. 19. v. 2. laudem Dei Patris. *Laudem*, inquit, *dicite Deo noſtro*. Laudaſtis me, quòd *vera, & juſta judicia* pronunciaverim *de meretrice magnâ, quæ*
Joan. 5. v. 22. 27. *corrupit terram in proſtitutione ſuâ; & vindicaverim ſanguinem ſervorum meorum de manibus ejus:* laudate Patrem, qui *omne judicium dedit Filio; & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis eſt.* Lau-
Joan. 5. v. 19. daſtis *virtutem* meam, & potentiam, quamvis *non poteſt Filius a ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem:* laudate Patrem, à quo Filius poteſt quidquid poteſt. Dediſtis mihi *gloriam*, quòd dejecerim inanium Deorum ſigna, & monimenta ethnicæ ſuperſtitionis: date gloriam Patri, tanquàm fonti unius veræ Divinitatis, quæ in me manat, unicè, ac ſummè colendæ. *Salutem*, & incolumitatem credentium in me mihi adſcripſiſtis: adſcribite illam Patri, qui me conſtituit illorum
Pſ. 3. v. 9. Salvatorem; eique in gratiarum actionem dicite, *Domini eſt ſalus; & ſuper populum tuum benedictio tua. Omnes ſervi ejus* eſtis, tametſi filii adoptivi, & heredes: honorem tribuite illi, cùm & ego Filius ejus
ad Philip. 2. v. 6. 7. unigenitus, eique conſubſtantialis, ut honorarem ipſum, formam Dei habens, in quâ ſum æqualis ipſi, memetipſum exinaniverim, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu *inventus ut homo.*

Ex verſ. 5. *Et qui timetis eum, puſilli, & magni.*

Cujuſvis ætatis, & conditionis fueritis, dùm in terrâ verſaremini, &

& ad qualemcumque ſanctitatem, & gloriam in Cœlum perveneritis, à minore ad maximum, vos omnes, qui ſummam Dei Patris, & Domini noſtri Majeſtatem, quâ decet pietate, & humilitate reveremini, ipſum, cujus ſunt mea omnia, impenſiſſimè colite, & laudate. Joan. 17. v. 10.

Verſ. 6. *Et audivi quaſi vocem turbæ magnæ, & ſicut vocem aquarum multarum, & ſicut tonitruorum magnorum, dicentium, Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noſter omnipotens.*

Sancti omnes, Chriſti Domini mandato obſequentes, ex impetu Spiritus Divini, qui jugiter in illos manat, & ex eis erumpit; necnon ex ardenti in Deum charitate, Deum ipſum tam fortiter, & tam ſuaviter laudant, ut vox illorum, ad ipſius gloriam concinentium *Alleluia*, comparetur aquarum multarum gratiſſimo murmuri, vehementi tonitruorum fragori, atque jucundæ citharœdorum ſymphoniæ, tùm hocce loco, tùm capitis decimiquarti verſu, quem explanavimus, ſecundo. Laudant verò Deum, quòd impios Ethnicos ſibi adverſantes debellaverit; pios autem ſui cultores tutatus fuerit; ſummamque ſuam authoritatem, & poteſtatem in ſubverſione Romæ, ut Dæmonum cultui addictæ, oſtenderit. Apoc. 14. v. 2. Explan. XIII.

Indè autem inferendum eſt certo certius, quòd *Dominus Deus noſter omnipotens regnavit*, cùm ſubversâ illâ urbe, quæ erat ſuperſtitionis ethnicæ, & Imperii Romani caput, nulla futura ſit urbs, ac natio, quæ non cedat tandem Divinæ Majeſtatis poteſtati; & in ditionem ejus non veniat. Etenim ait Paulus, quòd traditurus ſit Chriſtus Dominus *Regnum Deo, & Patri, cùm evacuaverit omnem Principatum, & poteſtatem, & virtutem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ejus. Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia, ut ſit Deus omnia in omnibus.* 1. ad Cor. 15. v. 24. 25. 28.

Verſ. 7. *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni; & uxor ejus præparavit ſe.*

Poſteaquàm Cœlites lætitiâ perfuſi laudaverunt Deum de ſubverſione Romæ, ut ethnicæ, quæ propter perſecutiones populo Dei Chriſtiano ab eâ illatas appellata eſt Babylon, & ob fornicationes ſuas ſpirituales cum idolis dicta fuit meretrix; iidem Sancti exultant, & dant gloriam Deo, quòd Eccleſia Chriſto addicta, unumque Deum verum piè, & caſtè colens, nullis jam Ethnicorum erroribus, ac furoribus, tanquàm graviſſimis, & moleſtiſſimis impedimentis, detineatur, quin velut ſponſa, integritate fidei, & charitatis ſuæ commendata, & virtutibus omnibus exornata, in ſinu Chriſti Salvatoris ſui, & ſponſi liberè, ac jucundè conquieſcat.

Sic quondam Dominus per Jeremiam Iſraëliticarum tribuum turbæ ſub figurâ mulieris adulteræ, & meretricis, aiebat: *Fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me; & ego ſuſcipiam te. Amodò voca me, pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Et apud Oſee, *erit in die illâ, dicit* Jer. 3. v. 1. 4. Oſee 2. v. 16. 17. 18. 19. 20.

Dominus: vocabit me; vir meus: Et auferam nomina Baalim de ore ejus. Et arcum, & gladium, & bellum conteram de terrâ; & dormire eos faciam fiducialiter. Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: Et ſponſabo te mihi in juſtitiâ, & judicio, & in miſericordiâ, & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide; & ſcies quia ego Dominus. Paulus autem inquit Eccleſiæ Corinthi,
1.ad Cor. 11.v.2. *deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Et ad Epheſios,
ad Epheſ. 5.à v.22. ad finem. egregiam comparationem facit Chriſti & Eccleſiæ cum viro & uxore. Ipſe quoque Joannes Apocalypſis capite vigeſimo primo refert ſe *vidiſſe Sanctam Civitatem Ieruſalem novam, deſcendentem de Cœlo à Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo:* eique Angelus oſtendit illam *velut*
Apoc.21. v.2 9. *ſponſam uxorem Agni.*

Summa quidem celebritas nuptiarum, & conſummatio ſanctiſſima ſpiritalis matrimonii Chriſti cum Eccleſiâ, non perficietur niſi in Cœlo, ubi Eccleſia erit ſummè beata ex viſu perenni, & fruitione perpetuâ Deitatis, & humanitatis amantiſſimi Salvatoris ſui Sponſi: attamen incipiunt jam in terris cœleſtium nuptiarum gaudia in ſanctis animabus, quæ pietate ſuâ, & benignitate Chriſti, ita eidem Cœleſti Sponſo corpore, & ſpiritu conjunguntur, ut unum corpus, & unus ſpiritus efficiantur cum
1. ad Cor. 12.v.27. C.6.v.17. ipſo. *Vos eſtis corpus Chriſti; & qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt,* inquit Doctor gentium.

Verſ.8. *Et datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido: byſſinum enim juſtificationes ſunt Sanctorum.*

Apoc.7. v.13.14. Dudùm in Apocalypſi Sanctos innumerabiles, in cœlum receptos, vidimus amictos ſtolis albis in ſignum eximiæ puritatis, quam ſibi ex ſanguine Chriſti compararunt, ut digni ſint Deum videre, eoque perfrui. Fulget Eccleſia, Chriſti ſponſa, iiſdem veſtibus, quæ ejus admirabilem juſtitiam, & ſanctitatem, quâ meretur æternos Sancti Sanctorum amplexus, ſignificant: Ait enim Paulus de illâ, quæ univerſos Sanctos
1.ad Cor. 6.v.11. complectitur, *abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Verſ. 9. *Et dixit mihi, ſcribe: beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt.*

Apoc. 21. v.27. Etenim, ut alia hûc Apocalypſis verba transferam, *non intrabit in eam aliquod coinquinatum, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni:* addo, qui ſint
Joan. 3. v.29. *amici ſponſi*, amore erga ipſum probato; & habeant *veſtem nuptialem,*
Matth. 22. v.12. ſplendidam ſcilicet innocentiam, & coruſcantem charitatem. Tales autem ad nuptias agni cœleſtes vocati, & admiſſi, reficientur *ab ubertate*
Pſ.35.v.9. *domus* Dei; *torrente voluptatis potabuntur; ſatiabuntur* apparitione *gloriæ*
Pſ.16.v.15. Chriſti; & exultabunt in Domino ſemper viſu, & fruitione illius.

Ex verſ.9. *Et dicit mihi, hæc verba Dei vera ſunt.*

Angelus verba omnia, & ſingula, quæ hactenùs protulit in Apocalypſi, vult à Joanne excipi, non tanquàm verba Angeli, ſed ut verba Dei, utpote mandato Dei prolata, & ab ipſo ſuggeſta. Quàm vera autem ſunt verba Dei, qui eſt ipſamet veritas! & quàm certiſſimè, quæ ab illis prænunciantur,

ciantur, eventura ſunt, cum Deus ſit omnium præſcius; nec falli poſſit, aut fallere! Sic antiqui prophetæ, cùm loquerentur ex inſpiratione divinâ, ſolebant aſſerere, *hæc dicit Dominus*, ut illa auſcultarentur homines quâ par erat veneratione; nec quicquam de illorum veritate dubitarent.

Verſ. 10. *Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum.*

Cùm Angelus quæcumque verba protuliſſet authoritate Dei, nullo Apocalypſis loco pronunciaſſet anteà iſtam ſententiam, *hæc verba Dei ſunt vera*, veriſimile eſt Joannem, ubi primùm illam audiit, exiſtimaſſe ipſam eſſe ſermonum Angelicorum clauſulam, ac veluti ſignaculum, ita ut nil ei ampliùs cœleſtis ille ſpiritus diceret; ſed ſignificatis iis omnibus, quæ ipſi Deus mandaverat, protinùs abſcederet. Quare ſtatim atque Joannes excepit illam. Angelicam vocem, procidit coram Angelo, congruam ei, tanquam præcelſo Divinæ Majeſtatis Legato, ejuſque voluntatis ſanctiſſimæ interpreti fidiſſimo, venerationem exhibiturus; necnon gratias, quantas poſſet, pro tot, tantiſque arcanis ſibi patefactis, humillimas relaturus.

Neque verò putandus eſt Joannes ſummum honorem, ſeu cultum latriæ, qui uni Deo debetur, voluiſſe Angelo impendere, quòd dicatur *cecidiſſe ante pedes ejus, ut adoraret eum.* Quippe Scriptura ſacra vocem adorationis frequenter uſurpat latiori ſignificatione, pro honore, qui redditur demiſſo animo, & profundâ corporis inclinatione, genuflexione, proſtratione, ſive Deo, ſive Angelo, ſive homini, præcellenti quâdam dignitate, vel virtute refulgenti; quamvìs Deus ſolus, ut ſupremus omnium, ſummè colatur: cætera autem cenſeantur multò, immò infinities inferiora.

Ex verſ. 10. *Et dicit mihi, vide nè feceris: conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu. Deum adora, teſtimonium enim Ieſu eſt ſpiritus prophetiæ.*

Apoſtolorum acta referunt, quòd *Cornelius centurio, religioſus, ac timens Deum, introeunti ad ſe Petro obvius venit; & procidens ad pedes ejus adoravit*, non quidem, ut Deum, quem unum colebat; ſed veneratus illum tanquam hominem Dei, ad ſe ſuæ ſalutis causâ miſſum à Deo, & accerſitum monitu Angeli: *Petrus verò elevavit eum, dicens, ſurge, & ego ipſe homo ſum*; ita ut Apoſtolorum ille *primus*, ac princeps, eâ quâ præditus erat, humilitate, & memor Chriſti dicentis, *qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus*, honorem ſibi à Cornelio piè, at juſtè exhibitum recuſaverit. Act. 10. v. 1. 2. 3. 5. 25. 26. Matth. 10. v. 2. Matth. 20. v. 27.

Non ſecùs Angelus, qui, *quantò magnus eſt, humiliat ſe in omnibus, quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur*, venerationem illam, quâ eum Joannes, pedibus illius advolutus, proſequebatur, à ſe avertit, dicens: *Vide, ne feceris; conſervus tuus ſum.* Servus es obſequentiſſimus Jeſu Chriſti: Ego quoque ei ſervio, & obſequor: hic eſt enim omnium, non tantùm hominum, ſed etiam Angelorum Dominus; ab eoque miſſus ſum ad te, ut miniſterio meo ſcires quæ velit fieri, quemadmodùm Eccle. 3. v. 20.

admodùm & tu ab ipſo miſſus es ad homines ejus Evangelicâ imbuendos doctrinâ. Verba ab illo percepta retuliſti : & ego non alia, quàm quæ mandavit, tibi prolocutus ſum.

Neque me dumtaxat tuum Domini Jeſu conſervum profiteor; verùm & omnium credentium in illum, quos tu ipſe *tuos fratres*, utpote tibi fide, & pietate conjunctos, cenſes, *conſervum* me ſentio, & dico: Siquidem ut illi confitentur ipſum eſſe Filium Dei, ac Deum; ita ego illum unigenitum Dei, & ſuper omnia Deum benedictum agnoſco, & colo.

Proindè totum te ad illum velim transferas; nec me, qui ab illo miſſus ſum, ſed ipſum, qui me tui causâ miſit, attende. Illum mecum genuflexus ut *Deum adora*: oportet enim, *ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, & terreſtrium; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris.* (Ad Philip. 2. v. 10. 11.)

Unanimes ſimus eo in cultu ipſius; cùm ipſum ego, & tu *uno ore honorificaverimus.* (ad Rom. 15. v. 5.) Namque tu *teſtimonium perhibuiſti verbo Dei, & teſtimonium Ieſu Chriſti, quæcumque vidiſti* in illo: (Apoc. 1. v. 2.) Ego etiam teſtimonium ipſi præbui eorum, quæ in illius Deitate, & humanitate conſpexi; & ipſo mandante tibi declaravi. *Teſtimonium enim* Divinitatis Chriſti, & quòd in *ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, eſt Spiritus prophetiæ*, (ad Col. 2. v. 3.) quem per ſe mihi, & tibi per meum miniſterium contulit, traditâ cognitione rerum futurarum, quæ certiſſimè evenient; & tamen ejus in conſiliis ita ſunt recondita, ut à nullo, nec humano, nec Angelico ſpiritu queant percipi abſque illius revelatione.

Sic quondam Iſaias ſummam unius Dei Majeſtatem aſſeruit ex præſcientiâ rerum ſecretiſſimarum. *Ego Dominus: Quæ prima fuerunt, ecce venerunt. Nova quoque ego annuntio; antequàm oriantur, audita vobis faciam. Quis ſimilis mei; ventura, & quæ futura ſunt, annuntient.* (Iſai. 42. v. 8. 9. Iſai. 44. v. 7.)

EXPLANATIO LXV.

Theodoſius, victis Gothis, fidei ſuæ, & prophetiæ peculiaris, ſibi à viro ſancto ſignificatæ, veritate fretus; cum juſtitiâ bellum ſuſcipiens, & perficiens; ardenti pietate Deum orans; munitus ſigno ſalutari Chriſti Regis Regum; ejuſque ope, & cæleſtium exercituum adminiculo confirmatus, Maximum, & Eugenium

Digitized by Google

Eugenium tyrannos paganis faventes occidit; & edictis ſuis Ethnicos reprimit; eorumque ſuperſtitionem impiam evertit, ab undecimo ad decimum ſextum verſum Capitis decimi noni Apocalypſis.

VERS. 11. Et vidi Cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis, & verax; & cum juſtitiâ judicat, & pugnat.

℣. 12. Oculi autem ejus ſicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi ipſe.

℣. 13. Et veſtitus erat veſte aſperſâ ſanguine; & vocatur nomen ejus verbum Dei.

℣. 14. Et exercitus, qui ſunt in Cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo, & mundo.

℣. 15. Et de ore ejus procedit gladius ex utrâque parte acutus, ut in ipſo percutiat gentes; & ipſe reget eas in virgâ ferreâ; & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

℣. 16. Et habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.

Verſ. 11. *Et vidi Cælum apertum.*

POSTEAQVAM Chriſtus Dominus revelavit Joanni ſubverſionem Romæ, ut ethnicæ, ac de ejus ſubverſione Cœlitum lætitiam, aperit ei è Cœlo nova arcana conſiliis ſuis ſanctiſſimis occluſa; & in primis victoriam, quam Theodoſio, Imperatori Chriſtiano, qui ethnicæ ſuperſtitioni bellum indiceret, collaturus erat de Maximo, & Eugenio Tyrannis, qui gentilibus favebant.

Ex verſ. 11. *Et ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis, & verax, & cum juſtitiâ judicat, & pugnat.*

Is, qui videtur equo albo inſidens, exhibet Chriſtum, *Verbum Dei, & Regem regum*, uti dicitur verſibus ſubſequentibus. Vocatur autem *fidelis. & verax*, quòd *Jeſus ſit auctor, & conſummator fidei*; veraque doceat, ad Heb.
& promittat, ſuaque promiſſa ſervet, ac impleat. Undè ab Apoſtolo, 12. v. 2.

Hervéus in Apocalypſim.

ad Heb. 10. v. 23. *fidelis eſt, qui repromiſit: Si non credimus, ille fidelis permanet: negare ſe*
ipſum non poteſt.

2. ad Tim. 2. v. 13. Cùm verò ſit *juſtus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus*
Pſ. 144. v. 17. *ſuis*, neminem niſi juſtè *judicat*, & oppugnat; certuſque eſt victoriam ſe
de hoſtibus, quos aggreditur, ſummâ ſuâ poteſtate facilè, ac celerrimè,
cum vult, reportaturum. Quamobrem aiebat ei tanquam Regi poten-
Pſ. 44. v. 2. & 5. tiſſimo, & juſto Pſalmiſta, *Accingere gladio tuo: proſperè procede, & re-*
gna propter veritatem, & juſtitiam.

Porrò equus albus, cui inſidet, candorem juſtitiæ, quâ fulcitur, &
felicem ſucceſſum in præliis, quæ commiſſurus eſt, indicat.

Præfatis autem titulis, & ſignis repreſentatur fides, veritas, æquitas,
& victoria à Chriſto collata Theodoſio adversùs Barbaros à fide aber-
rantes, & adversùs Tyrannos infidelibus patrocinantes.

Oroſ. l. 7. c. 19. Primùm quidem, *Theodoſius* ab Oroſio *fidei Sacramento, religioniſque*
cultu commendatus, & ex Theodoreto *fide communitus, afflictam rem-*
Theodor. l. 5. c. 5. *publicam irâ Dei*, uti ait Oroſius, *reparandam credidit miſericordiâ illius;*
Oroſ. l. 7. c. 20. *omnemque fiduciam ſui ad opem Chriſti conferens, maximas illas Scythicas*
gentes, formidataſque cunctis Majoribus, nunc autem extincto Romano exer-
citu, Romanis equis, armiſque inſtructiſſimas, hoc eſt Alanos, Hunnos, &
Theodor. l. 4. c. 32. *Gothos*, qui ex Theodoreto, ſub Valente ad hæreſim Arianam defecerant,
magnis, multiſque præliis vicit.

Deindè, cùm ex Ruffino *Maximus Tyrannus apud Britannias exortus,*
Ruffin. l. 11. c. 13. 14. 15. 16. 17. *per Andragathium ducem, Lugduni peremiſſet Gratianum, pietate, & reli-*
gione omnes penè, qui antè fuerant, Principes ſuperantem; ac fugaſſet ex
Italiâ Valentinianum juniorem *Gratiani fratrem; Theodoſius propter regni*
fidem, bonitatiſque, ac beneficiorum Gratiani, à quo Imperium acceperat,
memor, totius viribus Orientis ultus eſt ſanguinem juſtum.

Oroſ. l. 7. c. 21. *Itaque*, inquit Oroſius, *juſtis, neceſſariiſque cauſis ad bellum permo-*
tus, cùm è duobus Auguſtis Fratribus, & ultionem unius interfecti ſanguis
exigeret, & reſtitutionem miſeria alterius exulantis oraret, poſuit in Deo ſpem
ſuam; ſeque adversùs Maximum Tyrannum ſolâ fide major, (nam longè
minor erat universâ apparatus bellici comparatione) proripuit.

En *fides*, ac *juſtitia* Theodoſii pugnaturi contra Maximum, Tyran-
Baron. an. Chr. 387. n. LXIV. num iniquum, qui & relatu Baronii, *quò ſibi cùm Senatum, tùm etiam*
populum conciliaret, cunctis morem gerere, etiam plus æquo ſtudebat; indulge-
re gentilibus; reddere illis dempta per Gratianum ſacrificia; reſtituereque ſu-
blatam in Capitolio Aram Victoriæ.

Ruffin. l. 11. c. 19. 32. *Sciſcitatus eſt* etiam ex Ruffino Theodoſius *in Thebaidos partibus Mo-*
nachum quemdam, Ioannem nomine, ſpiritu prophetico repletum, nùm pacem
retinere, an bellum gerere eſſet melius. Ioannes ei de Maximo victoriam prædi-
xit incruentam.

Talem quoque victoriam Theodoſio contulit Chriſtus, ut oſtenderet
ſe eſſe juxta Apocalypſis verba propoſita, *veracem & fidelem*; veracem in
promiſſis dandis; fidelem in *adimplendis.*

Aquileia

Digitized by Google

Aquileia, inquit Oroſius, *tunc Maximus victoriæ ſuæ ſpectator inſederat. Andragatius verò comes ejus ſummam belli adminiſtrabat, qui cùm largiſſimis copiis omnes Alpium, ac fluminum aditus communiſſet, ineffabili judicio Dei, navali expeditione, dùm incautum hoſtem prævenire, & obruere parat, ſponte eadem, quæ obſtruxerat, clauſtra deſeruit. Ita Theodoſius, nemine ſentiente, ut non dicam, repugnante, vacuatas tranſmiſit Alpes; atque Aquileiam improviſis adveniens, hoſtem illum magnum, Maximum trucem, & ab immaniſſimis quoque Germanorum gentibus tributa, ac ſtipendia ſolo terrore nominis exigentem, ſine dolo, & controverſiâ clauſit, cepit, & occidit. Valentinianus receptâ Italiâ potitus Imperio eſt. Andragatius comes, cognitâ Maximi nece, præcipitem ſeſe è navi in undas dedit, ac ſuffocatus eſt. Theodoſius incruentam victoriam Deo procurante ſuſcepit; formidoloſiſſimum bellum ſine ſanguine uſque ad victoriam, & in victoria duorum morte confectum eſt.* Hæc Oroſius. Oroſ. l. 7. c. 21.

Ita Theodoſius ex *fide*, & *veritate* pietatis ſuæ in Deum, atque ex *veritate*, & *fidelitate* promiſſorum divinorum, bellum *cum juſtitiâ* ſuſceptum, feliciter confecit adversùs Maximum; eumque Tyrannum *juſtè* etiam *judicavit*, ut prædictum erat in Apocalypſi: ſiquidem *is paucis ad eum, quæ contra rempublicam deliquiſſet, velut exprobrationis loco recenſitis, hominem carnifici tradit, meritam pœnam luiturum*, inquit Zoſimus, tametſi hiſtoricus paganus. Zoſim. l. 4.

Eadem *fides, veritas, & juſtitia* miro ſplendore refulſit in bello Theodoſii adversùs alterum Tyrannum, Eugenium nomine, paganis etiam faventem.

Etenim ex Oroſio *Valentinianus regno*, hoc eſt Occidentis Imperio, *reſtitutus, extincto Maximo, in Galliam tranſivit; ubi cùm tranquilla republica in pace ageret, apud Viennam dolo Arbogaſtis comitis ſui ſtrangulatus eſt.* Oroſ. l. 7. c. 21. 22.

Mortuo Valentiniano Auguſto, Arbogaſtes Eugenium Tyrannum mox creare auſus eſt; legitque hominem, cui titulum Imperatoris imponeret, ipſe acturus Imperium, vir Barbarus animo, conſilio, manu, audacia, potentiaque nimius; contraxitque undique innumeras, invictaſque copias, vel Romanorum præſidiis, vel auxiliis Barbarorum, alibi poteſtate, alibi cognatione ſubnixus.

Sed, referente Ruffino, *Theodoſius nihilo ſegniùs inflammatus ad ultionem arma contra Eugenium corripit.* Ruffin. l. 11. c. 32.

En *juſtitia* Theodoſii bellum contra Tyrannum Eugenium aggredientis: Sequitur ejuſdem *fides*, ac pietatis *veritas*.

Quippe *Chriſti amans, & fideliſſimus Imperator*, ut à Theodoreto nuncupatur, *potentiâ Dei, non fiduciâ hominis victor extitit*, ex Oroſio. Theodor. l. 5. c. 24. Oroſ. l. 7. c. 22.

Ac primò, juxta Ruffinum, *Dei voluntatem per Ioannem Monachum, de quo ſuprà memoravimus, ſciſcitatus eſt. Tùm ille, qui primam de Maximo ei victoriam prædixerat incruentam, etiam hanc, licet non abſque plurima utrinſque ſanguinis inundatione, promittit.* Ruffin. l. 11. c. 32.

Patebit poſteà ex effectu *veritas, & fidelitas* Chriſti per ſervum ſuum pollicentis ſecundam illam victoriam.

Quamvis autem fideliſſimus Imperator non dubitaret quin illam eſſet
Ruffin. conſecuturus; tamen, ut pius erat, *præparat ſe*, inquit Ruffinus, *ad*
l.11. c.33. *bellum, non tàm armorum, telorumque, quàm jejuniorum, orationumque ſubſidiis; nec tàm excubiarum vigiliis, quàm obſecrationum pervoctatione munitus, circumibat cum Sacerdotibus, & populo omnia orationum loca; ante Martyrum, & Apoſtolorum thecas jacebat cilicio proſtratus; & auxilia ſibi fida Sanctorum interceſſione poſcebat.*

At Pagani, qui errores ſuos novis ſemper erroribus animant, innovare ſacrificia, & Romam funeſtis victimis cruentare; inſpicere exta pecudum; & ex fibrarum præſcientiâ ſecuram Eugenio victoriam nunciare: ſuperſtitioſius hæc agente, & cum omni animoſitate Flaviano tunc Præfecto, cujus aſſertionibus, (magna enim erat ejus in ſapientiâ prærogativa) Eugenium victorem fore pro certo præſumpſerant.

Sed ubi veræ Religionis fretus auxilio Theodoſius, Alpium fauces cœpit urgere, primi illi, quibus nequicquam litata ſunt tot victimæ, de fallaciæ conſcientiâ trepidi Dæmones in fugam verſi. Poſt etiam magiſtri horum, & doctores errorum.

Cæteri verò inſtruunt aciem; & collocatis in ſuperiori jugo inſidiis, ipſi pugnam in deſcenſu montis expectant. Verùm ubi ad primos ventum eſt; & illicò ſe legitimo Principi tradiderunt: cum cæteris, imis vallibus, deprehenſis conflictus acerrimus geritur. Stetit aliquandiù anceps victoria: fundebantur
Oroſ. l.7. *auxilia Barbarorum, & terga jam hoſtibus dabant*; ita ut ex Oroſio, *de-*
c.23. *cem millia Gothorum Arbogaſtes deleſſe funditùs feratur; ſed*, proſequitur narrationem ſuam Ruffinus, *fiebat hoc, non ut Theodoſius vinceretur; ſed nè per Barbaros vincere videretur.*

Ruffin. *Tùm ille, ut converſas ſuorum acies vidit, ſtans in editâ rupe, undè*
l.11. c.33. *& conſpicere, & conſpici ab utroque poſſet exercitu, projectis armis, ad ſolida ſe vertit auxilia; & proſtratus in conſpectu Dei: Tu, inquit, omnipotens Deus, noſti, quia in nomine Chriſti Filii tui, ultionis juſtæ, ut puto, prælia iſta ſuſcepi: ſi ſecùs, in me vindica. Si verò cum causâ probabili, & in te confiſus, huc veni, porrige dexteram tuis, nè fortè dicant gentes, Vbi eſt Deus eorum?*

Poſt illam Imperatoris precem, quam Deo fuderat, ventus ita vehemens exortus eſt, ut tela hoſtium in eos, qui jecerant, retorqueret. Cumque magnâ vi perſiſtente vento, omne jaculum miſſum ab hoſtibus fruſtraretur, fracto adverſariorum animo, ſeu potiùs Divinitùs repulſo, Eugenius ante Theodoſii pedes, vinctis poſt terga manibus adducitur; ibique vita ejus, & certaminis finis fuit.

Tùm verò, concludit Ruffinus, *Religioſo Principi glorioſior victoria de fruſtratis opinionibus paganorum, quàm de Tyranni interitu fuit.*

Oroſ. l.7. *Nixus etiam*, ex Oroſio, *Arbogaſtes præcipuo cultu idolorum, magnâ*
c. 2, 23. *tamen facilitate ſuccubuit; & ſuâ ſe manu perculit.*

Oroſ. l.7. Undè ſubinfert idem Hiſtoriographus: *Non inſulto obtrectatoribus*
c. 23. *noſtris. Vnum aliquod ab initio Vrbis conditæ bellum proferant, tàm piâ*

neceſſitate

Digitized by Google

neceſſitate ſuſceptum, tàm Divinâ felicitate confectum, tàm clementi benignitate ſopitum; & fortaſſe concedam, ut non hoc fidei Chriſtiani Ducis conceſſa videantur; præſertim cùm, ut ait Theodoretus, *ſemper Divinum in bello imploraverit auxilium, ſemperque illud conſecutus ſit.* (Theodor. l.5.c.24.)

Nec tantùm ex *fide, veritate, ac juſtitiâ* Theodoſius *pugnavit*, ſed etiam, ut in eo commonſtrem reliqua propoſiti verſus Apocalypſis verba, *cum juſtitiâ* judicavir, ac condemnavir Tyrannum Eugenium. Siquidem ex Theodoreto, *Imperator primùm injuriarum in Valentinianum, & impia Tyrannidis eum in memoriam revocat: deindè bellorum contra Imperium legitimum ſuſceptorum cauſam cum irriſione reprehendit. Reprehendit etiam ſtatuam Herculis, quâ fretus, tàm audax, temerariumque facinus admiſerat. Poſtremò juſtam, aquamque de ſupplicio illi irrogando ſententiam pronuntiat.* (Theodor. l.5.c.24.)

Verſ. 12. *Oculi autem ejus ſicut flamma ignis.*

Cùm explanarem verſum decimum quartum Capitis primi Apocalypſis, oſtendi ex pluribus Sacræ Scripturæ locis *oculos* Chriſti apparere ſcintillantes *tanquàm flammam ignis*, ex zelo gloriæ Patris, ad quem illos in cœlum orans ſublevabar; ex zelo Sanctuarii, quod emundaret, ut eſſent Domino offerentes ſacrificia in juſtitiâ; ex zelo ſalutis hominum, quos vellet, ut auferrent malum cogitarionum ſuarum ab oculis ejus; denique ex zelo adversùs quoſvis peccatores, niſi reſipiſcant, & præcipuè adversùs infideles, niſi convertantur à ſimulacris, ut ſerviant Deo vivo & vero. (Explan. 5. Apocal.)

Quadruplicem illum Chriſti Domini zelum, quantùm fas eſt Imperatori Chriſtiano illum imitari, poſſumus ex Hiſtoricis in Theodoſio adnotare.

Primus quidem zelus gloriæ Dei, quantus in eo fuit, cùm, ex Ruffino, *prepararet ſe ad bellum obſecrationum pernoctatione; & auxilia ſibi fida Sanctorum interceſſione poſceret?* (Ruffin. l.11. c.33.) Cùm ex Oroſio *in ſummis Alpibus conſtitutus, expers cibi, ac ſomni, Chriſtum ſolus ſolum, qui poſſet omnia, corpore humi fuſus, mente Cœlo fixus oraret; ac inſomnem noctem precum continuatione tranſigeret?* (Oroſ. l.7. c.22.) Cùm tandem medio in prælio *Deum omnipotentem* tanto fervore ſpiritus rogaverit, ut *porrigeret dexteram ſuis, nequandò dicerent gentes, ubi eſt Deus eorum?* ſicuti antè retuli ex Ruffino. (Ruffin. l.11. c.33.) Certè piiſſimus Imperator ex ferventi zelo gloriæ Dei *levavit oculos in montes, undè veniret auxilium* ei: *auxilium* autem ejus fuir *à Domino, qui fecit Cœlum, & terram.* (Pſ. 120. v.1.2.)

Ardenti quoque zelo Sanctuarii, ſeu Eccleſiæ, ſuccenſus eſt Theodoſius: namque extincto Maximo, *ad Orientem regreſſus*, inquit Ruffinus, *ibi, ut ab exordio Principatus ſui, ſummâ curâ, ſummoque ſtudio pulſis hæreticis, Eccleſias Catholicis tradere; idque eâ moderatione agere, ut ultione contemptâ, tantùm Catholicis de Eccleſiarum reſtitutione conſuleret, quò fides recta abſque predicationis impedimento proficeret; communem ſe prabere erga Sacerdotes Dei: fide, religione, & munificentiâ cunctis regium animum exhibere. Acceſſu facilis; & abſque imperiali faſtu ad col-* (Ruffin. l.11. c.19.)

loquium ſe humilibus præbere : hortatu ejus , & largitionibus , Eccleſia plurimis locis ornata ſatis , magnificeque conſtructa : præſtare multa poſcentibus , ſed frequentiùs ultro offerre.

Quid autem de zelo , quo ſalutem hominum proſecutus eſt , dicam ? Zoſim.l.4. Id ipſum , quod Zoſimus ſuperſtitioni Ethnicæ addictiſſimus retulit de eodem Imperatore , poſtquàm Eugenium profligavit. *Cùm* , inquit , *hoc modo res Theodoſio Principi ſucceſſiſſent , Romam ingreſſus , Senatum, qui patritis , avitiſque Sacrorum ritibus inhærebat , nec adhuc permoveri poterat , ut iis aſſentiretur , qui ad contemptum Deorum deflexerant , convenire jubet , ac orationem habuit , quâ eos hortabatur , ut miſſum facerent errorem ; ſic enim adpellabat , quem hactenùs ſecuti fuiſſent ; & Chriſtianorum fidem amplecterentur , quæ liberationem ab omni delicto , & impietate polliceatur.*

Poſtremò , Theodoſius ſancto adversùs impios inanium Deorum cultores zelo exarſit ; & ad id probandum ſufficient verba Zoſimi. Sic Zoſim.l.4. enim de Theodoſio loquitur. *Deûm quoque ſimulacra per omnes urbes , & agros oppugnabat ; adeoque periculum cunctis imminebat , qui eſſe Deos putabant , vel in Cœlum omninò ſuſpiciebant , & quæ in eo conſpiciuntur, adorabant.*

Idem poſteà *dedit in mandatis Cynagio Præfecto Prætorio , cùm eum ablegaret in Ægyptum , & præcepit , omnibus Numinum religione interdiceret ; ac delubra clauderet : quâ quidem in re Cynagius , quod imperatum fuerat , præſtitit ; & templorum per Orientem , & univerſam Ægyptum, & ipſam Alexandriam , fores occluſit ; ſacrificiaque ab omni ævo recepta cum omni patrito cultu ſubmovit.*

Denique , Theodoſius Romæ Senatui *fiſcum ſumptu gravari , qui in Sacra, victimaſque fieret , ſeque iſta velle abolere dixit.*

Ex verſ. 12. *Et in capite ejus diademata multa.*

Chriſtus diadematis multis inſignitur , utpote non unius nationis , ſed omnium Dominus ; atque , ſicuti dicitur verſu decimo ſexto , *Rex Regum , & Dominus dominantium.*

Contulit etiam eximiâ benignitate ſuâ , & ſummâ poteſtate diademata multa Theodoſio , quandoquidem is non modò Imperium Orientis à Gratiano conſecutus ſit ; verùm etiam uſurpata à Maximo , & Eugenio diademata juſtè abſtulerit ; iiſque Tyrannis extinctis adeptus fuerit Imperium Occidentis ſimul ac Orientis.

Ex verſ. 12. *Habens nomen , quod nemo novit , niſi ipſe.*

Nomen illud Chriſti , quod Joannes reticet hoc verſu , declarat ſequenti , dùm ait , *& vocatur nomen ejus Verbum Dei* , nempè Verbum æternum , per quod omnia facta ſunt : undè non mirum ſit ipſum eſſe Regem omnium , ac Dominum , cùm omnium etiam ſit Creator.

Illud autem *Verbi Dei nomen* , *nemo* , nec hominum , nec Angelorum, luce naturali intelligentiæ *novit* perfectè ſicuti eſt , quia , inquit ipſemet Chriſtus,

Chriſtus, *nemo novit Filium niſi Pater; neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Matth. 11. v.27.

Verùm, etſi id ita ſit, alia mihi videtur ratio, propter quam Chriſtus Dominus inter plura nomina, quibus in Sacrâ Scripturâ nuncupatur, illud Verbi Dei nomen hocce Apocalypſis loco potiſſimùm ſibi vendicet. Nimirùm Chriſtus, ut Verbum Dei, afflavit Spiritu ſuo Sancto, ac veraci prælatum Monachum, dictum Joannem; eique ſuggeſſit verba, quæ reſponderet Theodoſio, futuro Maximi, & Eugenii Tyrannorum victori. *Nemo* autem ex hominibus, præter ipſum Chriſtum hominem ac Deum, ante illam revelationem ab ipſomet Chriſto inditam eidem Joanni, & Theodoſio ſignificatam, *novit* quid in ejuſdem Verbi Divini cum Patre, & Spiritu Sancto arcanis conſiliis ſtatutum eſſet de eventu futuro bellorum Theodoſii adverſùs Maximum, & Eugenium, præſertim cùm illi Tyranni viribus ſuperiores eſſent; Maximuſque Gratianum, Eugenius verò Valentinianum, fratres, ac legitimos Imperatores è medio ſuſtuliſſent. At quamvìs plerique homines, maxime Pagani, ſuopte ingenio erroribus obnoxio, & Deorum ſuorum fallaciſſimorum inſtinctu præſumerent, ac verbis ſuis inanibus jactarent, Maximum, & Eugenium fore victores: tamen Chriſtus, Verbum Dei veraciſſimum, & ſummè potens, ut oſtenderet veritatem verborum ſuorum, eam*, quam per ſervum ſuum Joannem Monachum prædixerat, Theodoſio victoriam contulit.

Verſ. 13. *Et veſtitus erat veſte aſperſâ ſanguine; & vocatur nomen ejus Verbum Dei.*

Cùm poſtrema verba occaſione præcedentis verſus explanaverim, mihi videtur Chriſtus apparere *veſte* ſuâ *aſperſus ſanguine*, tùm proprio, tùm alieno: proprio, quem fudit immensâ charitate, ut populum ſuum ab inimicis ſuis ſalvum faceret: alieno autem, videlicet hoſtili, quem juſtè iratus effudit. Ita apud Iſaiam, *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus? Ego, qui loquor juſtitiam, & propugnator ſum ad ſalvandum. Conculcavi eos in ira meâ; & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea.* Porrò Chriſtus ſeſe exhibet ſanguine ſuo, & hoſtili aſperſum, ut ſignificet ſe virtute Crucis, in quâ ſanguinem ſuum fudit, hoſtes Theodoſii debellaturum; eorumque ſanguinem fuſurum. Iſai. 63. v.1.3.

Hinc ex Theodoreto, *cùm Duces hortarentur Theodoſium, ut bellum contra Eugenium aliquandiù intermitteret, quò vere ineunte, exercitu collecto, hoſtes multitudine devincerent; Imperator fideliſſimus eorum conſilium repudiavit. Nam, non committendum eſt, inquit, ut ſalutaris Crux tanta arguatur imbecillitatis; Herculiſque ſtatuæ tantùm virtutis noſtro teſtimonio tribuatur: Quippe ut Crux noſtrum exercitum, ita illa hoſtium antecedit.* Theodor. l.5.c.24.

Sciens etiam ex Oroſio, *ſe eſſe non ſolùm ſigno Crucis tuendum, ſed & victoriam adepturum, ſigno Crucis ſe muniens, ſignum victoria dedit; ac ſe in bellum, etiamſi nemo ſequeretur, victor futurus immiſit.* Oroſ. l.7. c.22.

Verſ. 14.

Digitized by Google

Verſ. 14. *Et exercitus, qui ſunt in Cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo, & mundo.*

Joan. 20. v. 12. Act. 1. v. 10. Apoc. 7. v. 9. C. 19. v. 8. Notum eſt Angelos ad monumentum Chriſti, poſtquàm reſurrexit, & cùm in Cœlum aſcendit, viſos eſſe in veſtibus albis; Sancti quoque ex hominibus ad Cœlos evecti apparuerunt in Apocalypſi *amicti ſtolis albis, atque cooperti byſſino ſplendenti, & candido.* Utrique verò, tùm hominum, tùm Angelici ſpiritus, ad eamdem in Cœlis beatitudinem aſciti, conficiunt cœleſtes exercitus ejuſdem omnium Domini, Chriſti Filii Dei, ſedentis ad dexteram Patris, inimicos ſuos ſubacturi.

Theodor. l. 5. c. 24. At ex Theodoreto, cùm *Theodoſius*, Eugenium debellaturus, *totam noctem hujus univerſitatis Gubernatorem precaretur, ſomno oppreſſus, & humi ſtratus, videre ſibi viſus eſt duos viros, candido veſtitu amictos, equis albis vehi; qui ipſum bono animo eſſe; timorem abjicere; primâ luce arma capere; & exercitum in aciem educere jubent: nam ſe auxiliares, & velut anteſignanos ad eum miſſos eſſe; & alterum eſſe Ioannem Evangeliſtam, Philippum Apoſtolum alterum. Hâc oblatâ viſione, Imperator preces fundere non deſiſtit; ſed attentiore cogitatione eas Deo adhibet.*

Eadem quoque viſio militi ſecundum quietem apparuit; qui Præfecto ſuo eam narravit: ille eum deducit ad Tribunum militum; Tribunus autem ad Ducem: Dux novi aliquid indè portendi ratus, Imperatori ſignificat.

Tùm Imperator, non meâ, inquit causâ hæc oblata eſt viſio; ipſe namque illis, qui victoriam promiſerant, fidem habui; ſed ne quiſpiam exiſtimaret me, utpote prælii faciendi cupidum, eam confixiſſe. Huic igitur militi Deus, mei Imperii propugnator, hanc obtulit viſionem, ut mihi eamdem narranti certum teſtimonium daret: nam mihi primùm communis omnium Dominus illam oſtenderat. Quare omni metu prorſus amoto, Anteſignanos noſtros, & Principes belli gerendi ſequamur; atque nemo bellantium multitudine metiatur victoriam; ſed eorum potentiam, qui ſe duces nobis præbent, quiſque conſideret.

Hâc oratione militum animi valdè confirmati ſunt, inquit Theodoretus.

1. Jud. 7. à v. 9. 1. 2. Mach. c. 15. à v. 11. Nec addubitabit id quiſquam, qui legerit libro Judicum, *Gedeonem confortatum, & ſecuriorem ad hoſtium caſtra deſcendiſſe*, ex relatione, & interpretatione ſomnii diviniùs immiſſi; item libro ſecundo Machabæorum, Judam Machabæum viſis in ſomnio Oniâ ſummo Sacerdote, & Jeremiâ Prophetâ, qui jam è vivis exceſſerant, corroboraſſe ſuorum militum animos, ac victoriam reportaſſe.

Theodor. l. 5. c. 24. Simile quidpiam contigit Theodoſio: Etenim ex Theodoreto, *Poſteaquam phalanges ordine locatæ erant, ſatis animadverti poterat, tùm quàm ingentes hoſtium copiæ eſſent, tùm quam pauca cum Imperatore in acie jungerentur. Cùm autem tela utrinque conjici cœpta ſunt, tùm Anteſignani Imperatoris verè promiſſa præſtitere. Nam ventus violentus, è regione hoſtibus irruens, illorum ſagittas, jacula, ſpiculaque in ipſos retorquet. Imperatoris autem exercitus, nullo damno, incommodove accepto, fidentibus animis hoſtes trucidant.* Hæc Theodoretus.

Ita,

Ita, inquit Oroſius, *cœlitùs judicatum eſt inter partem etiam ſine præ-* Oroſ. l. 7.
ſidio hominum de ſolo Deo humiliter ſperantem, & partem arrogantiſſimè de c. 35.
viribus ſuis, & de idolis præſumentem!

Sed fortaſſe aliquis nonnullam difficultatem patietur ex noſtrâ interpretatione, quòd Apocalypſis verſu propoſito dicantur *exercitus, qui ſunt in cœlo, ſequi in equis albis, veſtiti byſſino albo*; cùm tamen ſoli *Joannes Evangeliſta, & Philippus Apoſtolus viſi ſint Theodoſio amicti candido veſtitu, & equis albis vecti.*

Verùm non neceſſe fuit ut multitudo militiæ cœleſtis, quæ opem latura erat Theodoſio, ei appareret; ſed ſatis fuit unum & alterum inſignem divini illius exercitus ducem, tanquam delegatos ſeſe exhibere pio Imperatori, eique victoriam certiſſimam polliceri; quemadmodùm naſcente in terris Chriſto unus Angelus apparuit Paſtoribus, quam- Luc. 2. v. 9.
vìs cum eodem Angelo adeſſet multitudo militiæ cœleſtis; & Chriſto 13.
in Cœlum aſcendente duo dumtaxat Angeli viſi ſunt Apoſtolis, etſi Act. 1. v. 10.
haud dubiè omnes Cœleſtes Spiritus Chriſtum aſcendentem vel comi- 11.
tarentur, vel ſequerentur. Sic enim veniet, quemadmodùm profectus eſt: veniet autem cum omnium Cœleſtium ſpirituum comitatu.

Propterea verò mihi videtur ex omnibus Cœleſtibus Joannes Evangeliſta ſelectus à Domino, & Theodoſio exhibitus, ut victoriam illam, quam hocce Apocalypſis loco ex Revelatione ejuſdem Domini primùm prædixerat, & deindè per alterum Joannem Monachum, Spiritu Sancto afflatum, præfato Imperatori ſignificaverat, novâ, & congruâ apparitione confirmaret.

Comitabatur autem Joannem Evangeliſtam Philippus Apoſtolus, Joan. 1.
tanquam unus ex primis ad ſequendum Chriſtum vocatis; necnon ut v. 43. 44.
Joannis concivis, tùm in terrâ, tùm in Cœlo, cuique dixerat Dominus 51.
ab initio vocationis illius, *Videbitis Cœlum apertum; & Angelos Dei aſ-* Joan. 14.
cendentes, & deſcendentes ſupra Filium hominis; ac tandem: *Verba, quæ* v. 10.
ego loquor vobis, à me ipſo non loquor.

Verſ. 15. *Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipſo percutiat gentes; & ipſe reget eas in virgâ ferreâ; & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.*

Vivus eſt, inquit Paulus, *ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni* ad Heb. 4.
gladio ancipiti; & ex eodem Apoſtolo, & Iſaïâ, *Dominus Jeſus percu-* v. 12.
tiet terram virga oris ſui; & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium: 2. ad Theſſ. 2.
ſummâ enim ſuâ poteſtate, & æquitate, quæ duæ virtutes ſunt, qui- v. 8.
bus nemo poſſit reſiſtere, nationes ſibi adverſantes ſubiget; earumque Iſai. 11.
impietatem, dirutis illarum delubris, & contritis ſimulacris, evertet. v. 4.
Ita dudùm per Prophetam Regium *Dominus dixit Filio ſuo, Poſtula à me,* Pſ. 2. v. 7.
& dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. 8. 9.
Reges eos in virgâ ferreâ, & tanquam vas figuli confringes eos.

Ipſe autem Dominus Jeſus dicitur hîc *calcare torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis*, quòd more eorum, qui ex uvis, quas calcant in tor-

Digitized by Google

culari, vinum exprimunt, & effundunt; ipſe ſummè potens, ac juſtè iratus adversùs impia gentium facinora, ſanguinem illarum fundat; ac vitam iis adimat, uti prædictum eſt ab Iſaiâ. *Quare rubrum eſt indumentum tuum ſicut calcantium in torculari; torcular calcavi; calcavi eos in furore meo, in irâ meâ, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea.*

Iſai. 63. v. 2. 3.

Hujuſce verò poteſtatis ſuæ, & juſtitiæ Dominus Theodoſium participem effecit, cùm fideliſſimus Imperator primùm barbaros à verâ fide aberrantes profligaverit; dein duos Tyrannos Ethnicis faventes peremerit; ac gentilium impietatem edictis ſuis deleverit.

Plura jam in ejus rei fidem teſtimonia etiam ex Zoſimo pagano retuli, cùm verſum duodecimum hujus Capitis explanarem.

Ruffin. l. 11. c. 19. c. 22.

Addo ex Ruffino iſta hiſtoriæ monimenta. *Idolorum cultus, qui Conſtantini inſtitutione, & deinceps negligi, & deſtrui cœptus fuerat, Theodoſio imperante collapſus eſt.* Siquidem *apud Alexandriam novis motibus adverſum Eccleſiam concitatis, Imperator, qui ingenitâ mentis clementiâ errantes mallet emendare, quàm perdere, reſcribit illorum quidem vindictam, quos ante aras ſanguis effuſus Martyres effecit, non eſſe poſcendam, in quibus dolorem interitus ſuperaverit gloria meritorum. De cætero verò malorum cauſam, radiceſque diſcordia, quæ pro ſimulacrorum defenſione veniebant, penitùs debere ſuccidi; quibus exterminatis, etiam bellorum cauſa pariter conquieſceret.*

Ruffin. l. 11. c. 23. 27. 28. 29. 30.

Quare Serapis ſimulacrum, & templum dirutum eſt.

Poſt occaſum autem *Serapis, quæ jam alterius Dæmonis ſtare delubra potuerunt? Parùm dixerim, ſi omnes, quæ erant Alexandriæ per ſingulas penè columnas cujuſcumque Dæmonis adiculæ inſulta, ceciderunt. Sed per cunctas Ægypti urbes, per caſtella, per vicos, per omne rus, per ripas fluminis, per eremum quoque, ſi qua fana, vel potius buſta reperiri potuerunt, inſtantiâ uniuſcujuſque Epiſcopi ſubruta, & ad ſolum deducta ſunt. Sed & illud apud Alexandriam geſtum eſt, quòd etiam thoraces Serapis, qui per ſingulas quaſque domos in parietibus, in ingreſſibus, in poſtibus etiam, ac feneſtris erant, ita abſciſſi ſunt omnes, & abraſi, ut nè veſtigium quidem uſquàm, vel nominis appellatio, aut ipſius, aut cujuſlibet alterius Dæmonis remaneret; ſed pro his Crucis Dominicæ ſignum unuſquiſque in poſtibus, in ingreſſibus, in feneſtris, in parietibus, columniſque depingeret.*

Vbi hæc geſta Religioſo Principi nuntiata ſunt, extentis ad Cœlum palmis, cum ingenti fertur exultatione dixiſſe: Gratias tibi, Chriſte, quòd abſque Vrbis illius magna pernicie tàm vetuſtus error extinctus eſt.

Mira hæc, quæ ex Hiſtoriographis hâc explanatione retuli, potuit Chriſtus ſummè potens, ac juſtus; & per ſervum ſuum fideliſſimum, Imperatorem Theodoſium, peregit: nam

Ex verſ. 16. *Et habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.*

Ita ut ſumma illius poteſtas, miris ejus operibus externis, tanquam

quam ſignum aliquod in veſtimento refulgens, omnibus ipſum mente perſpicaci intuentibus appareat; eique omnes Reges, vel inviti ſubdantur; vel juſtâ erga illum pietate permoti, fidem ei illibatam, perpetuumque obſequium jurent. Sic *Servus Abrahâ ponens manum ſub femore domini ſui, juravit* ſe illi obſecuturum; & facturum quod juſſerat. Gen. 24. v. 9.

Concludam hanc explanationem verbis Sancti Ambroſii oratione *de exitu, vitâ, ac virtutibus Theodoſii Imperatoris. Quid præſtantius fide Imperatoris, quem non extollat potentia; ſuperbia non erigat; ſed pietas inclinet? Dilexi virum, qui, cùm jam corpore ſolveretur, magis de ſtatu Eccleſiarum, quàm de ſuis periculis angebatur. Sacrilegos removit errores; clauſit templa; ſimulacra deſtruxit. Manet ergo in lumine Theodoſius; & Sanctorum cœtibus gloriatur. Contrà autem Maximus, & Eugenius in inferno docent exemplo miſerabili quàm durum ſit arma ſuis Principibus irrogare.* S. Ambroſ. de obitu Theodoſii.

EXPLANATIO LXVI.

Quinque ultimorum verſuum Capitis decimi-noni Apocalypſis, de ſtrage ingentium exercituum Rhadagaiſi Gothi, ſub Honorio; Varanis Perſæ, Alamundari Saraceni, & Rhoili Scythæ, ſub Theodoſio Iuniore.

Vers. 17. Et vidi unum Angelum ſtantem in ſole, & clamavit voce magnâ, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium Cœli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.

℣. 18. Vt manducetis carnes Regum, & carnes Tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſervorum, & puſillorum, & magnorum.

℣. 19. Et vidi beſtiam, & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui ſedebat in equo, & cum exercitu ejus.

℣. 20. Et apprehenſa eſt beſtia, & cum eâ pſeudopropheta, qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ:

& qui adoraverunt imaginem ejus, vivi miſſi
ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.
℣. 21. Et cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper
equum, qui procedit de ore ipſius; & omnes
aves ſaturatæ ſunt de carnibus eorum.

Verſ. 17. *Et vidi unum Angelum.*

OSTENSA per Angelum Joanni victoriâ Divinitùs collatâ magno Theodoſio, Imperatori fideliſſimo, de duobus tyrannis, fautoribus ethnicæ ſuperſtitionis, apparet alter Angelus eidem Apoſtolo, & Prophetæ indicaturus alias clades Divinâ virtute illatas copioſiſſimis exercitibus Paganorum furentium adversùs Chriſtianam Religionem, tùm ſub Honorio Theodoſii Magni filio, tum ſub Theodoſio Juniore, ejuſdem Theodoſii Magni nepote; ac ejus Imperii, & zeli adversùs Idololatras ſucceſſore.

Siquidem Honorius Occidentis Imperator, hanc legem tulit: *Simulacra, ſi qua etiam nunc in templis, faniſque conſiſtunt, ſuis ſedibus evellantur. Ædificia ipſa templorum ad uſum publicum vindicentur. Aræ locis omnibus deſtruantur.* [C. Theodoſ. de Pagan.]

Undè Sanctus Proſper inquit: *Honorius etiam Theodoſii minor filius, Chriſtianâ Religione, ac devotione præditus, templa omnia cum ſuis adjacentibus ſpatiis, Eccleſiis contulit; ſimulque eorum ſimulacra confringenda in poteſtatem dedit.* [Proſper. l. de prom. & prædict. c. 38.]

Theodoſius autem junior, Imperator Orientis: *Omnibus*, inquit Sanctione ſuâ, *ſceleratæ mentis paganæ, execrandis hoſtiarum immolationibus, interdicimus; cunctaque eorum fana, templa, delubra, ſi qua etiam nunc reſtant integra, præcepto Magiſtratuum deſtrui; collocatione que venerandæ Chriſtianæ Religionis ſigni expiari præcipimus.* [C. Theod. de Pagan.]

Quamobrem, inquit Oroſius, *juſtus diſpenſator humani generis Deus Rhadagaiſum Paganum hoſtem perire voluit, ut Pagani, blaſphemanteſque Romani illo confunderentur perdito, maximè cùm Imperatoris Honorii admiranda in Rege continentia, & ſanctiſſima fides non parùm Divinæ miſericordiæ mereretur.* [Oroſ. l. 7. c. 26.]

Theodoretus quoque, poſtquàm teſtatus eſt Theodoſium Juniorem *Divinâ fide inductum mandaſſe ſimulacrorum delubra, quæ etiamnùm reliqua erant, adeò funditùs everti, ut ne veſtigium quidem veteris gentilium erroris reſtaret ad intuendum*, ſubjungit, *atque ex his pietatis ſeminibus fructum continuum percepit:* quod illicò probat victoriis, quas pius Imperator conſecutus eſt miro Dei beneficio, tùm adversùs Rhoilam Ducem Scytharum, tùm in bello Perſico. [Theodor. l. 5. c. 36.]

Ex verſ. 17. *Stantem in ſole.*

Angelus autem, qui clades Paganorum ſub Honorio, & ſub Theodoſio

doſio juniore futuras prædicturus erat, *ſtabat in ſole*, tanquam nunciaturus res, quæ forent omnibus notiſſimæ, quemadmodùm claritas ſolis cunctis patet; quarumve perſpicuitas gratiâ Chriſti, qui eſt ſplendor Patris, ac ſol juſtitiæ, & intelligentiæ, veruſque Deus, tenebras ethnicæ ſuperſtitionis depelleret; confunderetque ipſos Perſas, Solem, quem Deus uſibus humanis creavit, veluti Deum adorantes: Contrà verò manifeſtaret tantâ luce ſummam Dei Creatoris, ac moderatoris omnium poteſtatem, & juſtitiam, ut nemo, niſi impietate ſuâ excæcatus, illas non adverteret, ſuſpiceret, veneraretur.

Ex verſ. 17. *Et clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium Cæli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.*

Verſ. 18. *Ut manducetis carnes Regum, & carnes Tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, & ſervorum, & puſillorum, & magnorum.*

Præfatis verbis Angelus ſignificat ingentem ſtragem exercituum paganorum, quorum corpora etiam poſt mortem voranda ſint à volucribus rapacibus, ac feris. Ita apud Ezechielem verba ſimilia; & Deus voce illius Prophetæ concludit, *& ponam gloriam meam in gentibus; & videbunt omnes judicium meum, quod fecerim; & manum meam, quam poſuerim ſuper eos. Et ſcient domus Iſraël, quia ego Dominus eorum.* Ezech. 39. à v. 17. ad 22.

At quàm appoſitè, & convenienter Angelus Divinæ Majeſtatis nuntius invitat aves ad manducandum carnes Regum, Ducum, equitum, ac quorumlibet militum interemptorum, cùm, ex Oroſio, *Rhadagaiſus paganus, & Scytha, omnem Romani generis ſanguinem diis ſuis propinare devoverat!* Ea enim fuit divinæ æquitatis congrua ultio, ut ille impius cum exercitu ſuo pateretur pœnam, quam aliis iniquè inferre decreverat. Oroſ. l. 7. c. 16.

Magna verò fuit avibus à Deo, uti refert Angelus, parata *cœna*, quia magna fuit interemptorum, quos vorarent aves, multitudo.

Etenim ſi fides habenda ſit Zoſimo Pagano, *Rodogaiſus*, ut ipſe loquitur, *ex Tranſiſtrianis, & Tranſrhenanis Celticis, Germanicíſque nationibus collectis hominum quadringentis millibus, ad tranſeundum in Italiam ſeſe parabat. Quâ re nuntiatâ cunctos, mirificè prima fama percuſſit. Cúmque deſperarent urbes, & ipſa Roma jam extremo periculo conturbata eſſet, Stelicho univerſas hoſtium copias ad internecionem cecidit, adeò quidem, ut horum propè nullus incolumis evaderet, exceptis pauciſſimis, quos ipſe Romanis auxiliis adſcripſit.* Hæc Zoſimus. Zoſim. l. 5.

Oroſius autem, *fuiſſe in populo Rhadagaiſi pluſquàm ducenta millia Gothorum; & nihil*, inquit, *ſupereſſe Deus de eodem populo ſinit.* Oroſ. l. 7. c. 16.

Auguſtinus verò ait, *Cùm Rhadagaiſus Rex Gothorum agmine ingenti, & immani, jam in urbis viciniâ conſtitutus, Romanis cervicibus immineret, uno die tantâ celeritate ſic victus eſt, ut nè uno quidem, non dicam extincto, ſed nec vulnerato Romanorum, multò ampliùs quàm centum millium proſterneretur ejus exercitus; atque ipſe cum filiis mox capitus pœnâ debitâ necaretur.* Auguſt. de Civ. Dei, l. 5. c. 23.

Iſta quidem ſub Honorio, quæ fidem faciunt tot *millium Gothorum*, ut ait Proſper, *in Thuſcia caſorum*, prædam extitiſſe volucribus.

Proſper in Chron.

Sub Theodoſio autem Juniore, *Varanes Rex Perſarum*, ex Socrate, *ſuſceptis regni gubernaculis, à Magis ad eam rem impulſus, Chriſtianos acerbè exagitare; cruciatus, & tormenta varia, Perſarum more, illis infligere. Itaque Chriſtiani, qui inter Perſas habitabant, neceſſitate coacti, ad Romanos confugere; orare ne illos tàm miſerè opprimi patiantur. Romani autem non ſolùm eos, ut ſupplices conſervare animo inſtituerunt; verùm etiam omnibus opibus, viribuſque ad Religionem Chriſtianam propugnandam eniti parati fuerunt. Quapropter cum Perſis bellum gerere, quàm pati Chriſtianos tàm miſerè perire, maluerunt.*

Socrat. l. 7. c. 18.

At quoniam rex Perſarum, Romanorum exercitum vehementer formidabat, auxilium poſtulat à Saracenis, quibus id temporis præfuit Alamundarus, vir excelſo animo, & bellicoſo, qui infinita Saracenorum manu ſecum adducta, Regem Perſarum confidere jubet; quin etiam pollicetur, neque id adeò multò poſt, illi non ſolùm ſubacturum Romanos, ſed Antiochiam, quæ eſt in Syria, traditurum. Verùm ejus promiſſio non ſucceſſit ex ſententia.

Nam Deus adeò ingentem Saracenis incuſſit terrorem, ut Romanorum copias in ipſos de repentè irruiſſe exiſtimarent, atque, cùm inter ſe ipſos tumultuarentur, & non haberent quò aufugerent, ipſi ſe armatos præcipitarunt in fluvium Euphratem, in quo homines circiter centum millia ſubmerſi perierunt.

Ex hâc Socratis narratione quis non colligat tot millium Saracenorum corpora, more ſubmerſorum, paulò poſt emerſiſſe; ac in ripas Euphratis delata, tandem à volucribus lacerata, & vorata fuiſſe?

Verſ. 19. *Et vidi beſtiam, & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui ſedebat in equo, & cum exercitu ejus.*

Nempe Rhadagaiſus Rex Gothorum, Varanes Rex Perſarum, & Alamundarus Rex Saracenorum, tanquam belluæ feroces furentes adversùs Chriſtianam Religionem, collegerunt ingentes exercitus ethnicæ ſuperſtitioni deditos, quò Chriſtum Dominum, ejuſque Sanctos Angelos, ac Martyres, & Confeſſores in Cœlum receptos, atque militiam illius cœleſtem conficientes, oppugnarent.

Oroſ. l. 7. c. 26.

Indè Oroſius de Rhadagaiſo inquit, *Rhadagaiſus omnium antiquorum, præſentiumque hoſtium longè immaniſſimus, omnium Romani generis ſanguinem Diis ſuis propinare devoverat; & vulgò nomen Chriſti probris ingravatur.*

Aug. de Civ. Dei l. 5. c. 23.

Auguſtinus etiam de eodem Rhadagaiſo, *ſi ille tàm impius, cum tantis, & tam impiis copiis Romam fuiſſet ingreſſus, cui pepercïſſet? Quibus honorem locis Martyrum detuliſſet? In qua perſona Deum timeret? Cujus non ſanguinem effuſum, cujus pudicitiam vellet intactam? Quas autem iſti pro Diis ſuis voces haberent; quantâ inſultatione jactarent, quòd ideò ille viciſſet, ideò tanta potuiſſet, quia quotidianis ſacrificiis placabat, atque invitabat Deos; quod Romanos facere Chriſtiana Religio non ſinebat.*

Non

Digitized by Google

Non abſimilia dici poſſunt de Varane Rege Perſarum, Chriſtianæ Religionis perſecutore, & de Alamundaro Rege Saracenorum Pagano; ſi Romanos, ut ſibi pollicebantur, ſubegiſſent, & Antiochiam totius Aſiæ Metropolim, in quâ primùm Chriſtiani appellati ſunt, cepiſſent. Propoſitum certè illis erat præliis ſuis Chriſtum, eoſque, qui ei nomen dederant, laceſſere, ac vincere.

Verùm Chriſtus, omnium Dominus, ac Deus, ejuſque exercitus Cœleſtis, ex Sanctis Angelis, aliiſque Beatis congregatus, paratos ſe oſtenderunt ad prælium committendum cum illis impiis Regibus, ac Paganis; & victoriam non modò promiſerunt fidelibus, ſed etiam præſtiterunt.

Quippe Paulinus in vitâ Sancti Ambroſii refert; *tempore, quo Radagaiſus Florentiam Tuſcia Civitatem obſidebat, cùm jam penitùs deſperaſſent viri Civitatis ipſius, Beatus Ambroſius per viſum cuidam apparuit; & promiſit alio die ſalutem illis affuturam. Quo referente civium animi ſunt erecti. Nam altero die, adveniente Stelicone Comite cum exercitu, facta eſt de hoſte victoria.* Paulin. in vitâ S. Ambroſ.

Cùm autem ſub Theodoſio juniore bellum Perſicum inſtaret, *ſimul atque Imperator Romanus*, inquit Socrates, *intellexerat, Perſam maximas copias contra ipſum comparaſſe; ſpe totâ belli adminiſtrandi in Deo collocatâ, maximum exercitum ex adverſo miſit. Imperatorem autem ſummum protinùs à Deo beneficium accepiſſe, quòd ejus ope confidebat, ex hoc perſpicuum eſſe poterit. Cùm enim Conſtantinopolitani anxio, & ſolicito animo eſſent, & propter incertam belli fortunam ancipiti curâ diſtracti; Angeli Dei in Bithynia nonnullis, quos negocia neceſſaria Conſtantinopolim ire cogebant, apparentes, jubent renunciare Conſtantinopolitanis, ut bono animo ſint; precibus ſe dedant; & firmam in Deo ſpem ponant; Romanos victores fore: ſe enim adminiſtratores belli à Deo miſſos dicebant.* Socr. l. 7. c. 18.

Nec vana fuit Sanctorum Angelorum pollicitatio: *bellum* enim illud *propter Chriſtianos in Perſide* ſuſceptum à Romanis, Dei ope ex iis, quæ videre eſt apud Socratem, & Theodoretum, tantâ felicitate confectum fuit, ut *non modò reſtinctum, verùm etiam perſecutionis procella contra Chriſtianos ibidem concitata, penitùs repreſſa, tranquillataque fuerit.* Theodor. l. 5. c. 36. Socrat. l. 7. c. 18. 20.

Quid, quòd Thodoſius junior, referente Socrate, paulò poſt bellum *cum Perſis geſtum, ope divinâ nixus*, meruit ut *Angelus Dei* ſuppetias mirabiles ferret *Aſpari duci ejus exercitus, quò Ioannem tyrannum Ravennæ opprimeret?* Socr. l. 7. c. 23.

Quin etiam ex Socrate, & Theodoreto, *poſt tyranni necem, cùm Rhoilus, dux Scytharum, qui Nomada dicuntur, quos Tyrannus ad auxilium ſibi contra Romanos accerſiverat, trajecto Iſtro cum ingentibus copiis, Thraciam populari, & prædas agere inciperet, & Conſtantinopolim obſeſſurum, momentoque temporis capturum, atque adeò ſolo æquaturum minaretur; Deus fulminum jactu illum combuſſit; deinde peſtis ſubſecuta maximam partem hominum, qui ei parebant, è medio ſuſtulit. Neque hoc ſatis eſſe videbatur; ſed ignis etiam de Cœlo delapſus complures eorum, qui ſupererant, abſumpſit?* Socr. l. 7. c. 42. Theodor. l. 5. c. 36.

Verſ. 20. *Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudopropheta; qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus.*

Beſtiæ nomine non unum, ſed multos Reges, vel Imperatores Ethnicos, ac Chriſtianæ Religionis perſecutores, intelligere oportet; itemque pſeudoprophetæ appellatione cenſendi ſunt ethnicæ ſuperſtitionis præcipui ſeductores, qui præſtigiis ſuis, ac inanibus, & ſubdolis ſignis, vel etiam Dæmonum incantationibus irretierunt illos, qui quovis modo conſenſere impietati illorum Regum, ac Imperatorum Ethnicorum; eoſque, etiam tanquam Deos coluerunt; quemadmodùm ſatis ſuperque oſtendi in caput decimum tertium Apocalypſis, Explanatione quinquageſimâ ſecundâ. Illi quoque præſtigiatores nonnumquam commoverunt præfatos Reges, ac Imperatores Ethnicos adversùs Chriſtianos, atque aliquandò etiam contra hoſtes; promiſeruntque ipſis mendaciſſimas victorias, uti multis locis expoſui, ac præſertim de Juliano Apoſtatâ, in caput decimum ſextum, Explanatione quinquageſimâ octavâ.

Verùm præter illa, quæ citatis locis protuli, operæ pretium duco paucis hîc referre præſtigias ethnicas, & falſiſſimas divinationes, quæ obtectæ ſunt temporibus Theodoſii Magni, Honorii, & Theodoſii Junioris, ut magis appareat quàm concinnè conveniat verbis Apocalypſis explicatio noſtra.

Ruffin. l. 11. c. 23. Tempore Theodoſii Magni propalatum eſt, uti refert Ruffinus, quòd *erant Alexandriæ in templo Serapis quædam ad ſtuporem, admirationemque videntium, dolis, & arte compoſita.*

Feneſtra perexigua ab ortu ſolis ita erat aptata, ut die, quâ inſtitutum fuerat, ſimulacrum ſolis ad Serapin ſalutandum introferri, diligenter temporibus obſervatis, ingrediente ſimulacro, radius ſolis per eamdem feneſtram directus, os, & labra Serapis illuſtraret, ita ut inſpectante populo, oſculo ſalutatus Serapis videretur à ſole.

Erat & aliud fraudis genus hujuſmodi. Natura lapidis magnetis hujus virtutis eſſe perhibetur, ut ad ſe rapiat, & attrahat ferrum. Signum ſolis ad hoc ipſum ex ferro ſubtiliſſimo manu artificis fuerat fabricatum, ut lapis, cujus naturam ferrum ad ſe trahere diximus, deſuper in laquearibus fixus, cùm temperatè ſub ipſo radio ad libram fuiſſet poſitum ſimulacrum, & vi naturali ad ſe raperet ferrum, aſſurrexiſſe populo ſimulacrum, & in aëre pendere videretur; & ne hoc lapſu propero proderetur, miniſtri fallacia, Surrexit, aiebant, ſol, ut valedicens Serapi diſcedat ad propria.

Superſtitio etiam quædam ab ipſis gentilibus fuerat diſperſa, quòd ſi humana manus ſimulacrum Serapis contigiſſet, terra dehiſcens ilicò ſolveretur in chaos; Cœlumque repentè rueret in præceps. Attamen *unus ex militibus, fide, quàm armis magìs munitus*, dejecit illud Idolum.

Ruffin. l. 11. c. 24. 25. 26. Prætermitto alias Sacerdotum Saturni, & Canopi fraudes, quas Ruffinus commemorat.

Tempore

Tempore Honorii, ut refert Sanctus Auguſtinus, *cùm Rhadagaiſus propinquaret jam his locis, ubi nutu ſummæ Majeſtatis oppreſſus eſt, nobis apud Carthaginem dicebatur, hoc credere, ſpargere, jactare Paganos, quòd ille Diis amicis protegentibus, & opitulantibus, quibus immolare quotidiè ferebatur, vinci omninò non poſſet ab eis, qui talia Diis Romanis Sacra non facerent; nec fieri à quoquam permitterent.* S. Aug. de Civ. Dei. l. 5. c. 23.

Poſtremò videre eſt apud Socratem quibus præſtigiis Magi impedierunt Iſdegerdem Regem Perſarum, nè Chriſti fidem amplecteretur; & quomodò Varanem Iſdegerdis filium commoverunt adversùs Chriſtianos. Quàm gravis autem fuerit perſecutio illa Perſica tempore Theodoſii Junioris, patet ex Theodoreto. Socrat. l. 7. c. 8. & 18. Theodor. l. 5. c. 38.

Ex verſ. 20. *Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure.*

Stagnum illud ignis ardentis ſulphure, in quod conjecti ſunt Ethnici Reges, Chriſtianorum perſecutores, *beſtiâ* ſignificati, & præſtigiatores, ac mendaciſſimi Paganorum Vates, *Pſeudoprophetâ* deſignati, non aliud eſt quàm Infernus, in quo impii illi cum Diabolo, cui ſeſe addixere, æternis flammis cruciabuntur. Etenim Apocalypſis capite vigeſimo dicitur *Diabolus miſſus in ſtagnum ignis, ubi, & beſtia, & pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Apoc. 20. v. 9. 10.

Cùm verò flagitioſorum hominum corpora nonnumquàm crementur poſt mortem; nec quicquam doloris tunc patiantur, utpote expertia vitæ, & omni ſenſu deſtituta: Joannes ait præfatos Ethnicos perſecutores, & pſeudoprophetas, *miſſos* eſſe in illum ignem æternum *vivos*, ut indicet ipſos ex illius ignis ardore perpetuo ſempiternum cruciatum paſſuros; quamvìs, antequàm in illum ignem protrudantur, mortem ſubeant: *ſtatutum* enim *eſt hominibus mori.* Sed poſtquàm animæ illorum impiorum fuerint à corporibus ſuis ſeparatæ, cùm ſint ipſæ ſpirituales, ac immortales, perpetuis illis Inferni ardoribus addicentur; cùm autem reſurrexerint in conſummatione ſæculi eorum corpora, & rursùm animabus ipſorum fuerint conjuncta, tunc Impii illi, non tantùm animâ, ſed etiam corpore *vivi* mittentur in ignem Inferni: at projectionem illam futuram Joannes more Prophetarum ſignificavit verbo præterito, cùm dixit, *vivi miſſi ſunt.* ad Heb. 9. v. 27.

Verſ. 21. *Et cæteri occiſi ſunt gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius; & omnes aves ſaturatæ ſunt carnibus eorum.*

Juſtiſſimâ ſententiâ, quam Chriſtus ſummâ ſuâ poteſtate, & ore ſuo Sacratiſſimo, velut Rex Regum, & Dominus Dominantium, protulit contra præfatos exercitus Paganos ei adverſantes, maxima pars illorum impiorum cæſa eſt; eorumque cadavera honore ſepulturæ privata, vorata ſunt ab avibus.

Ea fuit illorum pœna temporalis, quam tamen conſequitur pœna eorumdem in inferis æterna, etſi hanc hocce verſu Joannes ſilentio prætereat, quòd illam anteà ſufficienter indicaſſet, cùm dixerat Apocalyp-

ſis capite decimo quarto, *ſi quis adoraverit beſtiam, & imaginem ejus, &*
Apoc. 14. v. 9. 10. 11. *acceperit characterem in fronte ſuâ, aut in manu ſuâ, cruciabitur igne, & ſulphure; & fumus tormentorum eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum:* etenim quorum *carnibus aves ſaturatæ* dicuntur hoc verſu, quem nunc interpretor, manifeſtum eſt ex verſu præcedenti eos *accepiſſe characterem*
Apoc. 19. v. 20. *beſtiæ, & adoraſſe imaginem ejus.* Potiſſimùm verò Joannes eodem verſu antecedenti pœnam beſtiæ, & pſeudoprophetæ in igne inferi futuram recenſet, quòd de illâ ipsâ beſtiæ, & pſeudoprophetæ pœnâ æternâ nondum expreſsè locutus fuerat.

EXPLANATIO LXVII.

Decem primorum verſuum Capitis vigeſimi Apocalypſis. Diabolus, qui anteà per Imperatores Ethnicos erat princeps hujus mundi, ligatur tanquàm Tyrannus, & mancipium mille annis, quibus Imperium tenent Chriſtiani; eoque millenario Sancti Martyres, quos prius Ethnici deſpiciebant veluti cum dedecore mortuos, vivent reſurrectione civili, & Religiosâ apud Chriſtianos populos, à quibus magno in honore habebuntur, utpote Cœleſtis vitæ, & Regni Chriſti participes. Modico autem tempore poſt completum illud millenarium, ſolvetur Satanas, & priſtinam in terrâ poteſtatem magnâ parte recuperabit per Turcas infideles Imperio potitos: verùm illos per Chriſtianas regiones circumquaque effuſos, & adversùs Chriſtianam Religionem dimicantes, Chriſtus Dominus tandem temporali, & æterno igne aduret.

Verſ. 1.

Vers. 1. Et vidi Angelum deſcendentem de Cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſuâ.

℣. 2. Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus, & Satanas; & ligavit eum per annos mille.

℣. 3. Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni; & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore.

℣. 4. Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis; & animas decollatorum propter teſtimonium Ieſu, & propter Verbum Dei: & qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus ſuis; & vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis.

℣. 5. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima.

℣. 6. Beatus, & ſanctus, qui habet partem in reſurrectione primâ: in his ſecunda mors non habet poteſtatem; ſed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.

℣. 7. Et cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog: & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris.

℣. 8. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra Sanctorum, & Civitatem dilectam.

℣. 9. Et deſcendit ignis à Deo de Cœlo, & devoravit eos; & diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi & beſtia,

℣. 10. Et pſeudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum.

Vers. 1. *Et vidi Angelum deſcendentem de Cælo.*

Joan. 12. ASsertione Chriſti Domini, qui eſt ipſamet veritas,
v.31. diabolus erat *Princeps hujus mundi*, dùm illius impuriſſimi,
& flagitioſiſſimi ſpiritus cultui, & obſequio gentes impietate ſuâ erant mancipatæ; iſque per Imperatores Ethnicos ſibi devinctos cunctis dominabatur. Sed virtute ſanctiſſimâ Chriſti omnium Domini, ac Dei, dejectus eſt ab illo, quem nefariè uſurparat, dominatu; & tranſlato ad Chriſtianos Imperio Romano, in iiſque obfirmato, exceptus eſt tanquàm tyrannus, & ſervus nequiſſimus, extremis pœnis afficiendus. Eapropter *Angelus* perhibetur *de Cælo deſcendere*, ut iſta adversùs Diabolum, authoritate Dei Cœli, omnium moderatoris, & æquiſſimi judicis, exequatur.

Ex verſ. 1. *Habentem clavem abyſſi.*

Qui habet clavem alicujus rei, dominus ejus eſt; vel præpoſitus eſt
à domino, ut eam aſſervet; illamque, cùm juſſus fuerit, aperiat, aut
Job 12. claudat. Sic Sanctus Job de ſummo omnium Domino: *Apud ipſum*, in-
v.13. 14. quit, *eſt ſapientia, & fortitudo; ſi incluſerit hominem, nullus eſt, qui*
Iſai. 45. *aperiat.* Et Iſaïas, *hæc dicit Dominus Cyro, Subjiciam ante faciem ejus*
v.1. Iſai. 22. *gentes; aperiam coram eo januas; & portæ non claudentur.* Idem verò
v.15.19. Propheta: *Hæc dicit Dominus, vade ad Sobnam Præpoſitum templi, &*
20.21.22. *dices ad eum, Expellam te de ſtatione tuâ, & de miniſterio tuo deponam te;*
& poteſtatem tuam dabo in manu Eliacim; & dabo clavem domus David ſuper humerum ejus; & aperiet, & non erit, qui claudat; & claudet, & non erit, qui aperiat. Quæ quidem ſententia tranſlata fuit ab ipſo Joanne ad Chriſtum Apocalypſis capite tertio, verſu ſeptimo.

Abyſſi autem nomine, cujus *clavem* Angelus hocce loco, quem ex-
plano, habere dicitur, intelligendum eſt mare, ex aliis locis Apocalypſis.
Apoc. 11. Etenim capite undecimo, *beſtia aſcendit de abyſſo*; & capite decimo-
v.7. tertio, *vidi de mari beſtiam aſcendentem*; ac rursùs capite decimo ſep-
C.13. v.1. C.17. v.8. timo, *beſtia aſcenſura eſt de abyſſo.*

Itaque *Angelus deſcendens de Cælo*, ac miſſus à Deo, qui fecit Cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt, aſſeritur habere *clavem abyſſi*, ut ſignificetur collatam ei eſſe à Domino poteſtatem aperiendi maris, & occludendi. Mare autem vulgò dicitur apertum alicui, cùm ei liber eſt aditus ad illud: occluſum verò cenſetur ei, dùm præpeditur, nè ad illud accedat, & in eo naviget. Quapropter Angelus habet clavem maris, quatenùs authoritate Dei, Creatoris omnium, ac Domini, poteſt liberam maris navigationem permittere, vel prohibere; ejuſque elementi dominium conferre, vel auferre. Undè ſtatim occludet mare Diabolo, nè in illud per Imperatores Ethnicos, ut anteà ſolebat, Imperium habeat; poſtea verò aperietur ei mare, quò iterùm in illud per Imperatores Infideles poteſtatem maximam adipiſcatur, & exerat.

Ex

Ex verſ. 1. *Et catenam magnam in manu ſuâ.*

Quemadmodùm præpoſitus carceris regii, non modò claves illius, ſed etiam catenas, quibus vinciat reos ſibi commendatos, habet: ita Cœleſtis ſpiritus præter clavem abyſſi, quâ occludat Dæmonem, præfert catenam ingentem, duriſſimam, & multis ſæculis duraturam, quâ inſignem illum reum, flagitioſiſſimum, validiſſimum, ac ferociſſimum ſtringat; atque non paucis, ſed mille annis cohibeat. Quamobrem ſubjungit Joannes.

Verſ. 2. *Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & ſatanas, & ligavit eum per annos mille.*

Verſ. 3. *Et miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignavit ſuper illum.*

Nempè Angelus tanquàm miniſter præpotens Dei, ſignificat Diabolo juſtam in ipſum à Domino prolatam ſententiam; ejuſque nomine, & authoritate, cui parere neceſſe eſt, præcipit, nè ampliùs Imperium maris, ac terræ teneat per Imperatores infideles ſibi addictos; ſed veluti Tyrannus, rejectus, cuſtodiæ mancipatus, & vinctus, perſtet abſque illâ Imperatoriâ poteſtate tanto tempore, quanto illam ſummus omnium Dominus tradet Chriſtianis.

Ex verſ. 3. *Vt non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni.*

Porrò, cùm diabolus Imperium teneret per Imperatores Ethnicos ſibi addictos, *ſeducebat gentes* calumniis, & perſecutionibus adversùs Chriſtianam Religionem, quaſi eſſet malefica, & omnimodis exterminanda.
Quamobrem dicitur Apocalypſis decimo tertio, quòd *dedit beſtiæ draco* Apoc. 13.
virtutem ſuam, & poteſtatem magnam: & datum eſt ei os loquens magna, v. 2. 5. 6. 7.
& blaſphemias, & aperuit os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in cœlo habitant; & eſt datum illi bellum facere cum Sanctis; & data eſt illi poteſtas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem: quæ quidem ſingula ſuis locis explicuimus. At quandiù Chriſtiani imperabunt, non erit locus hujuſmodi calumniis, & perſecutionibus ob Chriſti nomen: nec enim ullus Imperator Chriſtianus Religionem Chriſtianam dicet eſſe impiam, quòd Deos non veneretur; quòd in hominem crucifixum credat; quòd inepta, & noxia reipublicæ doceat; quòd magicis artibus mira edat ſigna; neque propterea illam laceſſet edictis ſuis, ut eam, ſi poſſit, labefactet: tales autem erant Ethnicorum Imperatorum adversùs ſanctiſſimam Chriſti Domini Religionem pravæ opiniones, ac falſiſſimæ calumniæ; eamque iccircò ſuis perſecutionibus contendebant evertere.

Ex ℣. 3. *Et poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore.*

Nimirùm poſt hos mille annos; nam vox Græca ſignificans annos, eſt neutrius generis; & in autographo ſic habetur, ἄχρι τελεσθῇ χίλια ἔτη. ϗ μετὰ ταῦτα; undè verſu ſeptimo dicitur, *Et cùm conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo, & exibit, & ſeducet gentes.*

Nnn 3 Quia

Quia verò hæſiſſet animus, utrùm Satanas ſolvendus eſſet ſtatim atque completi eſſent illi mille anni; vel brevi tempore, vel multo tempore, poſtquàm conſummatum eſſet ſpatium mille annorum: Sanctus Joannes Divinâ luce perfuſus dubium amovet, cùm ait juxta Græcum, *μικρὸν χρόνον*, modicum tempus, ſeu modico tempore: utrumque enim rectè dicitur. Quare ut ſenſus verborum relatorum, *poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore*, perſpicuus ſit, eorum conſtructio ſic facienda eſt, *modico tempore poſt hæc*, ſeu poſt impleros hos mille annos, *oportet illum ſolvi.*

Neque enim intelligendum puto quod Satanas ſolvendus ſit ad modicum tempus, quaſi tempore dumtaxat modico debeat manere ſolutus. Siquidem nemo, ut par eſt, verba ſancti Joannis attendens, *poſt hæc*, ſive poſt hos mille annos, *oportet illum ſolvi modico tempore*, diffitebitur, quin modicum illud tempus ſit multò brevius mille annis præcedentibus. Cùm verò explicaturus ſim perſpicuè, ni fallor, ſolvendum Satanam per Imperium Turcarum non credentium in Chriſtum, ejuſque Sanctiſſimæ Religioni quàm maximè adverſantium, ſequeretur Imperium Turcarum, multò minùs quàm mille annis duraturum: quod utinam ita eſſet! Attamen, hâc ſuper re non auſim quicquam determinare: præterita enim dumtaxat ex monimentis hiſtoriæ perſcrutatus ſum hactenùs in omnibus explanationibus Apocalypſis: futura autem prædicere, non meæ puſillitatis eſt, niſi ad id me moveat authoritas Sacræ Scripturæ, & fides Sacroſanctæ Eccleſiæ Catholicæ.

Eſt etiam alia ratio, propter quam non auſim quicquam de duratione
Apoc. 20. Imperii Turcici definite, nempe quòd ex verſu nono, quem interpreta-
v. 9. bor, Infideles illi dimicantes adverſùs Sanctos, ſint tandem devorandi
2. ad igne cœleſti, atque, ut veriſimile eſt juxta verba Sancti Pauli ad Theſ-
Theſſ. 2. ſalonicenſes, *illuſtratione adventus Domini Ieſu*; undè Sanctus Joannes
v. 8. verſu undecimo hujuſce capitis, poſt abſumptos igne cœleſti illos im-
Apoc. 20. pios, videt thronum Domini, & in conſpectu ejus ſtantes omnes mor-
à v. 11. ad tuos, à morte ſuſcitatos, judicandos.
finem.

Quapropter ſi certum eſſet, Imperium Turcicum duraturum multò minùs quàm mille annis, certum, aut probabile conſequenter videretur, ultimum, & generale omnium hominum judicium, futurum antequàm elabatur tempus multò minùs quàm mille annorum. Quod abſit ut quiſquam vel definiat, vel in animum ſuum inducat, memor ver-
Act. 1. v. 7. borum Chriſti ad Apoſtolos, *Non eſt veſtrum ſcire tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.*

Igitur, quò ea, quæ fuſiùs explicata ſunt, & illa, quæ ex iis inferenda ſunt, & exponenda juxta Hiſtoricos, paucis proponam; Diabolus, qui per Imperatores Romanos Ethnicos terrâ, marique dominabatur, & ſæviebat in Chriſtianos, clauditur, & ligatur in mari tanquam tyrannus, & mancipium, mille annis, quibus Imperium Romanum Orientis, ſeu Conſtantinopolitanum, in urbe, quæ ſita eſt ad mare, poſſident Chriſtiani.

At modico tempore, poſtquàm completi ſunt illi mille anni Imperatorum Conſtantinopolitanorum Chriſtianorum, ſolvitur Satanas è mari, & priſtinam dominationem ſuam magna parte conſequitur, tranſlato ad Turcas, Chriſtianæ Religionis hoſtes infenſiſſimos, Imperio Conſtantinopolitano.

Primùm quidem, quòd Byzantium, ubi poſteà condita eſt Conſtantinopolis, fuerit urbs, ſita ad mare, patet ex Dione Caſſio apud Xiphilinum ejus Abbreviatorem. *Cùm*, inquit, *Byzantiorum urbs ædificata ſit in edito loco, pertinet ad mare, quod veluti torrens fertur ex Ponto, & in extremam urbem labitur, flectiturque aliqua ex parte ad dexteram, ubi ſinum, & portum facit; magna verò ex parte in Propontidem prope ipſam urbem, ac celerius multò, defluit. Conſtantinus autem*, inquit Zoſimus, *cùm longè majorem urbem efficere vellet, eam ultra veterem murum decem, & quinque ſtadiis muro novo circumdedit, qui totum iſthmum à mari ad mare complecteretur.* Dionis Xiphilin. in Severo. Zoſim. l. 2.

Eam verò urbem maritimam Conſtantinus, ut videre eſt apud eumdem Zoſimum, non condidit, niſi profligato Licinio Imperatore Orientis Ethnico, poſtquàm univerſum Imperium in ejus poteſtatem redactum fuiſſet, anno Chriſti juxta Baronium trecenteſimo decimo octavo. Zoſim. l. 2. Baron. an. Chr. 318. N. 1.

Conditam autem Conſtantinopolim pio, & ſolemni ritu dedicavit Conſtantinus, ex Chronologiâ ejuſdem Cardinalis, anno Chriſti trecenteſimo trigeſimo; factaque eſt ſedes Imperii Chriſtiani. *Civitatem ipſius nomine nuncupatam*, uti teſtatur Euſebius, *præclariſſimis Eccleſiis in honorem Martyrum adornavit; tùm ipſam urbem Martyrum Deo Conſecravit.* Baron. an. Chr. 330. N. 11. Euſeb. vitæ Conſt. l. 3. c. 47.

Mirum ſanè quàm fortiter pius Imperator, authoritate, & virtute divinâ munitus, & corroboratus ſubegerit, ac ligaverit tunc temporis eâ in urbe Imperatoriâ ſatanam; cùm, referente Euſebio, *illam primùm omni idolorum cultu perpurgari debere cenſuerit, ut nuſquam in illâ, vel ſtatua eorum, qui Dii putantur, in templis honorata; vel altaria impurâ cruoris contagione inquinata; vel hoſtia ignis incendio penitus exuſta, abſumptæque; vel feſta dæmonum nomine celebrata; vel aliud quicquam eorum, quæ apud ſuperſtitioſos uſurpari ſoleant, omninò apparerent.* Euſeb. l. 3 vitæ Conſt. c. 47.

Nec tantùm Chriſtianus Imperator divinâ Chriſti authoritate, & virtute ita ſubegit, & ligavit Diabolum; ſed & ipſum quodammodò, ut Apocalypſis verba proſequar, *miſit in abyſſum*, ac demerſit in mare, ablatâ ei tyrannide, quâ priùs terrâ, marique dominabatur; & in Chriſtianos ſæviebat. *Propterea*, inquit Euſebius, *in tabulâ depictâ, quam in ſublimi ante palatii veſtibula ſuſpenderat, ſe omnium oculis contemplandum propoſuit; ſalutareque paſſionis inſigne locatum ſupra caput ipſius; Diabolum autem, hoſtilem illam belluam, quæ Eccleſiam Dei, impiorum tyrannide oppugnaſſet, draconis figurâ, medio ventre transfixi, & in profundos maris fluctus præcipitati.* Euſeb. l. 3 vitæ Conſtant. c. 3.

Jam verò, quòd Diabolus eo ſenſu, quem expoſui, *ligatus, ac miſſus*

in

in abyſſum, *& clauſus*, perſtiterit illo in ſtatu *mille annis*, juxta Apocalypſis verba propoſita, non dubium eſt, cùm Imperatores Chriſtiani mille annis integris Conſtantinopoli regnaverint. Etenim, ſive ab anno Chriſti trecenteſimo trigeſimo, quo Conſtantinopolis ab Imperatore Conſtantino ſolemniter dicata eſt Deo; ſive ab anno trecenteſimo ſexageſimo tertio, quo Iulianus Apoſtata Imperator Conſtantinopolitanus occiſus eſt; ſive ab anno trecenteſimo ſexageſimo ſexto, quo Procopius, ſanguine, & impietate Juliano conjunctus, & à nonnullâ Paganorum factione Conſtantinopoli promulgatus Imperator, interemptus eſt; uſque

Matthæ. Palmerius, Chron.

ad annum milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum tertium, quo capta eſt à Mahumete ſecundo Conſtantinopolis; & facta eſt ſedes Imperii Turcarum, ſunt pluſquàm mille anni completi. Unde Conſequenter patet alia veritas hiſtorica aliorum verborum propheticorum Apocalypſis, videlicet, quòd *modico tempore*, poſtquàm *conſummati fuerint mille anni* alligationis Satanæ, *ſolvetur è carcere ſuo*, nempe *abyſſo*, ſeu mari; ideoque Imperium maris, ac terræ denuò arrepturus ſit per illos Turcas infideles, Chriſtianæ Religioni maximè adverſantes.

Siquidem ab anno Chriſti trecenteſimo trigeſimo, quo dicata eſt Deo Conſtantinopolis, uſque ad annum milleſimum quadringenteſimum quinquageſimum tertium, quo capta eſt à Turcis, ſunt mille anni completi, & prætereà centum viginti tres anni.

Ab anno autem Chriſti trecenteſimo ſexageſimo tertio, quo Julianus Apoſtata occiſus eſt, ad captam à Turcis Conſtantinopolim, ſunt mille anni, & nonaginta.

Deniquc ab anno Chriſti trecenteſimo ſexageſimo ſexto, quo Procopius Juliani conſanguineus pœnas tyrannidis ſuæ luit, ad ejuſdem urbis Conſtantinopolitanæ expugnationem à Turcis, numerantur mille, & octoginta ſeptem anni.

At ſive centum viginti tres anni, ſive nonaginta anni, ſive octoginta ſeptem anni, ſunt *medicum tempus*, ſi comparentur ad mille annos, cùm primus numerus ſit paululùm pluſquàm decima pars millenarii; duo autem poſteriores numeri ſint millenarii parte decimâ minores. Quis verò non cenſeat unum, ſi ad denarium conferatur, eſſe valdè modicum?

Iſta confirmabuntur, cùm explanatione verſus noni oſtendero gentes Gog, & Magog, quas ſolutus Diabolus ſeducit, eſſe Scythas, ex quibus Turcæ orti ſunt.

Verſ. 4. *Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & judicium datum eſt illis.*

Animæ Sanctorum Martyrum in Cœlum receptæ, de quibus ſtatim, exhibentur tanquàm in tribunalibus conſidentes, utpote cum Chriſto, cum quo regnare paulò poſt dicuntur, judicaturæ Angelos apoſtatas, & mundum iniquum. *An neſcitis*, inquit Paulus, *quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Neſcitis quoniam Angelos judicabimus?* Itaque *judicium datum eſt illis*, hoc eſt, poteſtas à Chriſto eis collata judicandi Diabolum principem hujus mundi perverſum, ac Tyrannum; eumque condemnandi

1. ad Cor. 6. v. 2. 3.

demnandi ſervituti mille annorum, qualem anteà explicuimus.

Quin etiam Sancti Martyres mihi videntur in Cœlis authoritatem à Chriſto habere judicandi aliquo modo de rebus civilibus, criminalibus, politicis, & ſacris, quæ in terrâ verſantur: Tanta enim luce ſapientiæ divinæ præfulgent, ut norint perſpicuè juſtum ab iniquo, ſacrum à profano ſecernere: Tanto zelo gloriæ Dei exardeſcunt, ut ejus cultum in primis ambiant promovere. Eâ verò erga homines moventur charitate, ut ſalutem illorum quàm maximè cupiant. Hinc fideles ſuis in neceſſitatibus opem illorum quærunt: favorem ipſorum apud Deum petunt, ut ſua illis peccata condonentur: ſolatium in calamitatibus publicis efflagitant: cùm bella ingruunt, auxilium depoſcunt; ac denique rogant, ut illorum interceſſionibus à Chriſto gratiam conſequantur, quâ *abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & juſtè, & piè vivant in hoc ſæculo*; quemadmodùm iſta conſtant pluribus Sanctorum Patrum ſcriptis, Hiſtoriographorum Eccleſiaſticorum monimentis, & ipſo uſu Eccleſiæ, adversùs quam nemo debeat eſſe contentioſus. ad Tit. 2. v. 12.

Ex verſ. 4. *Et animas decollatorum.*

Quamvìs Sancti Martyres variis tormentis ſint interempti; tamen Sanctus Joannes eos ſpecialiter commemorat, qui capite truncati ſunt, ut innuat, quòd ſi ii, qui mitius, & nobilius mortis genus propter Chriſtum perpeſſi fuere, ad conſortium gloriæ Chriſti pervenerunt; multò magis illi, qui peracerbos dolores, & probroſam mortem, cruces, beſtias, ignes pertulerunt propter ipſum, ad ejus regni Cœleſtis ſocietatem ſint evecti. Etenim cùm is, *qui ſe humiliat, exaltabitur*; & qui Chriſto *compatitur, conglorificabitur*; oportet eò majorem gloriam Sanctis Martyribus à Chriſto conferri, quò magis propter ipſum fuerint humiliati, & torti. Luc. 14. v. 11. ad Rom. 8. v. 17.

Ex verſ. 4. *Propter teſtimonium Ieſu, & propter verbum Dei: & qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus ſuis.*

Martyres propterea mortem oppetierunt, quòd immoto mentis propoſito teſtarentur ſe credere in Jeſum Filium Dei; ejuſque Evangelium, quod eſt Verbum Dei, ſanctis ſuis dictis, ac factis celebrarent; ac palàm declararent ſe unum verum Deum colere, non autem inanes, ac falſos Deos, ſive dæmones, ſive homines nequiſſimos; nec vellent honores uni Deo debitos rependere ipſis Imperatoribus, quaſi Dii eſſent, aut eorum imaginibus; nec thus, aut vinum, aut hoſtias idolis offerre; vel recipere libellos iniqui conſenſus in tantam impietatem, ſicuti hæc fuſiùs multis in locis à nobis expoſita ſunt, præſertim explanatione quinquageſimâ ſecundâ capitis decimi tertii Apocalypſis, à verſu decimo quinto ad decimum ſeptimum.

Ex verſ. 4. *Et vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis.*

Animæ Sanctorum Martyrum, in Cœlum aſſumptæ, vitam quidem gloriâ, & honore cumulatam apud Deum, cum Chriſto ſemper ducent;

ejuſque regni cœleſtis participes numquam non erunt. Sed dicuntur hîc *cum Chriſto mille annis vivere, & regnare*, videlicet apud homines in terris, vitâ civili, & religionis plenâ, ex piâ fidelium, qui tunc temporis, & iis in locis erunt, exiſtimatione, & ex ſolemni veneratione, quæ ipſis exhibebitur toto illo mille annorum ſpatio, quo, uti anteà dictum eſt, Imperium Orientis Romanum, ſeu Conſtantinopolitanum, Chriſtiani adminiſtrabunt; tametſi Martyres priùs ſub Imperatoribus Ethnicis ingloriì fuiſſent apud gentiles; ab iiſque cenſerentur cum probro, & dedecore mortui.

Quòd Chriſtus regnaverit eo in Imperio Conſtantinopolitano, quandiù gubernatum fuit ab Imperatoribus Chriſtianis, non dubium eſt, cùm ipſius Chriſti cultui fuerint addicti; ejuſque famulos ſeſe profiterentur. Eâ quoque in ſententiâ confirmabitur quiſquis legerit illa, quæ protuli explanatione quadrageſimâ tertiâ verſus decimi quinti capitis undecimi Apocalypſis.

Quòd etiam Sancti Martyres tunc cum Chriſto regnaverint eo in Imperio Conſtantinopolitano Chriſtiano, patet ex lege Conſtantini magni, quam ejus ſucceſſores Catholici obſervandam curarunt, præcipientis ſolemnitatem diei Dominicæ in honorem glorioſæ Reſurrectionis Chriſti Domini,& feſtos dies celebrari in memoriam,& venerationem Sanctorum Martyrum. *Etiam*, inquit Euſebius in vitâ Conſtantini, *ad ipſos gentium Præfectos, Imperatoris nutu, & voluntate edictum perlatum eſt, ut illi perinde Dominicum diem venerarentur. Iidem conſecratos Martyribus dies honore proſequebantur; & feſtorum ſolemnitates in Eccleſiis celebrabant: quæ omnia ſecundùm Imperatoris voluntatem gerebantur.*

Euſeb. in vitâ Conſtant. l. 4. c. 23.

At poſtquàm redactum eſt Imperium Conſtantinopolitanum in poteſtatem Turcarum, eo in Imperio, quà Turcicum eſt, neque regnat Chriſtus, cujus fidem, & Evangelium reſpuunt Turcæ; neque regnant Martyres, quos ſicuti cæteros Chriſtianos deſpiciunt, & averſantur infideles illi: Sed apud illos impios regnat nefandus Mahummetes, cujus Alcoranum ſequuntur.

Verſ. 5. *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni.*

Sancti Martyres, quemadmodùm expoſuimus, vixerunt mille annis in Imperio Conſtantinopolitano Chriſtiano, vitâ civili, ac religionis plenâ, ex ſolemni veneratione, quæ ipſis exhibita eſt à fidelibus ei Imperio ſubditis. Verùm alii ex Chriſtianis mortui eo mille annorum curriculo non vixerunt illâ vitâ civili, & religioſâ, quali Sancti Martyres probati, & noti; quia non receperunt eos honores, quibus pietas fidelium ſolet Beatos Martyres proſequi.

Multò minùs alii ex Chriſtianis mortui, poſtquàm completi ſunt mille anni, & ſubactum eſt à Turcis Imperium Conſtantinopolitanum, conſecuti ſunt vitam illam civilem, & religioſam Sanctis Martyribus propriam; cùm nec ipſimet Martyres, qui anteà illo in Imperio, quà

Chriſtia

Digitized by Google

Chriſtianum erat, ſingulari honore afficiebantur, venerationem ex iſtâ tyrannide Turcicâ receperint. Quapropter hæc verba, *donec conſummentur mille anni*, indicant dumtaxat qualem vitam *cæteri mortuorum*, præter Sanctos Martyres, non ſint conſecuti annis illis, qui volvebantur, donec implerentur mille anni, ſeu toto illo mille annorum curriculo.

Ex verſ. 5. *Hæc eſt reſurrectio prima.*

Nimirùm Sanctorum Martyrum, qui eo modo, quo expoſitum eſt, *vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis.* Undè illud, *Cæteri mortuorum non vixerunt*, intelligendum eſt, non revixerunt, non reſurrexerunt, *οὐκ ἀνέζησαν*, juxta autographum. Ex quibus verbis inferendum eſt, Sanctos Martyres è contra privilegio ſanctitatis ſuæ, & gloriæ revixiſſe, ſeu reſurrexiſſe tempore illo mille annorum, non quidem reſurrectione corporali, quæ erit duntaxat in conſummatione ſæculi, dùm corpora illorum à morte ſuſcitabuntur, & ſuis animabus, æternâ cum ipſis felicitate perfruitura, conjungentur; ſed reſurrectione civili, & religioſâ ex honoribus publicis, quos præfato millenario conſecuti ſunt à fidelibus in Imperio Conſtantinopolitano Chriſtiano. Nec neceſſe eſt, ut in illius reſurrectionis explicatione diutiùs immorer, cùm illam ſatis, ſuperque probaverim, dùm explanarem verſum undecimum, & duodecimum capitis undecimi Apocalypſis. Explan. XLI. Apoc.

Verſ. 6. *Beatus, & Sanctus, qui habet partem in reſurrectione primâ.*

Primas quidem in reſurrectione illâ primâ, civili videlicet, ac religioſâ, partes habent Martyres, utpote præcipui Sancti, qui ardentiſſimâ charitate flagrantes mortem reipsâ pro Chriſto perpeſſi ſunt: Secundarias verò eâ in reſurrectione civili, & religioſâ partes habent Confeſſores, quorum vita virtutibus Chriſtianis probata fuit, quique parati eſſent pro Chriſti honore ſanguinem profundere, vel tempore, quo perſecutiones graſſabantur, ſi Dominus permiſiſſet; vel extra illud tempus, ſi aliqua eis inſueta occaſio ad tantum bonum perficiendum ſeſe obtuliſſet. Quare Severius Sulpitius de Sancto Martino, *Licèt ei ratio temporis non potuerit præſtare Martyrium, gloriâ tamen Martyris non carebit, quia voto, & virtutibus, & potuit eſſe Martyr, & voluit.* Sever. Sulpit. ep. 2 A rel. Diacono.

Ex verſ. 6. *In his ſecunda mors non habet poteſtatem.*

Prima mors, cui etiam Sancti ſubjacuerunt, eſt ex ſeparatione animæ à corpore: Sed eſt alia prima mors malorum, nimirùm mors in peccato, de quâ Chriſtus Judæis, *in peccato veſtro moriemini*: Secunda autem mors, eſt mors æterna damnatorum, quâ animæ peccatorum hujuſmodi iterùm ſuis corporibus in conſummatione ſæculi poſt reſurrectionem generalem conjunctæ, æternis ignibus, ac doloribus cruciabuntur. Quippe ait Joannes ſub finem hujus capitis, *Mors, & infernus miſſi ſunt in ſtagnum ignis*, cujus cruciatum anteà dixit futurum *in ſæcula ſæculorum*; ſubjungitque illicò, *hæc eſt mors ſecunda.* Quamobrem verè *Beatus, & Sanctus*, ſive Martyr, ſive Confeſſor, *qui habet partem*, ſive primam, ſive Joan. 8. v. 21. Apoc. 20. v. 14. V. 10.

ſecundam, *in reſurrectione primâ*, civili, & religioſâ, cùm verè particeps ſummæ ſanctitatis, & cœleſtis beatitudinis Chriſti, certus ſit ſe numquam, nec morte in peccato, quæ prima mors eſt in terris conſummata, nec æternâ corporis, & animæ pœnâ, quæ eſt ſecunda mors in inferis inflicta, periturum; ſed gratiâ Chriſti, & gloriâ in omnem æternitatem perfruiturum.

Ex verſ. 6. *Sed erunt ſacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.*

ad Heb. 8. v. 1. 3. C. 9. v. 24. C. 7. v. 25. C. 5. v. 9. Sicuti ex Paulo Chriſtus in Cœlis eſt Sacerdos in æternum, ſeipſum offerens Deo Patri; *apparens vultui Dei pro nobis*; *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*; & *omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ:* Ita Martyres, & Confeſſores, ſanctitatis, ac beatitudinis Chriſti participes in cœlis, *Sacerdotes ſunt Dei, & Chriſti*, utpote Dei, & Chriſti Filii Dei perenni cultui addicti, & conſecrati; ſeipſos jugiter offerentes Deo, & Chriſto, tanquam hoſtias viventes, ſanctas, placentes; Deum, & Chriſtum perpetuis laudibus celebrantes; eumque jugiter exorantes pro hominibus, præſertim fidelibus, quorum ſalus in terris periclitatur.

ad Heb. 7. v. 1. 2. 3. Quemadmodùm verò ex præfato Apoſtolo Chriſtus, *Sacerdos* ſecundùm ordinem Melchiſedech, ita eſt Sacerdos, ut etiam ſit Rex; ſic Martyres, & Confeſſores in Cœlum evecti, non modò ſunt *Sacerdotes Dei, & Chriſti*, ſed etiam Reges, regnaturi cum Chriſto ſemper in Cœlis, & *mille annis* in terris, juxta ſenſus à nobis jam expoſitos.

Verſ. 7. *Et cùm conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo.*

Quandoquidem ex verſu ſecundo, & tertio Satanas ligatus ab Angelo, miſſus fuerit in abyſſum, quam ex ipſo Joanne oſtendimus eſſe mare; ibique fuerit clauſus, non dubium eſt, quin *carcer* ille, de quo conſummatis mille annis, *ſolvitur ſatanas*, ſit mare. Et ſanè adnotandum eſt, vires Imperii Conſtantinopolitani Chriſtiani maritimas primùm debilitatas fuiſſe; ac tandem Imperium illud obſeſsâ Conſtantinopoli terrâ, marique, & captâ, redactum fuiſſe in poteſtatem Turcarum infidelium, per quos Satanas ſolutus cenſetur, cùm per illos terrâ, marique dominetur.

Fidem horum, quæ dico, aſtruunt ſuis hiſtoriis Gregoras, & Chalcondilas.

Nicephorus Gregoras l. 6. tit. cauſa malorum in mari. Gregoras enim ſub Andronico Palæologo ait, *cùm pericula omnia, propter quæ Romana*, hoc eſt, juxta ſtylum illius, Conſtantinopolitana, ab urbe, quam novam Romam nuncupabant, *claſſis tantopere aucta fuiſſet, propulſata eſſent, ſuggeſſere quidam Imperatori inanem eſſe navium ſumptum, qui fiſcum Imperatorium, pluſquàm cætera omnia, exhauriret. Hoc Romanis*, nempe Conſtantinopolitanis, *malorum principium extitit, & immobile fundamentum: Neque enim vel Turcis arenam maris intueri licuiſſet umquam, ſi Romana claſſis, ut olim, mare tenuiſſet.*

Gregoras l. 6. tit. de Alanis.

Ac

Ac paulò poſt inquit, *Turcorum Satrapæ conjunctis viribus incurſarunt omnia uſque ad mare quodlibet; & ad ipſas Ægas commigrarunt.* Gregoras initio l. 7.

Præthereà, *Turci, animadverſo afflicto, & turpi Romani Imperii ſtatu, ædificare claſſes, & ingredi mare cœperunt; idque impunè, & magno numero; & adeuntes, ac abeuntes naves onerarias intercipere; atque etiam Thraciam, & Macedoniam incurſare; inſulas item, tàm magnas, quàm parvas; & magnas clades majoribus cumulare non deſtiterunt.* Gregoras l. 8. tit. de præſtigiatoribus.

Deinde ex eodem, *pleraque urbes provinciæ Bithyniæ ſunt à Turcis ſubacta. Eſt & Pruſa fame domita.* Gregoras l. 8. tit. penultimo.

Poſtmodùm, *Nicæam magnam illam, & celebrem urbem diuturnâ fame, & obſidione oppreſſam barbari cœperunt. Iam verò impunè in maritima Bithyniæ ora ſedibus delectis, gravia tributa reliquis oppidulis impoſuerunt: nec tamen crebris incurſionibus vexare, & mari, terrâque noſtros capere deſtiterunt.* Hæc Gregoras. Gregoras l. 9. tit. de Nicæâ capta.

Denique videre eſt fusè apud Chalcondilam, quibus artibus, & viribus terrâ, marique oppugnata ſit, & capta Conſtantinopolis à Mechmete, Amuratis filio, Turcarum Imperatore. Chalcondilas l. 8.

Ex verſ. 7. *Et exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog.*

Sacra Geneſis refert Magog fuiſſe filium Japhet: Quorum verò populorum Magog fuerit parens, Joſephus declarat, cùm ait, *Magoges Magogarum à ſe denominatorum fuit author, qui vocantur Scythæ.* Idem ſentit Hieronymus de traditionibus Hebraicis in Geneſim: *Magog*, inquit, *ſunt Scythæ.* Gen. 10. v. 2. Joſeph. Antiq. Iud. l. 1. c. 7. Hier. de Trad. Hebr. in Gen.

Scythia autem, ex Juſtino Trogi Pompeii Abbreviatore, *in Orientem porrecta includitur, ab uno latere, Ponto; & ab altero montibus Riphæis; à tergo Aſiâ, & Phaſi flumine. Multùm in longitudinem, & latitudinem patet. Hominibus inter ſe nulli fines: neque enim agrum exercent; nec domus illis ulla, tectum, aut ſedes eſt, armenta, & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines errare ſolitis. Uxores, liberoſque ſecum in plauſtris vehunt, quibus, coriis, imbrium, hiemiſque causâ, tectis, pro domibus utuntur.* Iſta Juſtinus. Juſtin. l. 2. c. 2.

Quâ de causâ videntur dicti Gog, & Magog. Nam Hieronymus interpretatur *Gog, δῶμα, id eſt tectum; Magog, de domate, hoc eſt de tecto, ſive quod eſt tectum.* Hieron. de nomin. Hebr. de Apoc. Joan. Ap.

Quaſi tanto robore polleant, ut ipſi ſibi ipſis ſint quodammodò tectum, & domus; quippe qui non indigeant fixis tectis, vel domiciliis, aut ſaltem illa contemnant; nec apud eos alia videantur quàm plauſtra, & vehicula, coriis, uti antè dictum eſt ex Juſtino, tecta.

At Chalcondilas rerum Turcicarum Hiſtoriographus percelebris, cenſet Turcos à Scythis exortos eſſe. *Quidam*, inquit, *putant Turcos à Scythis, quos Tartaros nominant, originem trahere, non malam ſecuti conjecturam; videlicet, quòd moribus haud multùm inter ſe differant; linguâque utantur etiamnum nec multùm diſſimili. Aiunt enim Scythas ſeptemis vicibus à* Chalcondil. de rebus Turcicis l. 1.

Digitized by Google

Tanai progreſſos, Aſiam ſuperiorem devaſtaſſe, Parthis eâ tempeſtate rerum ſummâ potientibus, necnon Perſarum, Medorum, Aſſyriorumque regiones tenentibus. Hinc peragratâ quoque inferiore Aſiâ, Phrygiam, Lydiam, & Cappadociam ſuo Imperio adjeciſſe. Etiam nunc videre eſt, ut fertur, plurimos iſtius generis homines ubique per Aſiam diſperſos, moribus, & victus ratione referentes Scythas Nomades, quos paſtores, ſive armentarios non abſurdè dicas, nullibi in Aſiâ certas, & fixas habentes ſedes. Illi & aliâ conjecturâ ducuntur, quâ confirmare nituntur Turcos Scytharum eſſe progeniem, quòd inferioris Aſiæ regionem gentes Turcorum Barbaræ incolant, Lydiam, Cariam, Phrygiam, & Cappadociam, qui linguâ, & reliquo quotidiano vitæ uſu nihil diſcriminis habere cognoſcuntur à Scythis agentibus eâ in regione, quæ inter Tanaim, & Sarmatiam excurrit.

Sunt qui exiſtimant Turcos à Parthorum progenie deſcendere.

Alii ex Turcâ Perſarum urbe magnâ, & opulentâ hoc hominum genus progreſſum eſſe tradunt.

Sunt quibus magis placet Turcos ex Cœleſyria, & Arabiâ delatos eſſe.

Mihi tamen probabilius videtur aſſenſum præſtare illis, qui Turcorum originem in Scythas referunt: cùm manifeſtum ſit Scythas, qui adhuc hodie in Europâ Orientem versùs ætatem agunt, optimè convenire cum Turcis in foro, emporiis, & commerciis. Victus, & reliquus vitæ uſus etiamnùm utriſque par eſt, quia Scythæ univerſa imperitaverunt Aſiæ. Idem etiam inſinuat nomen Turcarum: ſignificat enim hominem, qui agreſtiorem victus rationem ſequitur inſtar Nomadum; & maximam vitæ partem in eo conſumit. Hæc Chalcondilas.

Porrò *gentes* illas, *Gog*, & *Magog*, Scytharum videlicet, ac Turcorum, *quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ*, utpotè ad Orientem, ad Occidentem, ad Septentrionem, & ad Meridiem, longiſſimè, & latiſſimè diffuſas, *diabolus ſeducit*, ac *ſeducet* impietate Alcorani, & odio implacabili adversùs Chriſtianam Religionem.

Ex verſ. 7. *Et congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris.*

Hinc Satanas innumerabiles illarum gentium copias, & exercitus coget contra Chriſtianos, ut illos Imperio Turcico, quantùm poterit, ſubigat; ac, ſi poſſet, ipſos deleret.

Verſ. 8. *Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ.*

Is eſt progreſſus Turcarum, à Chriſtianis lugendus.

Ex verſ. 8. *Et circuierunt caſtra Sanctorum, & Civitatem dilectam.*

Nec Chriſtiani abſque lacrymis videant, quomodò Turcæ circuiunt, & invadunt quotidianis excurſionibus, obſidionibus, prælíis, ac victoriis regiones Sanctorum populorum, in Chriſtum, ut par eſt, credentium; & Eccleſiam in terris pro pietate Chriſtianâ militantem, ac Civitatem Deo dilectam conficientium. Quippe ait Paulus Epheſiis, *Eſtis Cives Sanctorum, & domeſtici Dei*; eoſque ad militiam ſacram hortatur, cùm ait, *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli.*

Ad Eph. 2. v. 19.
C. 6. v. 11.

Verſ. 9.

Verſ. 9. *Et deſcendit ignis à Deo de Cœlo, & devoravit eos.*

Quandonam verò Turcæ contra Chriſtianos dimicantes, abſumentur igne cœleſti? Quamvìs hàc ſuper re nihil nec velim, nec queam certò definire: tamen veriſimile mihi videtur, dum ſaltem cœperit magna
pars Judæorum converti ad Chriſtum Dominum, accedente conſumma- Ezech. 38.
tione ſæculi. Etenim ait Ezechieli Dominus: *Fili hominis, pone faciem* v.1.16.18.
tuam contra Gog, terram Magog. In noviſſimis diebus eris; & adduceam 19.22.
te ſuper terram meam, ut ſciant gentes me, cùm ſanctificatus fuero in te in oculis eorum, ò Gog. Et erit in die illâ, in die adventus Gog ſuper terram Iſraël, aſcendet indignatio mea in furore meo; & in zelo meo, in igne ira mea locutus ſum. Et judicabo eum peſte, & ſanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immenſis: ignem, & ſulphur pluam ſuper eum, &
ſuper exercitum ejus, & ſuper populos multos, qui ſunt cum eo. Nunc re- Ezech. 39.
ducam captivitatem Iacob; & miſerebor omnis domus Iſraël; & aſſumam v.25.28.
zelum pro nomine ſancto meo. Et ſcient quia ego Dominus Deus eorum, 29.
eo quòd tranſtulerim eos in nationes, & congregaverim eos ſuper terram ſuam, & non dereliquerim quemquam ex eis ibi; & non abſcondam ultrà faciem meam ab eis, eo quòd effuderim ſpiritum meum ſuper omnem domum Iſraël, ait Dominus Deus.

Ex ℣. 9. *Et Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi & beſtia,*

Verſ. 10. *Et pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.*

Exercitus Turcarum innumerabiles extremis temporibus contra Chriſtianos dimicantes, non tantùm igne cœleſti adurentur, ut mortem temporalem ſubeant; verùm etiam in inferis igne æterno cruciabuntur cum Diabolo, qui ſeducebat eos impiis erroribus; cum Duce illorum, & Imperatore, qui tanquàm immanis bellua ſæviebat adversùs Chriſtianæ Religionis ſectatores; & cum pſeudoprophetà Mahumete.

EXPLANATIO LXVIII.

De omnium hominum reſurrectione corporali, & extremo Iudicio, à verſu undecimo ad finem Capitis vigeſimi Apocalypſis.

VERS. 11. Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, à cujus conſpectu fugit terra, & cœlum: & locus non eſt inventus in eis.

℣. 12. Et vidi mortuos, magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu

Digitized by Google

conſpectu throni ; & libri aperti ſunt : & alius liber apertus eſt , qui eſt vitæ ; & judicati ſunt mortui ex his , quæ erant ſcripta in libris , ſecundùm opera ipſorum.

℣. 13. Et dedit mare mortuos , qui in eo erant ; & mors , & infernus dederunt mortuos ſuos , qui in ipſis erant ; & judicatum eſt de ſingulis ſecundùm opera ipſorum.

℣. 14. Et infernus , & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda.

℣. 15. Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus , miſſus eſt in ſtagnum ignis.

Verſ. 11. *Et vidi thronum magnum , candidum , & ſedentem ſuper eum.*

3. Reg. 10. v. 18. 20. 23. SACRA Scriptura teſtatur, Salomonem ſibi effeciſſe thronum, cui non erat par in univerſis Regnis : nec mirum , cùm ipſe, qui in eo ſederet , ſuperaret cæteros Reges ſapientiâ , quæ eſt præcipuum Regiæ Majeſtatis inſigne. At tantò præſtantior eſt thronus Chriſti , quantò Chriſtus antecellit Salomoni , ac de majo-
ad Col. 2. v. 3. ribus judicaturus eſt : in eo enim *ſunt omnes theſari ſapientiæ, & ſcientiæ :*
Apoc. 19. v. 16. Quin etiam eſt *Rex regum* , *& Dominus dominantium* ; nec unam gentem dumtaxat , ſed omnes ab orbe condito ad finem ſæculorum homines futuros judicabit ; æternaque , tùm bonis præmia , tùm malis ſupplicia decernet : Quo quid majus cogitari poteſt ? Non abs re igitur Thronus Cœleſtis Chriſti videtur à Joanne *Magnus.*

Apparet quoque *candidus :* Quippe Sapientia Divina , quæ elucet in
Sap. 7. v. 26. Chriſto , *candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei Majeſtatis, & imago bonitatis illius.* Ille etiam candor throni ejus ſymbolum eſt veritatis , ac juſtitiæ , quâ jus unicuique ſuum reddet, ſicuti anteà viſus eſt
Apoc. 19. v. 11. equo albo inſidere , quòd *verax* eſſet , & *cum juſtitiâ judicaret , &*
Luc. 21. v. 27. *pugnaret.* Denique , cùm Chriſtus *venturus ſit in nube cum poteſtate magnâ , & Majeſtate* , haud dubiè nubes illa , qualis quondam fuit
Matth. 17. v. 5. in Transfigurationis myſterio , erit *lucida* , & candida , cui tanquam Throno Cœleſti Chriſtus , ſummus omnium Judex , aſſidebit.

Ex ℣. 11. *A cujus conſpectu fugit terra , & cœlum , & locus non eſt inventus in eis.*

2. Petr 3. v. 10. 13. *Adveniet* , inquit Princeps Apoſtolorum , *dies Domini* , *in quo Cœli magno impetu tranſient : elementa verò calore ſolventur. Terra autem , & quæ in ipsâ ſunt , opera exurentur. Novos verò cœlos , & novam terram ſecundùm promiſſa ipſius expectamus , in quibus juſtitia habitat.* Quapropter

Digitized by Google

propter Sanctus Auguſtinus, *peracto judicio tunc eſſe deſinet hoc cœlum, & hæc terra, quando incipiet eſſe cœlum novum, & terra nova. Mutatione namque rerum, non omnimodo interitu, tranſibit hic mundus: unde & Apoſtolus ait, præterit figura hujus mundi. Figura ergo præterit, non natura.* S. Aug. de Civ. Dei, l. 20. c. 14. 16.

Idem poſteà, *Tunc figura hujus mundi mundanorum ignium conflagratione præteribit, ſicut factum eſt mundanarum aquarum inundatione diluvii. Illâ itaque conflagratione mundanâ elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus noſtris corruptibilibus congruebant, ardendo penitùs interibunt; atque ipſa ſubſtantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant; ut ſcilicet mundus, in melius innovatus, aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius innovatis.* Hæc Auguſtinus.

Verſ. 12. *Et vidi mortuos, magnos, & puſillos, ſtantes in conſpectu throni.*

Viſione propheticâ, & adumbratâ, non reali, ſeu corporali, conſpicit Joannes *mortuos*, omnes ſcilicet à morte nondum quidem ſuſcitatos, ſed ſuſcitandos: nemo enim erit, qui non moriatur, antequàm reſurgat. Quamobrem, inquit Sanctus Auguſtinus, *cùm nec reſurrectio fieri poſſit, niſi mors præceſſerit, Sancti, qui reperientur Chriſto veniente viventes, eique obviam rapientur, nec per immortalitatem vivificabuntur, niſi quamlibet, paulùm tamen antè moriantur; ac per hoc, & à reſurrectione non erunt alieni, quam dormitio præcedit, quamvìs breviſſima, non tamen nulla. Reſurrectionem quippe mortuorum futuram eſſe in carne, quando Chriſtus venturus eſt vivos judicaturus, & mortuos, oportet, ſi Chriſtiani eſſe volumus, ut credamus.* Iſta Auguſtinus. S. Aug. de Civit. Dei, l. 20. c. 20.

Ex verſ. 12. *Magnos, & puſillos.*

His vocabulis omnes homines, cujuſvis conditionis, ætatis, molis, & ſexus fuerint, ſignificantur reſurrecturi, ut judicentur.

Conditionis quidem, cùm Sapiens Reges, Judices, potentes prænuntians à Domino judicandos, afferat, *non ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus; nec verebitur magnitudinem cujuſquam; quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit; & æqualiter cura eſt illi de omnibus.* Sap. 6. v. 2. 7. 8.

Ætatis verò, & molis, quâ alii magni, alii puſilli ſolent dici. De utrorumque autem reſurrectione non alia proferam, quàm quæ Sanctus Auguſtinus.

Quid, inquit, *de infantibus dicturi ſumus, niſi quia non in eâ reſurrecturi ſunt corporis exiguitate, quâ mortui? Sed quod eis tardiùs acceſſurum erat tempore, hoc ſunt illo Dei opere miro, atque celerrimo recepturi. In ſententiâ quippe Domini, ubi ait, Capillus capitis veſtri non peribit, dictum eſt, non defuturum, quod fuit; non autem negatum eſt affuturum eſſe, quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas ſui corporis: perfecto quippe infanti deeſt utique perfectio magnitudinis corporalis, quæ cùm acceſſerit, jam ſtaturâ longior eſſe non poſſit.* S. Aug. de Civit. Dei, l. 22. c. 14. 16.

Hervæus in Apocalypſim.

Reſurgent itaque omnes, tam magni corpore, quàm vel erant, vel futuri erant in juvenili ætate; quamvìs nihil oberit, etiamſi erit infantilis, vel ſenilis corporis forma, ubi nec mentis, nec ipſius corporis ulla remanebit infirmitas. Vndè etiam ſi quis in eo corporis modo, in quo defunctus eſt, reſurrecturum unumquemque contendit, non eſt cum illo laborioſâ contradictione pugnandum. Hæc ex Auguſtino.

Quia autem Joannes *mortuos, magnos, & puſillos*, maſculino genere diſtinctè retulit, non expreſſo genere fœminino, quidam fortaſſis fœ-
S. Aug. de Civit. Dei, l.22. c.17. minas putarent non reſurrecturas ſui ſexus diſtinctione; ſicut *nonnulli*, inquit Sanctus Auguſtinus, *propter hoc, quod dictum eſt, donec occurramus omnes in unitatem fidei in virum perfectum, nec in ſexu fœmineo reſurrecturas fœminas credunt, ſed in virili omnes aiunt, quoniam Deus ſolum virum fecit ex limo; fœminam ex viro. Sed*, ſubjungit Auguſtinus, *mihi melius ſapere videntur, qui utrumque ſexum reſurrecturum eſſe non dubitant. Non enim libido ibi erit, quæ confuſionis eſt cauſa. Nam priùs quàm peccaſſent, nudi erant; & non confundebantur vir, & fœmina. Corporibus ergo illis vitia detrahentur; natura ſervabitur. Non eſt autem vitium ſexus fœmineus, ſed natura, quæ tunc quidem & à concubitu, & à partu immunis erit: erunt tamen membra fœminea, non accommodata uſui veteri, ſed decori novo, quo non alliciatur aſpicientis concupiſcentia, quæ nulla erit; ſed Dei laudetur ſapientia, atque clementia, qui & quod non erat, fecit; & liberavit à corruptione, quod fecit. Qui ergo utrumque ſexum inſtituit, utrumque reſtituet; ac nuptias Dominus futuras negavit eſſe in reſurrectione, non fœminas, dicendo: Non nubent, quod ad fœminas pertinet; neque uxores ducent, quod ad viros. Erunt ergo, quæ vel nubere hic ſolent, vel ducere uxores: ſed ibi hoc non facient.* Verba ſunt Auguſtini.

Ex verſ. 12. *Stantes in conſpectu throni.*

2. ad Cor. 5. v.10. *Omnes enim*, inquit Paulus, *nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.*

Ex verſ. 12. *Et libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ; & judicati ſunt mortui ex his, quæ erant ſcripta in libris ſecundùm opera ipſorum.*

Hieronymus in hæc verba Danielis, *judicium ſedit, & libri aperti*
S.Hier. in c.7. Danielis. *ſunt*, inquit: *Conſcientia, & opera ſingulorum in utramque partem, vel bona, vel mala omnibus revelantur*; atque ex Auguſtino, in eum Apo-
S. Aug. de Civit. Dei, l.20. c.14. calypſis locum, quem interpretor, *quædam vis eſt intelligenda Divina, quâ fiet, ut cuique opera ſua, vel bona, vel mala cuncta in memoriam revocentur; & mentis intuitu mirâ celeritate cernantur; ut accuſet, vel excuſet ſcientia conſcientiam; atque ita ſimul & omnes, & ſinguli judicentur. Quæ nimirùm vis Divina, libri nomen accepit. In eâ quippe quodammodò legitur, quidquid à faciente recolitur.*

His Sanctorum Patrum dictis addo: Quemadmodùm in judiciis, in quibus agitur de vitâ, vel de morte reorum, judex, ut juſtam ſententiam ferat, aperit, ac legit libros, ſeu chartas habentes conſcripta eorum,

rum, qui judicandi ſunt, facta ritè delata, teſtata, & probata; ac inſuper aperit, & attendit librum legum, quas oportet reum obſervaſſe, ut abſolvatur, & vita ei ſalva ſit, ſecùs ſi leges illas violaverit, condemnabitur, & pœnam mortis ſubibit: ita Chriſtus, ſummus omnium, & æquiſſimus judex, laturus ſententiam, tùm æternæ vitæ erga bonos, tùm æternæ mortis adversùs malos, evolvit conſcientias ſingulorum; in iiſque, tanquàm in libris apertis, ſummâ ſapientiæ ſuæ luce, cui cuncta manifeſta ſunt, inſpicit quid quiſque geſſerit; & prætereà veluti librum vitæ, legem Divinam, ſive naturalem, ſive poſitivam ex Decalogo, vel Evangelio deprompτam, cujus obſervatio vitam æternam, prævaricatio autem mortem ſempiternam meretur, conſiderat. Sic Chriſtus petenti, *quid boni faciam, ut habeam vitam æternam*, *dixit: Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matt. 19. v. 16. 17.

Ex verſ. 12. *Et judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris, ſecundùm opera ipſorum.*

Siquidem Chriſtus omnes homines à morte ſuſcitatos judicaturus eſt juxta leges Divinas, & juxta opera ſingulorum: juxta leges Divinas, quæ ſunt liber vitæ, cùm illas obſervantibus vitam polliceantur; juxta opera autem ſingulorum, quæ in conſcientiis ſingulorum, tanquam in totidem libris ſingularibus, ac diſtinctis recondita manent; quæque Chriſtus evolvet, ac propalabit.

Verſ. 13. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant.*

Cùm non ſit ratio alia, propter quam ii, qui in terra deceſſerunt, reviviſcant; & alia, ob quam ii, qui in mari mortui ſunt, reſurgant: quandoquidem omnes homines revocandi ſint à morte, & ſiſtendi judicio Divino, ut mercedem operum ſuorum recipiant; dùm ait Joannes *mare dediſſe mortuos, qui in eo erant*, hoc eſt, corpora mortuorum in mari ſuſcitata fuiſſe; ſcientibus legem inferendum reliquit, corpora quoque mortuorum in terrâ reſurrexiſſe.

Cur verò dixerit potiùs in mari, quàm in terrâ, mortuos fuiſſe ſuſcitatos: arbitror ut ſeſe magìs accommodaret captui vulgi; ejuſque fidem faciliùs alliceret: plerique enim legentes in ſcripturis, tùm antiqui, tùm novi Teſtamenti, multos in terrâ mortuos, ad vitam à Prophetis, à Chriſto, & ab Apoſtolis revocatos; ſatis libenter crederent omnes in terrâ defunctos tandem reſurrecturos, cùm ex præteritis fas ſit de futuris judicare. Contrà verò, cùm nulli in mari mortui legantur in ſcripturis Divinis, nec ab homine Deo, nec ab hominibus Dei fuiſſe à morte revocati; animus multorum, quærentium exempla præteritorum, ut fides futurorum aſtruatur, poſſet titubare, nùm etiam ii, qui in mari mortui ſunt, & à piſcibus vorati, reſurrecturi eſſent: ſed poſteaquàm fidiſſimus Chriſti Domini Diſcipulus aſſeruit, *mare dediſſe mortuos, qui in eo erant*; nullus ſupereſt dubitandi locus de reſurrectione futurâ omnium mortuorum, tam illorum, qui in mari, quàm eorum, qui in terrâ deceſſerunt.

Digitized by Google

Ex verſ. 13. *Et mors, & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant.*

Verbis, quæ mox explanavimus, Joannes teſtatus eſt *mare*, ac conſequenter terram *dediſſe mortuos* ſuos, hoc eſt, corpora hominum, qui in iis mortui erant, ut reſurgerent: nunc declarat, quod *mors, & infernus dederunt mortuos ſuos*, id eſt, locus dictus propriè infernus, continens animas, quæ deceſſerunt in peccato mortali, & æterna ſupplicia patientur cum dæmonibus, reddidit, non quidem corpora talium mortuorum morte peccati, cùm ante reſurrectionem generalem, & corpoream omnium hominum, infernus damnatorum nullius hominis corpus habeat, quod det ad reſurgendum; ſed illas ipſas animas in inferno anteà detentas *de it*, ut corporibus ſuis, ſive in terrâ, ſive in mari enecatis iterùm conjungantur; ac deinde cum quibus peccaverunt, cum iiſdem
V. 14. puniantur: undè proximo verſu dicetur, *& infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis.* Nempe animæ damnatorum, quæ tametſi ſeparatæ à corporibus ſuis, erant in peccato mortali, & cruciabantur in inferno, poſtquàm breviſſimo tempore egreſſæ ſunt ex inferno, ut corporibus ſuis ſive in terrâ, ſive in mari jacentibus, & indè ſuſcitatis, iterùm conjungerentur, poſtquàm reipſa illis rursùs fuere unitæ, protruſæ ſunt cum illis in infernum, ut ibi conjunctim æterno crucientur igne.

Quòd ſi infernus dedit animas damnatorum, ut corporibus ſuis conjungerentur, & cùm iis cruciarentur: quantò magis Cœlum dedit animas ſanctas, ut corpora ſua, vel in terrâ, vel in mari jacentia, rursùs aſſumerent; ac illa ſecum in Cœlum eveherent, quò conjunctim in præmium bonorum operum à ſe editorum æternâ felicitate perfruantur?

Ex verſ. 13. *Et judicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum.*

Statim atque omnium hominum, tàm bonorum, quàm malorum, animæ ſuis corporibus mirâ Dei poteſtate fuerint iterùm conjunctæ, Chriſtus juſtiſſimam, quæ ſingulorum operibus quàm maximè con-
Matth. 25. gruat, ſententiam pronuntiabit. Juſtis *dicet, Venite, benedicti Patris mei,*
v. 34. 41. *poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi:* iniquis autem, *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis ejus.*

Verſ. 14. *Et infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc eſt mors ſecunda.*

Nimirùm animæ damnatorum corporibus ſuis ſuſcitatis conjunctæ, juſtâ Chriſti Domini ſententiâ diſceſſerunt *in ignem* æternum, paſſuræ
Matt. 25. cum corporibus ſuis *ſupplicium æternum: hæcque eſt mors* illorum ini-
v. 46. quorum *ſecunda:* Quippe prima ipſorum mors fuit ſeceſſus animarum à corporibus ſuis, cùm eſſent in peccato mortali; undè protinùs amandatæ ſunt in ignem inferni peccatrices illæ animæ, ibi uſque ad conſummationem ſæculi ſolæ torquendæ: ſecunda autem mors illarum animarum peccatricum, & damnatarum, eſt illarum cum corporibus ſuis poſt reſurrectionem

Digitized by Google

reſurrectionem diſceſſus in eumdem ignem inferni, ut æterna conjunctim ſupplicia patiantur.

Verſ. 15. *Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.*

Quiſquis diſcuſſis ejus operibus non fuerit inventus obſervaſſe leges divinas ſibi propoſitas, ut ſecundùm Deum in terris, & in cœlis viveret, ignibus æternis in inferno cruciabitur.

Nemo itaque ſub lege naturali degens, excuſationem peccatorum ſuorum obtendat in judicio Divino; nec is, qui legem à Deo accepit per Moyſem, præſumat quicquam ex voluntatis divinæ ſcientiâ, quæ ipſi tradita eſt, ſi illam contempſerit; *Quicumque enim ſine lege* Moſaicâ *peccaverunt, ſine lege* hujuſmodi *peribunt*, ſolius legis naturalis prævaricatores: *Et quicumque in lege* veteris teſtamenti *peccaverunt, per legem* eamdem *judicabuntur*, ac debitis pœnis afficientur. (ad Rom. 2. v. 12.)

Nullus gloriam ſibi vendicet ex obſervatione legis Moſaïcæ, ſi fidem noluerit adhibere Chriſto Filio Dei, quem promiſit illa lex Salvatorem: Nam, *qui incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* (Joan. 3. v. 36.)

Nullus ſibi blandiatur ex fide in Chriſtum, niſi per *charitatem operatus* fuerit opera juſta, & ſancta; quia is, *qui non diligit, manet in morte*; & *fides ſine operibus mortua eſt.* (ad Galat. 5. v. 6. 1. Ioan. 3. v. 14. Jac. 2. v. 20.)

Nullus glorietur, quòd aliqua mandata Chriſti obſervaverit; niſi omnia ſervaverit, reus eſt. (Jac. 2. v. 10.)

Denique, nullus vitam multis annis juſtè, ac ſanctè in omnibus mandatis divinis peractam jactitet, vel etiam aliquantiſper effutiat, cùm aſtabit Chriſto ſummo Judici, niſi ſanctitatem illam retinuerit è vivis diſcedens: *Qui* enim *perſeveraverit uſque in finem* in charitate Dei, & *gratiâ*, quæ eſt origo vitæ æternæ, ſive, ut ait Apoſtolus, *vita æterna, hic ſalvus erit.* Hæc perſeverantia finalis in gratiâ, & ſanctitate, eſt verè *liber vitæ*, in quo, qui non inventus fuerit ſcriptus, *mittetur in ſtagnum ignis* perenne, numquam non cruciandus. (Matth. 10. v. 22. ad Rom. 6. v. 23.)

EXPLANATIO LXIX.

Capitis vigeſimi primi Apocalypſis, de Eccleſiâ Triumphante, ex omnibus, & ſolis Sanctis poſt reſurrectionem in Cœlo collectâ; Deo intimè conjunctâ; ſummè beatâ; in nomine Trinitatis, quam coluit; ex Angelorum tu-

Digitized by Google

telâ, quam habuit; ex Apoſtolorum fide, & virtutibus, quas ſervavit; illùc proveƈtâ; totâ in Dei, & Chriſti Salvatoris cultum, & amorem impensâ; refulgente lumine gloriæ; & perpetuâ pace gaudente.

VERS. 1. Vidi cœlum novum, & terram novam. Primum enim cœlum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt.

℣. 2. Et ego Joannes vidi Sanƈtam civitatem Jeruſalem novam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.

℣. 3. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.

℣. 4. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors ultrà non erit, neque luƈtus, neque clamor, neque dolor erit ultrà, quia prima abierunt.

℣. 5. Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt, & vera.

℣. 6. Et dixit mihi: Faƈtum eſt. Ego ſum α, & ω: initium, & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.

℣. 7. Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.

℣. 8. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure: quod eſt mors ſecunda.

℣. 9. Et venit unus de ſeptem Angelis habentibus phialas plenas ſeptem plagis noviſſimis, & locutus

eſt

eſt mecum, dicens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam, uxorem Agni.

℣. 10. Et ſuſtulit me in Spiritu in montem magnum, & altum: & oſtendit mihi civitatem Sanctam Jeruſalem deſcendentem de cœlo à Deo.

℣. 11. Habentem claritatem Dei: & lumen ejus ſimile lapidi precioſo, tanquam lapidi jaſpidis, ſicut cryſtallum.

℣. 12. Et habebat murum magnum, & altum, habentem portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël.

℣. 13. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab Occaſu portæ tres.

℣. 14. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.

℣. 15. Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, & portas ejus, & murum.

℣. 16. Et civitas in quadro poſita eſt, & longitudo ejus tanta eſt, quanta & latitudo: & menſus eſt civitatem de arundine aurea per ſtadia duodecim millia: & longitudo, & altitudo, & latitudo ejus, æqualia ſunt.

℣. 17. Et menſus eſt murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, menſurâ hominis, quæ eſt Angeli.

℣. 18. Et erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide: ipſa verò civitas, aurum mundum, ſimile vitro mundo.

℣. 19. Et fundamenta muri civitatis, omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum, jaſpis: ſecundum ſapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, ſmaragdus.

℣. 20. Quintum, ſardonix: ſextum, ſardius: ſeptimum,

mum, chryſolithus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chryſopraſus: undecimum, hyacinthus: duodecimum, amethyſtus.

℣. 21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas: & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis: & platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.

℣. 22. Et templum non vidi in eâ. Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & Agnus.

℣. 23. Et civitas non eget ſole, neque lunâ, ut luceant in eâ. Nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.

℣. 24. Et ambulabunt gentes in lumine ejus: & Reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem in illam.

℣. 25. Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic.

℣. 26. Et afferent gloriam, & honorem gentium in illam.

℣. 27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.

Verſ. 1. *Et vidi Cælum novum, & terram novam. Primum enim Cælum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt.*

POST Reſurrectionem generalem omnium hominum, nec cœlum, nec terra, nec mare erunt eo modo, quo nunc ſunt.
ad Rom 8. v. 21. Etenim prædicente Paulo, *ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*; ut, ſicuti tunc filii Dei beatâ fruentur incorruptione, ita Cœlum, terra, & mare nulli ampliùs corruptioni ſubjaceant.

2. Petr. 3. 13. Princeps etiam Apoſtolorum refert futuros *novos Cælos, & novam terram, in quibus juſtitia habitet.* Siquidem etſi nunc in Cœlis ſit innumerabilis Sanctorum Angelorum multitudo; tamen in hoc Cœlo inferiori,
ad Eph. 2. v. 2. qui aër dicitur, vagantur execrandæ Dæmonum legiones, *ſecundùm principem poteſtatis aëris hujus*, inquit Paulus. Horret quoque animus dicere Cœlum hocce tempore Venere impudicâ, ſævo Marte, aliiſque

Digitized by Google

que nominibus inanium Deorum, quos gentilium error, & impietas conſecravit, eſſe refertum: tunc verò à Beatis nonniſi Deus videbitur in Cœlo, in terrâ, in mari, & in omnibus creaturis, quas implet, ac implebit gloriâ majeſtatis ſuæ.

Verſ. 2. *Et ego Ioannes vidi ſanctam Civitatem.*

Eccleſia in terris militans, ex bonis, & malis coaleſcit: Triumphans autem in Cœlis ſolos juſtos complectitur. Sancti, qui ſunt in terrâ, graviſſimis peccatis poſſunt deſciſcere à ſanctitate; & quamvis illam perpetuò viderentur retinere, tamen ex eâ, quæ illis ineſt, infirmitate, nonnullos defectus, ac leviora peccata contrahunt: ſecùs Beati tantæ ſanctitatis ſunt compotes, ut nunquam poſſint peccare; & Deum ipſum ſummè ſanctum in ſeipſis perenniter excipiant, ac poſſideant.

Quàm mirabilis cœleſtium civium in Deum conſenſus! Quàm fidele obſequium illorum Deo! Quàm ſuave regnum Dei in illis! Quàm eximia omnium inter ſe charitas! Nulli non divites poſſeſſione ſummi boni. Cuncti nobiles gloriam præexcelſam Filiorum Dei conſecuti; ſinguli beato perfruentes otio, & deliciis affluentes, *ingreſſi in requiem*, & ad Heb. 4. v. 11.
in gaudium Domini. O verè *ſancta*, & felix *Civitas!* Matth. 25. v. 21.

Ex verſ. 2. *Ieruſalem.*

Nuncupatur *Ieruſalem*, quâ ſignificatur *pacis viſio*: Quid enim in illâ cœleſti civitate, ubi à Deo Optimo Maximo cuncta ſapientiſſimè ſunt ordinata, videatur, niſi pax? Ubi *Deus pacis* nonniſi amore ſibi devinctos 1. ad Cor. 14. v. 33.
regit? Ubi ipſemet Deus *eſt pax* omnium; & *pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodit corda, & intelligentias* ſingulorum? ad Eph. 2. v. 14.

Ex verſ. 2. *Novam.* ad Philip. 4. v. 7.

Nova eſt illa Civitas, quæ nullam umquam habuit, aut habitura eſt ſimilem. Quin etiàm illamet ipſa poſt reſurrectionem generalem omnium hominum, novas acceſſiones amplitudinis, decoris, & felicitatis accepit: anteà enim ſolas animas Sanctorum, nunc etiam illorum corpora continet. Deerant ei ſingulis ſæculis juſti quamplurimi: peracta autem conſummatione ſæculi, completus eſt electorum numerus. Anteà Civitas erat dumtaxat inchoata, & quotidie ædificabatur: Iam abſoluto extremo judicio perfecta eſt, ita ut nihil illi deinceps umquàm addendum ſit.

Ex verſ. 2. *Deſcendentem de Cœlo.*

Species illius Civitatis *deſcendit de Cœlo à Deo*, & objecta eſt oculis mentis Sancti Joannis, ut illam nobis poſteà deſcriberet, qualem ipſe divinitùs animo conſpexiſſet; nec quiſquam putaret illam deſcriptionem contemnendam, tanquam figmentum ingenii humani; ſed eam, velut ſacrum conſilii divini opus, piè, & ſanctè exciperet.

Ex verſ. 2. *A Deo paratam.*

Quandoquidem verò Chriſtus dicturus ſit electis ſuis, *Venite benedicti* Matth. 25. v 34.
patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, Dilectus Chriſti Diſcipulus videt *ſanctam Civitatem Ieruſalem, deſcendentem de*

ad Eph. 1. v. 4. *Cœlo à Deo paratam:* Deus enim ſolus paravit iis, *quos elegit in Chriſto ante conſtitutionem mundi*, regnum cœleſte, ſeu Civitatem cœleſtem. Ipſe ſolus civitatis illius primævas rationes, & exemplar ſummâ ſapientiâ ſuâ architectatus eſt; necnon ipſe miris modis, poteſtate ſuâ, & bonitate immensâ dignis, illam extruxit.

Ex verſ. 2. *Sicut ſponſam ornatam viro ſuo.*

Perfecit quoque illam; & omnibus gratiæ, & gloriæ dotibus ipſam inſtruxit, ut ejus cives ei, qui ipſos condidit, & regit, quàm maximè placeant; & æternis bonis, ac deliciis affluant ex fruitione ipſius ſummi boni; quemadmodùm *Sponſa*, quibus poteſt, omnibus ſpecioſiſſimis veſtibus *orñata*, ſeſe exhibet *viro ſuo*, ut eò majorem gratiam inveniat in oculis illius; & eò jucundiùs in ejus amplexu delectetur, quò pulchrior illi apparebit.

Verſ. 3. *Et audivi vocem magnam de throno dicentem, ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis; & ipſi populus ejus erunt; & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.*

Joan. 14. v. 23. Aiebat in terris Chriſtus, *ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit; & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus; & manſionem apud eum faciemus.* Ita nunc throno cœleſti inſidens declarat Patrem, & ſeipſum cum Patre, & Spiritu Sancto unum Deum, perenniter in Beatis electis ſuis, tanquàm amicis ſibi chariſſimis, manſurum perpetuo illapſu, & æternâ effuſione Divinitatis ſuæ in ipſos; eiſque, ut ipſe ſibimetipſi ſufficit, fore *omnia in omnibus*, quò nullâ re prorsùs indigeant; ſed *abundè* habeant *ad fruendum* in vitâ æternâ.

1. ad Cor. 15. v. 28. 1. ad Tim. 6. v. 17.

Verſ. 4. *Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà; quia prima abierunt.*

Matth. 5. v. 5. 10. Verè *beati, qui lugent* propter Chriſtum; *quoniam ipſi conſolabuntur*; & *beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum:* quippe eo in regno immortales, & impaſſibiles, exultabunt in Domino ſemper.

Verſ. 5. *Et dixit, qui ſedebat in throno, Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi, ſcribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt, & vera.*

Verba hæc Chriſti, qui ipſiſſima veritas eſt, ſinceriſſimè ab ipſo prolata, & digniſſima, quibus fides ab omnibus adhibeatur, explicatione recenti non indigent, cùm renovationem omnium ſufficienter anteà expoſuerim.

Verſ. 6. *Et dixit mihi: Factum eſt.*

Conſummatum eſt omne conſilium Dei erga homines, & Angelos, tùm bonos, tùm malos, in æternis illorum præmiis, & in æternis horum ſuppliciis; necnon erga cœlum & terram, quæ ex corruptione ad incorruptionem perducta ſunt; juſtitiæque divinæ in gratiam beatorum, & in pœnam damnatorum ſerviunt.

Ex verſ.6. *Ego ſum α, & ω, initium & finis.*

Chriſtus ut omnia ſuâ ſummâ ſapientiâ, & bonitate, & poteſtate condidit; ita congruis finibus cuncta terminavit.

Ex verſ.6. *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.*

Sitienti juſtitiam, & quemadmodùm *deſiderat cervus ad fontes aquarum*, ardenti animo Deum tanquam *fontem aquæ vivæ* concupiſcenti, dabit ex immensâ ſuâ benignitate, & gratiâ perennem vitam jugiter à Patre in ipſum manantem; ait enim, *Sicut pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo; & procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ.*

Matth. 5. v. 6. Pſ. 41. v. 2. Ier. 2. v. 13. Joan. 5. v. 26. 29.

Verſ. 7. *Qui vicerit, poſſidebit hæc: & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.*

Qui vicerit carnem concupiſcentem adversùs ſpiritum, mundum totum in maligno poſitum, & Diabolum pellicentem ad flagitia, vitam æternam, quam Chriſtus promiſit, aſſequetur; hereditatemque cœleſtem velut filius obſequentiſſimus, ab ipſomet Chriſto *vero Deo*, & *patre futuri ſeculi* percipiet.

ad Gal. 5. v. 17. 1. Joan. 5. v. 19. Joan. 5. v. 20. Iſai. 9. v. 6. Joan. 1. v. 14.

Verſ. 8. *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.*

Contrà verò ignavi, qui ortâ tentatione carnis, mundi, & Diaboli, timorem Dei Sanctum, ut in vitia proruant, abjecerint; qui fidem Dei & Chriſti, vel noluerint ſuſcipere, vel ſuſceptam repudiatint; qui perjuria cum execratione animæ ſuæ, & blaſphemias execrandas contra Divinam Majeſtatem impiè protulerint; qui homicidia, ſeu veneficiis, ſeu aliis iniquis actibus perpetraverint; qui fornicationes, aliaſve graviores impudicitias admiſerint; Qui quovis modo commiſerint ſcelus idololatriæ; ac quotquot in Deum, cujus præcepta promiſerunt ſervare; vel in proximum, quem ut ſe ipſos debuerunt diligere, fuerint aliquo gravi crimine mendaces, ignibus æternis tradentur, ut ſempiternis ſuppliciis, & æternâ morte plectantur.

Timidis. Incredulis. Execratis. Homicidis, veneficis. Fornicatoribus, idololatris. Mendacibus.

Ver.9. *Et venit unus de ſeptem Angelis habentibus phialas plenas ſeptem plagis noviſſimis, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam uxorem Agni.*

Dudùm diſſerui de ſeptem illis Angelis, phialis, & plagis, in explanationibus Capitis decimi ſexti Apocalypſis; quare ſupereſt ut dicam Beatum Paulum Eccleſiam militantem appellaſſe Sponſam Chriſti, dùm ſcripſit Corinthiis, *deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*; & aſſeruit Epheſiis conjunctionem viri cum uxore eſſe *Sacramentum magnum in Chriſto, & in Eccleſiâ.* Quantò magis igitur Eccleſia Triumphans ſponſa eſt, & uxor Chriſti, corpore, & Spiritu Divinitati, & Humanitati Salvatoris ſui, ardentiſſimâ charitate, ſummâ puritate, lætitiâ inenarrabili, & nexu indiſſolubili conjungenda? Illa eadem tota erit

2. ad Cor. 11. v. 2. ad Eph. 5. v. 32.

in æternum Dilecto ſuo ; & eidem ipſi totus in perpetuum erit amantiſſimus ejus Dilectus ?

Verſ. 10. *Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum , & altum , & oſtendit mihi civitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cœlo à Deo.*

Joannes his verbis alludit ad terreſtrem Ieroſolymorum civitatem, cujus præcipua pars, in quâ erat templum , ſita fuit in monte magno , & alto : ſed quàm major eſt , & altior Civitas Cœleſtis Jeruſalem , quæ conſtituitur in ſupremo cœlo , quod Empyreum, & ſedes Beatorum ſolet appellari ! Porrò ſecundo verſu hujus capitis viſus fuerat Joannes illam Civitatem cœleſtem comparare dumtaxat Sponſæ , cùm dixit ipſam eſſe *ſicut ſponſam ornatam viro ſuo :* At ex verſibus ſequentibus docetur ab ipſomet Chriſto,eam eſſe verè ipſius ſponſam caſtiſſimam, integerrimam, chariſſimam , dotibus illius , perfectionibus , gloriâ , & majeſtate inſigniendam.

Verſ.11. *Habentem claritatem Dei.*

1.Joan.1. Cùm *Deus ſit lux , & tenebræ in eo non ſint ullæ* , Civitas cœleſtis, quam
v. 5. Deus condidit , undequaque illuſtratur luce divinâ. Iuſti enim omnes ,
civitatem illam conſtituentes , tanto lumine perfunduntur *à Patre lumi-*
Jac.1.v.17. *num*, ut *fulgeant ſicut ſol in regno Patris eorum.*
Matth.13.
v.43.

Ex verſ.11. *Et lumen ejus ſimile lapidi pretioſo.*

Verùm quia lux ſolis vividior eſt, ac vehementior,quàm poſſint illam homines fixis oculis diutiùs intueri ; placidior autem eſt lapidum pretioſorum fulgor , quem quiſque gratis oculis , quantùm libuerit , valeat conſpicere; Joannes lumen à Deo Beatis inditum comparat lumini lapidis pretioſi , quòd unicuique Sanctorum jucundiſſimus ſit ſemper aſpectus illius lucis , undè perennis ipſorum promanat beatitudo.

Prætereà,non ſecùs ac lapides pretioſi terræ , in quâ exoriuntur , colorem fuſcum primùm habent ; ac dein præſtantiſſimorum artificum labore , & ingenio politi fulgorem eximium , & cœleſtem acquirunt : Ita
1.Petr.2. Sancti Chriſto *lapidi electo , & pretioſo* fide ſuâ , & pietate conjuncti , ſic
v. 5. in terris obfuſcantur humilitate ſuâ , ut vix quicquam ſplendoris videantur habere : Sed tandem mirâ Chriſti Redemptoris ſui operâ , & gratiâ exculti , pluribuſque perſecutionum ictibus percuſſi , divinum in cœlis
1. ad Cor. fulgorem aſſequuntur. Quâ de re Paulus inquit , *perſecutionem patimur, &*
4. v.12. 13. *ſuſtinemus : tanquàm purgamenta hujus mundi facti ſumus. Noſtra autem*
ad Philip. *converſatio in Cœlis eſt : undè etiam Salvatorem expectamus Dominum no-*
3. v.20.21. *ſtrum Ieſum Chriſtum , qui reformabit corpus humilitatis noſtræ , configuratum corpori claritatis ſuæ ſecundùm operationem , quâ etiam poſſit ſubjicere ſibi omnia.*

Ex verſ.11. *Tanquàm lapidi jaſpidis.*

Hinc claritas illa , quæ elucet in Beatis, comparatur à Joanne fulgori
Apoc.4. lapidis pretioſi jaſpidis : anteà enim , videlicet Apocalypſis capite quar-
v.3. to, inter gemmas, quibus coruſcantem vidimus Chriſtum,in eo præcipuè lapidem

lapidem jaſpidem ſpectavimus. Quapropter ex illo ejuſdem jaſpidis in Chriſto, & in Beatis conſpectu, Sancti, quos *Pater miſericordiarum prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*, deſignantur eidem Domino configurati lumine gloriæ. 2. ad Cor. 1. v. 3. ad Rom. 8. v. 29.

Jaſpide etiam, qui alius eſt ſubviridis, alius aërii, ſive cœleſtis coloris, ſignificatur, Sanctis, cùm in terrâ degerent, inditam fuiſſe ſpem illius felicitatis, quam tandem in Cœlo conſecuti ſunt; quamve certi ſunt ſe in æternum poſſeſſuros.

Ex verſ. 11. *Sicut cryſtallum.*

Poſtremò videt Joannes lapidem pretioſum jaſpidem, quo fulget cœleſtis Civitas, pellucidum, & tranſparentem *ſicut Cryſtallum*, quoniam nihil eſt in illâ, quod non pateat perſpicuè oculis omnium luce Divinâ illuſtratorum; nec quicquam habeant ulli Beati, quod cæteris ſinceriſſimâ charitate, in laudem Dei, à quo cuncta acceperunt, non exhibeant.

Verſ. 12. *Et habebat murum magnum, & altum.*

Præclarè Viegas è Societate Jeſu Theologus, inquit; *Murus iſte Chriſtus eſt, qui non ſolùm Eccleſiæ militantis, ſed & triumphantis murus appellatur; quia ipſe eſt, qui & Eccleſiam in terris protegit; & in Cœlis ſummâ ſecuritate in omnem æternitatem circundat, juxta illud Eſaiæ 26. Salvator ponetur in eâ murus, & antemurale: & Zachariæ 2. Ego ero illi murus in circuitu.* Viegas in cap. 21. Apoc. ſectione 2.

Ex verſ. 12. *Habentem portas duodecim.*

Hoc eſt, duodecim Apoſtolos, per quorum prædicationem, & ſcripta aditus patefactus eſt in Cœlum.

Ex verſ. 12. *Et in portis Angelos duodecim.*

Qui Apoſtolis in prædicando Evangelio aſſiſtebant; & Divinæ Providentiæ in fidei propagatione ſunt adminiſtri, quorum cooperatione per Apoſtolos aditus nobis in Cœlum præparatur. Hæc Viegas.

Quin etiam unicuique fidelium delegatus eſt ad cuſtodiam Angelus, quem qui *non contempſerit, ſed obſervaverit*, aſciſcetur in Civitatem cœleſtem ad conſortium felicitatis Angelicæ: *Erunt*, inquit Chriſtus, *ſicut Angeli Dei in Cœlo.* Exod. 23. v. 21. Matth. 22. v. 30.

Ex verſ. 12. *Et nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël.*

Quippe Cœleſtis Civitas conſtat ex gentibus, & Iſraëlitis fide, & pietate conjunctis, ac efficientibus in Chriſto unum populum, & genuinum Iſraëlem Dei.

Verſ. 13. *Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Auſtro portæ tres, & ab Occaſu portæ tres.*

Ex omnibus orbis partibus admittuntur electi in Civitatem Cœleſtem ad Deum Unum, & Trinum, cujus poteſtate, ſapientiâ, & bonitate creati ſunt ad ejus imaginem ſpirituales; ſanctitatis, & felicitatis illius capaces; cujus benignitate, gratiâ, & miſericordiâ prædeſtinati

ſunt, vocati, & juſtificati; cujus denique intuitu, amore, & æternâ fruitione ſunt beati.

Ex verſ. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum Agni.*

ad Eph. 2. v. 20. Sic Paulus Epheſiis, *vos eſtis Cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.*

Verſ. 15. *Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram arundineam auream, ut metiretur civitatem, & portas ejus, & murum.*

Sap. 11. v. 21. Deus, cujus ſapientia fecit cuncta *in menſurâ, numero, & pondere,* perpendit, numerat, & metitur omnia, quæ ſpectant ad Civitatem cœleſtem, quæ eſt ſummum ejus opus; ac menſuræ aureæ vult ſingula illius civitatis coaptari, quòd aurum, omnium metallorum pretioſiſſimum, & incorruptibile, charitatem omnium virtutem præſtantiſſimam, & beatam incorruptionem eâ in civitate paſſim, & ubique refulgentem apprimè ſignificet.

Verſ. 16. *Et civitas in quadro poſita eſt.*

1. ad Cor. 15. v. 58. Quandoquidem ex Paulo Eccleſia Militans fuit *ſtabilis* in fide, *& immobilis* in charitate, *abundans in opere Domini ſemper, ſciens quòd* ejus *labor non* eſſet *inanis in Domino:* multò magis Eccleſia Triumphans eſt immutabilis in viſione, & amore Dei; ac propterea tota in Deo fixa, & ita obſirmata, ut nullatenùs unquam poſſit ab eo dimoveri, aſſeritur in quadro, quod ſtabilitate ſuâ cæteras figuras ſuperat, conſtituta. Undè.

Ex verſ. 16. *Et longitudo ejus tanta eſt, quanta & latitudo.*

Quemadmodùm conſuevit eſſe in quadrato æquilatero, quod omnium figurarum quadrilaterarum eſt perfectiſſimum.

Ex verſ. 16. *Et menſus eſt civitatem de arundine aureâ per ſtadia duodecim millia.*

Numerus millenarius ex triplici multiplicatione per decem producitur; primùm quidem ex decem unitatibus; ſecundò ex decies decem; ac tertiò ex decies centum: ideoque deſignat maximam perfectionem, quam Sancti aſſecuti ſunt ex juſtâ Decalogi obſervatione ad gloriam ſanctiſſimæ Trinitatis. Junguntur autem duodecim millia propter duodecim Angelos duodecim portis Cœleſtis Civitatis aſtantes; necnon propter duodecim Apoſtolos, tanquàm portas, & fundamenta duodecim ejuſdem civitatis; ac denique propter duodecim tribus Iſraëliticas, quæ in eamdem civitatem admittuntur, poſtquàm in *ſtadiis* virtutum magno fervore Spiritus Divini *cucurrerunt*; ac judicatæ ſunt *bravium ſupernæ vocationis in Chriſto Ieſu* promeruiſſe.

1. ad Cor. 9. v. 24. ad Philip. 3. v. 14.

Ex verſ. 16. *Et longitudo, & altitudo, & latitudo ejus æqualia ſunt.*

Deus electos ſuos æquali dilectione proſecutus eſt ab æterno in æternum, eaque dilectionis illius æternitas eſt. Civitatis Cœleſtis

Longitudo:

Digitized by Google

Longitudo: voluit autem ut in ipſo eſſent ſummè beati; quo quid ſublimius? ideoque hæc ſublimitas eſt ejuſdem Civitatis *altitudo*. Ad omnes etiam electos, quocumque loco conſiſterent, effuſa eſt charitas Divina, ut ad illam felicitatem pervenirent; atque hæc eſt civitatis cœleſtis latitudo. Electi quoque omnes æqualiter Deum diligent ſemper ſummè bonum; & quamvìs in illis ſint varii gradus gloriæ pro varietate meritorum, tamen cùm omnes unum Deum, cujus tres Perſonæ ſunt æquales, poſſideant totum, in ipſis etiam eapropter mirabilis elucet æqualitas ſummæ, & æternæ beatitudinis.

Verſ. 17. *Et menſus eſt murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum.*

Angelus ſub ſpecie hominis apparens, menſurâ tantæ longitudinis, quâ ſolent homines uti, oſtendit Joanni *murum Civitatis* Cœleſtis eſſe *centum quadraginta quatuor cubitorum*, quòd numerus ille exurgat ex duodecim duodecies multiplicatis, ut ſignificaret Chriſtum hominem ac Deum, Salvatorem, qui, quemadmodùm antè expoſuimus, eſt Civitatis Cœleſtis murus, non circumambire benevolentiâ ſuâ, & gloriâ cœleſtes Cives, homines beatos, niſi quatenùs pertinent ad duodecim Tribus Iſraëliticas electas à Deo; & ex quatuor orbis partibus, propter opera bona, brachiis à manu uſque ad cubitum protenſis, anteacta, & & ſignificata, per duodecim portas, antè declaratas, ingreſſi ſunt in Cœleſtem Civitatem: ille enim numerus duodenarius Tribuum electarum multiplicatus per alterum numerum duodenarium portarum cœleſtium, efficit centum quadraginta quatuor.

Verſ. 18. *Et erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide.*

Chriſtus, tanquàm murus cœleſtis civitatis, circumambiens cœleſtes cives, aſpectu lucis ſuæ placidiſſimæ, ac perpetuæ, in corpore ſuo ſicut & in animâ refulgentis, & promanantis à Divinitate ſuâ, mirum in modum illos recreat; quemadmodùm viſu lapilli pretioſi jaſpidis, viridis, & pellucentis veluti ſmaragdus, ſed mirâ varietate diſtincti, oculi hominum ſolent recreari.

Ex verſ. 18. *Ipſa verò civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.*

Omnia in cœleſti civitate ſunt præſtantiſſima, decora; eximiâ charitate, puritate, ſinceritate nitent, ut cuncti ſeſe mutuò perfectiſſimè, ac ſanctiſſimè videant in Deo, qui eſt illorum ipſemet amor, decor, ac ſplendor.

Verſ. 19. *Et fundamenta muri Civitatis, omni lapide pretioſo ornata.*

Quippe, quamvìs in diverſis electis, cùm in terris degerent, fuerint ex Paulo *diviſiones gratiarum ab eodem ſpiritu; & diviſiones miniſtrationum ab eodem Domino; & diviſionest operationum ab eodem Deo:* tamen in Apoſtolis, qui in Chriſto ſunt fundamenta muri cœleſtis Civitatis, extiterunt omnes gratiæ, omnes miniſtrationes, omnes operationes ſupernaturales, propter eminentem illorum dignitatem, & ſanctitatem; ideoque

1. ad Cor. 12. v. 4. 5. 6.

ideoque ſingulos duodecim lapides pretioſos mox referendos præſtat omnibus Apoſtolis conjunctim, & unicuique Apoſtolorum diviſim attribuere.

Ex verſ. 19. *Fundamentum primum, Jaſpis.*

P. Amelotte en ſes notes ſur l'Apocalypſe. *Iaſpis*, inquit ſuis in Apocalypſim notis Gallicis Congregationis noſtræ Amelottus, *ſignificat ſuâ ſoliditate Apoſtolorum conſtantiam; virore ſpem; pelluciditate ſimplicitatem; jucundâ varietate gratam virtutum permixtionem.*

Ex verſ. 19. *Secundum Sapphirus.*

Lapis ille *coloris aërii, ac cœleſtis, diſtinctus punctis aureis, & denſitate ſuâ obſirmatus, eſt imago vitæ cœleſtis Apoſtolorum, perilluſtris charitatis, & confirmationis in gratiâ.*

Ex verſ. 19. *Tertium Chalcedonius.*

Carbunculus ab urbe Chalcedone, prope quam exoritur, dictus Chalcedonius, cujus fulgor igneus nec ignem timet, nec nocte vincitur, exhibet Apoſtolorum zelum ardentiſſimum, quem nullus perſecutionum ignis vincere, nec errorum tenebræ potuerunt prohibere, quin lucem doctrinæ ſuæ ſpargeret.

Ex verſ. 19. *Quartum Smaragdus.*

Color ſmaragdi eximiè viridis tam gratus eſt oculis, ut ejus viſu numquam fatigentur, quin potiùs magis, ac magis recreentur. Quò procul conſpicitur, eò major apparet; nec ſol, nec umbra, nec faces ejus ſplendori quicquam detrahunt. Ita jucundiſſimus eſt oculis mentis Apoſtolorum conſpectus; eorumque ſapientiſſima ſimplicitas, quò frequentiùs, & attentiùs conſideratur, eò ſuaviori animum, cui ſtulta ſapientia hujus mundi faſtidium generavit, gaudio perfundit. Etſi ſeceſſu ſuo in cœlum maximè à nobis diſtent, tanto tamen ſplendore circumfuſi videntur, ut nec ullo ſcientiæ humanæ lumine, nec ullis hujus ſæculi tenebris poſſint obſcurari. Hæc ex Amelotto.

Verſ. 20. *Quintum Sardonix.*

Viegas in c. 21. Apoc. ſect. 3. *Pretioſiores ſunt*, inquit Viegas, *qui tribus coloribus variantur, primo nigro, medio candido, ſuperno rubro. Omnes autem Apoſtoli nigrum colorem propter labores, candidum propter puritatem, rubrum propter Martyrium habuerunt.*

Ex verſ. 20. *Sextum Sardius.*

Tranſlucet: ſic Apoſtoli exemplo. Coloris eſt ſanguinei; atque adeò martyrium deſignat Apoſtolorum. Feris terrorem incutit: ſic Apoſtoli Dæmonibus erant formidabiles.

Ex verſ. 20. *Septimum Chryſolithus.*

Auri ſpeciem præfert: ardentes ſcintillas diffundit; nocturnos pellit timores. Ita quilibet Apoſtolus auro charitatis rutilat; ardentes Divini amoris ſcintillas ex ſe in omnes immittit; Dæmonumque timores fugat.

Ex verſ. 20. *Octavum beryllus.*

Quaſi aquam conſideres ſolis fulgore percuſſam, rubicundum, ac decorum colorem reddit; ſed non fulget, niſi in ſexangulam formam poliendo figuretur;

Digitized by Google

retur: repercuſſione enim angulorum ſplendor acuitur; tenentiſque manum adurere dicitur. Tradunt beryllo duos ineſſe colores, unum viridem, pallentem alterum.

Quilibet Apoſtolorum propter mentis puritatem, quaſi aqua clariſſima, cœleſtis gratiæ radium ſuſcipit; pulcherrimuſque efficitur. Repercuſſione angulorum magìs ſplendeſcit, quia quò magìs Apoſtoli laboribus premebantur, quaſi fractis in lapide angulis, repercuſſoque lumine, magìs radiabant. In ſexangulam formam figurabantur, quia in hoc mundo, qui ſex diebus à Deo fuit perfectus, Tyrannis perſequentibus, & quaſi eos figurantibus, pulcherrimi, fulgentiſſimique evadebant. Tenentium manus adurebant, quia eos, cum quibus converſabantur, Divini amoris facibus inflammabant. Præferebant colorem duplicem, quia dùm cœleſtia contemplabantur, virides efficiebantur expectatione præmii. Cùm verò ad proximos ſeſe per actionem convertebant, ipſo labore, operumque aſſiduâ exercitatione pallorem quodammodò accipiebant.

Ex verſ. 20. *Nonum topazius.*

Quantò inventu rarior, tantò pretioſior: quoniam perfectio Apoſtolica rariſſima fuit; atque adeò pretioſiſſima. Duos refert colores, unum auri puriſſimi, alterum ætherea claritate relucentem, hoc eſt, aurum charitatis in proximos, & ardentem in Deum amorem. Flammeſcit impenſiùs, quoties ſolis radiis verberatur; quoniam Apoſtoli, cùm Chriſti gratiâ, tanquam radio micabant, tunc magìs ad proximorum ſalutem incendebantur. Topazium, cùm polis, obſcuras: quoniam Apoſtolos, cùm laudibus noſtris polimus, potiùs obſcuramus, quàm illuſtramus, ob excellentem eorum, noſtraque omni commendatione majorem magnitudinem.

Ex verſ. 20. *Decimum chryſopraſus.*

Viridis eſt gemma, colore porri ſuccum referens, in aurum declinans, aureis intervenientibus guttis. Viriditas, hoc eſt, ſpes Apoſtolorum ad majorem charitatem eorum animos incitabat. Aureæ guttæ aureas charitatis actiones ſignificant, quibus Apoſtoli ſpei ſuæ viriditatem variabant.

Ex ℣. 20. *Undecimum hyacinthus.*

Violaceo colore hyacinthum florem repræſentat; cœleſtem colorem refert, ut ſapphirus: mutat cum facie cœli colorem: ſereno enim, & illuſtri, perſpicuus eſt; turbido, & obducto nubibus, obſcurus. Cœleſtem planè colorem referunt Apoſtoli cœleſtibus moribus. Sereno Eccleſiæ Cœlo charitatem in alios exercebant; nubilo autem, & perſecutionibus turbato, conſtantiam, & fortitudinem præferebant.

Ex verſ. 20. *Duodecimum amethiſtus.*

Sculpturâ facilis, purpureus eſt, permiſto violaceo colore; & quaſi roſæ nitor, leniterque flammulas fundens. Sanè ſculpturâ faciles erant Apoſtoli, quia in laboribus patientes; gemma purpurea propter martyrium; roſæ habentes nitorem propter gratiam, quam ſibi apud omnes conciliabant. Denique ſuaviſſimas amoris flammulas ex ſe latè fundebant. Iſta, ut mihi videtur, gemmeo ſplendore Viegas è Societate Jeſu.

Hervæus in Apocalypſim, Rrr Verſ. 21.

Verſ. 21. *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis.*

P. Amelotte en ſes notes ſur l'Apoc.

Sicuti, inquit Amelottus, *pretium margaritarum cenſetur ex illarum candore, magnitudine, rotunditate, politurâ, & pondere: ita perfectio Apoſtolorum attenditur ex illorum innocentiâ, & puritate; donorum multitudine; ſinceritate, & ſimplicitate; æquanimitate, & morum uniformitate; pondere, ac ſoliditate conſiliorum, & actionum.*

Viegas in c. 21. Apoc. ſect. 4.

Addo ex Viegâ, *Margaritas appellari Uniones, quòd nullæ duæ reperiantur in conchis indiſcretæ: quo indicatur pretioſiſſimam, & præſtantiſſimam eſſe Apoſtolorum doctrinam; eſſeque præterea inſtar unionis, propter ſummam conſenſionem, quæ inter omnes cernitur.*

Ex verſ. 21. *Et platea civitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.*

Zachar. 8. v. 4. 5.

Matth. 18. v. 34.

Cùm pueri ſoleant in plateis urbium ludere; eóque cives confluant ad mutua colloquia, & commercia, juxta Prophetiam Zachariæ, *adhuc habitabunt ſenes, & anus in plateis Ieruſalem; & plateæ civitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus*; mihi videtur *platea* cœleſtis Jeruſalem *aurum* puriſſimum, *& vitrum perlucidum* dici, quòd humilitate, ſimplicitate, & innocentiâ *effecti ſicut parvuli, intraverint in Regnum cœlorum*; ibique viſu, & amplexu Patris Cœleſtis perpetuò exhilarentur; ac quidquid ſentiunt, & ſunt, ſinceriſſimâ, & perfectiſſimâ charitate ſibi mutuò conferant, ita ut nihil ſit in uno, quod ab aliis omnibus jure amicitiæ Divinæ non videatur, & poſſideatur.

Verſ. 22. *Et templum non vidi in eâ: Dominus enim Deus Omnipotens templum illius eſt, & Agnus.*

Templa constructa ſunt primùm, ut eſſent loca Sacra à domibus profanis ſeparata; in iiſque homines congregati, ab injuriis temporum ſecuri, & à curis ſæcularibus immunes, liberiùs Deo vacarent; ac mutuâ pietate, & charitate corroborati, & inflammati, ferventiùs Divinam Majeſtatem laudarent, orarentque; & faciliùs, quæ poſtularent, impetrarent. Sed quæ templorum hujuſmodi neceſſitas in Cœlo Beatorum, cùm ſegregati ſint à peccatoribus; nihilque in iis ſit, quod non ſit ſanctum? Nulla ibi aëris intemperies, ſed perpetua ſerenitas. Nulla ſollicitudo, nec ullum negotium, ubi nihil deeſt; nec quicquam adverſatur. Vacant, vident, amant, laudant, ac poſſident omnes Deum tàm unanimes, & tàm perfectè, ut nil ſit ampliùs, quod ultrà deſiderent. Cur in Cœlo, in quo Electi omnes poſt reſurrectionem generalem collecti ſunt, eſſet templum, quale fuit apud Judæos, qui non ſectabantur niſi umbras Cœleſtium, quorum veritas ipſa patet cunctis Beatis? Quamobrem etiam foret in Cœlo templum, quale nunc apud Chriſtianos, cùm nullus futurus ſit Sacramentorum uſus, dùm omnes Sancti

2 ad Cor. 5. v. 7. 1. Joan 3. v. 2.

perfruentur Deo; nec *per fidem ambulabunt; ſed per ſpeciem, videntes Deum, ſicuti eſt?* Abſit autem, ut quiſquam in Cœlis cogitet templa, qualia in terris apud Ethnicos, aliosve infideles; quandoquidem unus Deus, & Trinus adoretur à Beatis in ſpiritu; & veritate, & ſummâ perfectione.

Unicum

Unicum Cœleſtis civitatis *templum* eſt *Dominus Deus omnipotens*, in quo Cœleſtes cives vivunt beatè; in quo moventur perfectiſſimè; in quo ſunt ſanctiſſimè.

Chriſtus quoque homo Deus, qui quòndam aſſeruit corpus ſuum eſſe Templum Divinitatis in eo inhabitantis, eſt cum Deo idem templum illius civitatis, quòd Divinitatis, & humanitatis ſuæ infinitâ ſanctitate cunctos Sanctos complectatur, in eoque, & per ipſum, & cum ipſo ſinguli Beati nunquam non reddant omnem honorem, & gloriam ſacratiſſimæ Trinitati. Joan. 2. v. 19. 21.

Verſ. 23. *Et civitas non eget ſole, neque lunâ, ut luceant in eâ: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.*

Deus ſibi ipſi, & Beatis lux eſt, utpote qui ſeipſum, & omnia per ſeſe perſpicuè norit; ac Beatos omnes ſplendore Divinitatis ſuæ perfundat. Quemadmodùm verò per Chriſtum mentes fidelium gratiæ luce illuſtravit; ita & lumine gloriæ per Chriſtum Sanctos in cœlis illuminat.

Verſ. 24. *Et ambulabunt gentes in lumine ejus.*

Populi ii, qui lucem fidei receperunt, & ſecundùm Deum vixerunt, cuncta in cœlo perſpicient, ac peragent ex lumine gloriæ, quo erunt perfuſi.

Ex verſ. 24. *Et reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem in illam.*

Quin etiam Reges Pii, ac juſti, quidquid honoris, & gloriæ fuerint in terris adepti, referent in eum finem, ut Regnum cœleſtis Civitatis conſequantur; & tanti illud facient, ut omnia regna mundi deſpiciant, ac tanquam umbras inanes reputent præ ſummo illius Regni cœleſtis ſplendore, quo fulgebunt.

Verſ. 25. *Et portæ ejus non claudentur per diem: nox enim non erit illic.*

Author naturæ Deus noctem diei voluit ſuccedere, ut homines fatiſcentem animum, & corpus ab opere diurno refocillarent: portæ verò civitatum terrenarum nocte, quæ eſt pars diei naturalis viginti quatuor horarum, clauduntur propter timores nocturnos, ne cives, dùm quieſcunt ſomno correpti, quidquam ab hoſtibus moleſtiæ patiantur. At lux perpetua lucebit Beatis ab ipſomet Deo illuſtratis; eruntque ſemper vigiles in ejus contemplatione; necnon ipſius ſummâ virtute jugiter corroborati, & quibuſlibet adverſariis dudùm devictis ſuperiores, æternâ quiete, ac pace perfruentur. Quapropter in tantâ ſecuritate cœleſtis civitas nunquam non patebit.

Verſ. 26. *Et afferent gloriam, & honorem gentium in illam.*

Quippe quæcumque fuerint opes, & dignitates apud quaſvis nationes, cedent Dei ſummi omnium Regis authoritate in ornamentum cœleſtis Civitatis, & in gloriam perennem Sanctorum, qui ejus æternam felicitatem perituris omnibus bonis prætulerint.

Verſ. 27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.*

Qui fœdis, & abominandis criminibus idololatriæ fuerit inquinatus, & mendacium, vel contra Deum, plures Deos aſſerens; vel contra Chriſtum, illum, aut Deum, aut hominem negans; vel contra proximum, ei gravem injuriam inferens, perpetraverit; ac denique, quiſquis alicujus ſceleris, cùm è vivis diſceſſerit, fuerit reus, non admittetur in cœleſtem civitatem, in quâ Deus purus non capitur niſi à puris, verax à veracibus, juſtus à juſtis, ſanctus à ſanctis, qui de ipſo, ut par eſt, ſenſerint; leges ipſius ſervaverint; ejuſque gratiâ, & piis, ac ſanctis moribus promeruerint vitæ æternæ, ac beatæ eſſe compotes per Chriſtum, & in Chriſto.

EXPLANATIO LXX.

Perennis vita, ſanctitatis, obſequii, & Regni hominum in paradiſo cœleſti, aliorumve, quæ referuntur Apocalypſis capite vigeſimo ſecundo, & ultimo.

VERS. 1. Et oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni.

℣. 2. In medio plateæ ejus, & ex utrâque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum: & folia ligni ad ſanitatem gentium.

℣. 3. Et omne maledictum non erit ampliùs; ſed ſedes Dei, & Agni in illâ erunt, & ſervi ejus ſervient illi.

℣. 4. Et videbunt faciem ejus: & nomen ejus in frontibus eorum.

℣. 5. Et nox ultrà non erit: & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſæcula ſæculorum.

℣. 6.

Digitized by Google

℣. 6. Et dixit mihi: Hæc verba fideliſſima ſunt, & vera, & Dominus Deus ſpirituum Prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſervis ſuis quæ oportet fieri citò.

℣. 7. Ecce venio velociter. Beatus, qui cuſtodit verba Prophetiæ libri hujus.

℣. 8. Et ego Joannes, qui audivi, & vidi hæc. Et poſtquàm audiſſem, & vidiſſem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat.

℣. 9. Et dixit mihi: Vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui ſervant verba prophetiæ libri hujus.

℣. 10. Deum adora. Et dicit mihi: Ne ſignaveris verba Prophetiæ libri hujus: tempus enim prope eſt.

℣. 11. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & ſanctus, ſanctificetur adhuc.

℣. 12. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua.

℣. 13. Ego ſum α, & ω, primus, & noviſſimus, principium, & finis.

℣. 14. Beati, qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem.

℣. 15. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium.

℣. 16. Ego Ieſus, miſi Angelum meum, teſtificari vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum radix, & genus David, ſtella ſplendida, & matutina.

℣. 17. Et ſpiritus, & ſponſa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. Et qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis.

℣. 18. Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus: ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.

℣. 19. Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ

Digitized by Google

hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate ſanctâ, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto.

℣. 20. Dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum. Etiam venio citò: Amen. Veni, Domine Ieſu.

℣. 21. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

Verſ. 1. *Et oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni.*

℣. 2. *In medio plateæ ejus, & ex utrâque parte fluminis lignum vitæ.*

CUM Deus primum hominem condidit omnibus naturæ, &
Gen. 2. v. 15. gratiæ dotibus inſtructum, *tulit eum, & poſuit in paradiſo vo-*
luptatis; ut in illo jucundè, ac ſanctè viveret. *Fluvius* autem
V. 9. 10. *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum: lignum*
Gen. 3. *etiam vitæ* erat *in medio paradiſi*, collaturum homini, ſi perſeveraret in
v. 22. obſequio Conditoris ſui, vitam *in æternum.* Quantò magis immenſa Dei
benignitas homini juſto, ac ſancto, qui vitiorum omnium ſuperavit il-
Apoc. 2. lecebras, & *fidelis fuit uſque ad mortem*, paravit amœnum in Cœlò lo-
v. 10. cum, ut ibi æternâ vitâ, & gaudiis ſpiritualibus, ac divinis numquam
Matth. 25. intermittendis perfruatur? Eapropter Chriſtus in Evangelio *ait fideli ſer-*
v. 21. *vo, intra in gaudium Domini tui*; & in Apocalypſi, *Vincenti dabo edere de*
Apoc. 2. v. 7. *ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei*; ac poſteà, *non eſurient, neque ſi-*
Apoc. 7. *tient amplius, quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos; & de-*
v. 16. 17. *ducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Hoc autem loco, quem interpretandum
ſuſcepi, *oſtendit in Cœlo fluvium aquæ vitæ* limpidiſſimum, ſeu *ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni, & ex utrâque parte fluminis lignum vitæ*: quibus rebus ſignificatur vita puriſſima, & æterna, quæ jugiter ex Deo, & Chriſto manat in Beatos; ut perenni voluptate, ac deliciis ſanctis perpetuò perfundantur, & reficiantur. Iccirco illud lignum vitæ paradiſi cœleſtis dicitur.

Ex verſ. 2. *Afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum.*

Quippe Deus, & Chriſtus homo Deus, nunquam non ſe præbent Beatis, ut guſtent ſingulis menſibus, diebus, & momentis, ac verè per totam æternitatem, quàm ſuavis eſt Dominus; in eoque vitam omnibus bonis abundantem habeant. Additur verò.

Ex verſ. 2. *Et folia ligni ad ſanctitatem gentium.*

Siquidem Deus, & Dominus Jeſus Chriſtus, non modò vitam æter-
nam

Digitized by Google

nam conferunt Beatis; ſed etiam tuentur in illis, qui ex omni populo, & natione collecti ſunt, optimam valetudinem, & præclarum abſque ullo defectu vigorem. Sicut enim nunc apud mortales graſſantur ex peccatis morbi; ita tunc immortalitate felici donata Sanctorum corpora mirum in modum propter eximiam ſanctitatem vigebunt; eritque in eis perfecta ſanitas perfectæ ſanctitati conjuncta.

Verſ. 3. *Et omne maledictum non erit amplius.*

Deus comminatus eſt in Paradiſo terreſtri maledictionem primo homini, ſi peccaret; *De ligno*, inquit, *ſcientiæ boni, & mali nè comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Maledictionem autem ei, poſteaquàm peccavit, intulit his verbis; *Maledicta terra in opere tuo. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de quâ ſumptus es, quia pulvis es; & in pulverem reverteris.* Gen. 2. v.17. Gen. 3. v.17.19.

Iſraëlitico etiam populo, quot, & quantæ maledictiones imminebant, ſi legem Domini tranſgrederetur. *Maledictus eris in civitate; maledictus in agro. Maledictum horreum tuum; & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ. Maledictus eris ingrediens; & maledictus egrediens. Mittet Dominus ſuper te famem, & eſuriem, donec conterat te. Adjungat tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumat te. Percutiat te Dominus egeſtate, febri, & frigore, & ardore, & æſtu, & aëre corrupto; & perſequatur, donec pereas. Sit cœlum, quod ſupra te eſt, æneum; & terra, quam calcas, ferrea. Tradat te Dominus corruentem ante hoſtes tuos. Percutiat te Dominus amentiâ, & cæcitate, & furore mentis; omnique tempore calumniam ſuſtineas; opprimaris violentiâ; nec habeas, qui liberet te;* aliaque peracerba, quæ fuſiùs referuntur in Deuteronomio. Deuter. 28. v.16.17. 18.19.20. 21.22.23. 25.28.29.

Comparans verò legi Evangelium Paulus, inquit: *Propterea abundantiùs oportet obſervare nos ea, quæ audivimus, nè fortè pereffluamus: Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus; & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem, quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem?* ad Heb. 2. v.1.2.3.4.

At Beati in Cœlo, qui legis, ſive naturalis, ſive Moſaicæ, ſeu Evangelicæ, fuerint juſti, ac ſancti obſervatores, quique Deum ſuper omnia, & in omnibus ſemper diligent, nullis ampliùs hujuſmodi, vel aliis quibuſlibet maledictionibus ſubjacebunt; ſed bonis omnibus cumulati, & ſummo bono in æternum perfruentes, verè, ac perfectiſſimè erunt *benedicti à Deo patre in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit eos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſent ſancti, & immaculati in conſpectu ejus in charitate.* ad Eph. 1. v.3.4.

Ex verſ. 3. *Sed ſedes Dei, & Agni in illa erunt; & ſervi ejus ſervient illi.*

Nimirùm *in Cœlo Thronus* Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti erit *in ſæculum* ad Heb. 1. v.8.

hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate ſanctâ, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto.

℣. 20. Dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum. Etiam venio citò: Amen. Veni, Domine Ieſu.

℣. 21. Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.

Verſ. 1. *Et oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni.*

℣. 2. *In medio plateæ ejus, & ex utrâque parte fluminis lignum vitæ.*

CUM Deus primum hominem condidit omnibus naturæ, &
Gen. 2. gratiæ dotibus inſtructum, *tulit eum, & poſuit in paradiſo vo-*
v. 15. *luptatis*, ut in illo jucundè, ac ſanctè viveret. *Fluvius* autem
V. 9. 10. *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum: lignum*
Gen. 3. *etiam vitæ* erat *in medio paradiſi*, collaturum homini, ſi perſeveraret in
v. 22. obſequio Conditoris ſui, vitam *in æternum*. Quantò magis immenſa Dei
beniguitas homini juſto, ac ſancto, qui vitiorum omnium ſuperavit il-
Apoc. 2. lecebras, & *fidelis fuit uſque ad mortem*, paravit amœnum in Cœlò lo-
v. 10. cum, ut ibi æternâ vitâ, & gaudiis ſpiritualibus, ac divinis numquam
Matth. 25. intermittendis perfruatur? Eapropter Chriſtus in Evangelio *ait fideli ſer-*
v. 21. *vo, intra in gaudium Domini tui*; & in Apocalypſi, *Vincenti dabo edere de*
Apoc. 2. *ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei*; ac poſteà, *non eſurient, neque ſi-*
v. 7. *tient amplius, quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, reget illos; & de-*
Apoc. 7. *ducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Hoc autem loco, quem interpretandum
v. 16. 17. ſuſcepi, *oſtendit in Cœlo fluvium aquæ vitæ* limpidiſſimum, ſeu *ſplendidum*
tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni, & ex utrâque par-
te fluminis lignum vitæ: quibus rebus ſignificatur vita puriſſima, & æter-
na, quæ jugiter ex Deo, & Chriſto manat in Beatos; ut perenni volu-
ptate, ac deliciis ſanctis perpetuò perfundantur, & reficiantur. Iccir-
co illud lignum vitæ paradiſi cœleſtis dicitur.

Ex verſ. 2. *Afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum.*

Quippe Deus, & Chriſtus homo Deus, nunquam non ſe præbent Beatis, ut guſtent ſingulis menſibus, diebus, & momentis, ac verè per totam æternitatem, quàm ſuavis eſt Dominus; in eoque vitam omnibus bonis abundantem habeant. Additur verò.

Ex verſ. 2. *Et folia ligni ad ſanctitatem gentium.*

Siquidem Deus, & Dominus Jeſus Chriſtus, non modò vitam æter-

nam conferunt Beatis; ſed etiam tuentur in illis, qui ex omni populo, & natione collecti ſunt, optimam valetudinem, & præclarum abſque ullo defectu vigorem. Sicut enim nunc apud mortales graſſantur ex peccatis morbi; ita tunc immortalitate felici donata Sanctorum corpora mirum in modum propter eximiam ſanctitatem vigebunt; eriſque in eis perfecta ſanitas perfectæ ſanctitati conjuncta.

Verſ. 3. *Et omne maledictum non erit ampliùs.*

Deus comminatus eſt in Paradiſo terreſtri maledictionem primo ho-
mini, ſi peccaret; *De ligno,* inquit, *ſcientiæ boni, & mali nè comedas: in* Gen. 2.
quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Maledictionem autem v.17.
ei, poſtcaquàm peccavit, intulit his verbis; *Maledicta terra in opere tuo.* Gen. 3.
In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de quâ ſumptus v.17.19.
es, quia pulvis es; & in pulverem reverteris.

Iſraëlitico etiam populo, quot, & quantæ maledictiones imminebant,
bant, ſi legem Domini tranſgrederetur. *Maledictus eris in civitate; male-* Deuter.28.
dictus in agro. Maledictum horreum tuum; & maledictæ reliquiæ tuæ. Male- v.16.17.
dictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ. Maledictus eris ingrediens; 18.19.20.
& maledictus egrediens. Mittet Dominus ſuper te famem, & eſuriem, donec 21.22.23.
conterat te. Adjungat tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumat te. Percutiat 25.28.29.
te Dominus egeſtate, febri, & frigore, & ardore, & æſtu, & aëre corrupto; & perſequatur, donec pereas. Sit cœlum, quod ſupra te eſt, æneum; & terra, quam calcas, ferrea. Tradat te Dominus corruentem ante hoſtes tuos. Percutiat te Dominus amentiâ, & cæcitate, & furore mentis; omnique tempore calumniam ſuſtineas; opprimaris violentiâ; nec habeas, qui liberet te; aliaque peracerba, quæ fuſiùs referuntur in Deuteronomio.

Comparans verò legi Evangelium Paulus, inquit: *Propterea abundan-* ad Heb. 2.
tiùs oportet obſervare nos ea, quæ audivimus, nè fortè pereffluamus: Si enim v.1.2.3.4.
qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus; & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem, quæ cùm initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem?

At Beati in Cœlo, qui legis, ſive naturalis, ſive Moſaicæ, ſeu Evangelicæ, fuerint juſti, ac ſancti obſervatores, quique Deum ſuper omnia, & in omnibus ſemper diligent, nullis ampliùs hujuſmodi, vel aliis quibuſlibet maledictionibus ſubjacebunt; ſed bonis omnibus cumulati, & ſummo bono in æternum perfruentes, verè, ac perfectiſſimè erunt
benedicti à Deo patre in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ad Eph.1.
ſicut elegit eos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſent ſancti, & immacu- v.3.4.
lati in conſpectu ejus in charitate.

Ex verſ. 3. *Sed ſedes Dei, & Agni in illa erunt; & ſervi ejus ſervient illi.*

Nimirùm *in Cœlo Thronus* Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti erit *in* ad Heb.1.
ſæculum v.8.

ſæculum ſæculi, ſummâ, & ſuaviſſimâ authoritate erga Beatos; iique Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto libentiſſimâ, & flagrantiſſimâ charitate in perpetuas æternitates obſequentur.

ad Heb. 4. v. 16. Nunc thronus Dei, & Filii unigeniti eſt in cœlis *thronus gratiæ*, ut fideles *adeuntes ad eum cum fiduciâ, miſericordiam conſequantur, & gratiam inveniant in auxilio opportuno:* Sed Beatis erit thronus gloriæ, quæ ſeſe ita in illos effundet, ut omnia poſſint in Deo, & in Chriſto; ejuſque felicitatis immenſæ ſint participes. Denique ſic *omnia* in Beatis erunt Deo, & Chriſto *ſubjecta, ut ſit Deus omnia in omnibus; omnia, & in omnibus Chriſtus.* (1. ad Cor. 15. v. 28. ad Col. 3. v. 11.)

Verſ. 4. *Et videbunt faciem ejus.*

2. Paral. 9. v. 7. *Beati viri tui*, aiebat Regina Saba Regi Salomoni, *& beati ſervi tui, qui aſſiſtunt coram te omni tempore, & audiunt ſapientiam tuam.*

Quantò feliciores in Cœlo Sancti, qui aſſiſtunt, & miniſtrant jugiter Deo, & Chriſto; videntque eum *facie ad faciem*; & in ipſo percipiunt *omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ Dei? Videte*, inquit Joannes in Epiſtolâ, *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus. Nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam, cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Prædeſtinavit quoque Deus electos *conformes fieri imaginis Filii ſui*, & quis cogitare queat eorum lætitiam, cùm videbunt illum *in gloriâ Dei Patris?* (1. ad Cor. 13. v. 12. ad Col. 2. v. 3. 1. Joan. 3. v. 2. ad Rom. 8. v. 29. ad Philip. 2. v. 11.)

Ex verſ. 4. *Et nomen ejus in frontibus eorum.*

Exod. 28. v. 36. Summus Pontifex Moſaïcus nomen Dei inſculptum in laminâ aureâ geſtabat in fronte ſuâ, quò pateret omnibus ipſum eſſe ſanctitate miniſterii ſui Deo addictum, ejuſque cultui conſecratum. Multò magis juſti in Cœlum evecti, atque, ut ait Princeps Apoſtolorum, *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*, qui *fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem*, effecti ſunt *divinæ conſortes naturæ*, expreſſam habent in ſe ipſis, & conſpicuam omnibus, divini nominis, cujus cultui æterno dediti ſunt, ſanctitatem, & gloriam. (1. Petr. 2. v. 9. 2. Petr. 1. v. 4.)

Math 10. v. 32. Luc 9. v. 26. Adde quod, cùm in terris verſabantur Sancti, non erubuerunt Deum, & Chriſtum confiteri, & laudare coram hominibus; atque etiam in cœlis conſtituti in ſæcula ſæculorum laudabunt: Quare nec Deus, & Chriſtus erubeſcent illos confiteri coram Angelis ſuis in cœlo; ſed ſummo cos honore afficient, *& tunc laus erit unicuique à Deo.* Quàm *felix, & ambienda laudatio*, inquit Bernardus, *ubi, & laudare, & laudari beatum eſt!* (1. ad Cor. 4. v. 5. Bern. in feſto ſanct. omnium.)

Verſ. 5. *Et nox ultrà non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.*

Iſta jam explicata ſunt explanatione verſus vigeſimi tertii, capitis præcedentis. Subjiciam duntaxat fore, ut tunc Beati *omnes revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformentur à claritate in claritatem.* (2. ad Cor. 3. v. 18.)

Ex

Ex verſ.5. *Et regnabunt in ſæcula ſæculorum.*

O quàm glorioſum eſt regnum, in quo cum Chriſto regnant omnes ſancti! Offic. Rom. in feſto omn. Sanct.
concinit exultans de tanto regno Eccleſia.

Verſ. 6. *Et dixit mihi, hæc verba fideliſſima ſunt, & vera.*

Sicuti à Chriſto, qui veritas eſt, ſuggeſta ſunt Angelo, ita ab ipſo cœleſti ſpiritu ſincerè excepta, & Joanni tradita ſunt; atque omnium fidem, & venerationem merentur.

Ex verſ.6. *Et Dominus Deus ſpirituum prophetarum miſit Angelum ſuum oſtendere ſervis ſuis quæ oportet fieri citò.*

Cùm in terris degeret humilis in formâ ſervi, tametſi Deus eſſet, miſit homines, quos replevit Spiritu Sancto, prædicare, non tantùm populo Dei, ſed etiam non credentibus in Deum, & ſervis dæmonum, quid facerent, ut ſervirent Deo vivo, ac vitam æternam conſequerentur. In cœlo autem ſedens ad dexteram, & in gloriâ Patris, cùm omnia prævideat futura, ejuſque Spiritu Sancto inſpirati olim ſancti Dei homines locuti ſint, ac cui, & quomodo, & quantùm voluerit, tribuat prophetiæ donum, *miſit Angelum ſuum*, dubio procul inter Sanctos Angelos præcellentem, *oſtendere ſervis ſuis* Chriſtianis, *quæ oportet fieri citò*; videlicet, quorum aliqua brevi tempore poſt Apocalypſim Joanni datam incipient contingere; alia verò ſuccedentibus deinceps temporibus, & citò elapſuris uſque ad conſummationem ſæculi, evenient, ut tandem Sancti ad æternam felicitatem, quæ numquam finietur in Cœlis, perveniant.

Verſ.7. *Et ecce venio velociter.*

Chriſtus Dominus promittit ſe venturum velociter; primùm quidem præſentiâ poteſtatis ſuæ, ac juſtitiæ, & ſanctitatis, necnon miniſterio cœleſtium ſpirituum, ut fiant citò, quæ prævidit, & prædixit futura: Poſtremò veniet in conſummatione ſæculi præſentiâ ſacratiſſimæ humanitatis ſuæ, ut cunctos homines judicet; iſque ultimus ejus adventus, quamvis hominibus tardus videatur, velox eſt Deo, cujus æternitas omnia ſimul complectitur. Undè Princeps Apoſtolorum, de illo ultimo adventu Domini loquens, inquit: *Unum hoc non lateat vos, chariſſimi,* 2. Petr. 3. v. 8. 9.
quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni; & mille anni ſicut dies unus. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: Sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.

Ex verſ.7. *Beatus qui cuſtodit verba prophetiæ libri hujus.*

Aiebat in terris ipſemet Dominus, *Beati, qui audiunt verbum Dei, &* Luc. 11. v. 27.
cuſtodiunt illud, abſtinentes à malo, quod prohibet, & facientes bonum, quod jubet. Parem beatitudinem promittit Chriſtus in Cœlis ei, qui fugerit idololatriam, aliaque ſcelera, & vitia, quæ vetantur, arguuntur, & puniuntur ex Apocalypſi; ac virtutes ſanctas, quæ eodem libro prophetico, ac divino, præcipiuntur, laudantur, & remunerantur, exercuerit.

Digitized by Google

Verſ.8. *Et ego Ioannes, qui audivi, & vidi hæc.*

Humiliat ſe Joannes, quòd in terris corpore poſitus, mente tot, tantaque arcana cœleſtia perceperit gratiâ, & benignitate Domini ſui, quem nihil latet.

Commendat etiam ex nomine ſuo, & perſonâ, & dignitate, & prærogativâ librum hunc propheticum, quem tradit, ut nemo ſit, qui non illum excipiat tanquam verum, & ſanctum, cùm tradatur ab Apoſtolo, & Chriſti, non tantùm in terris verſantis, ſed etiam in Cœlis conſtituti, Dilecto Diſcipulo: Ita enim quem conſcripſit, Evangelii librum
Joan 21. v.24. commendatum voluit, cùm dixit ſub ejus finem; *hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his; & ſcripſit hæc, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus.*

Ex verſ.8. *Et poſtquam audiſſem, & vidiſſem, cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat.*

Apoc. 19. v.10. Tam grati eſt animi Joannes, ut, cùm probè norit ſe arcana cœleſtia ope Angeli percepiſſe, nitatur rursùs, quamvìs jam repulſus ab illo, gratias ſubmiſſo corpore, & animo ei rependere, ac debitam venerationem exhibere.

Verſ.9. *Et dixit mihi, vide, nè feceris: conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum prophetarum, & eorum, qui ſervant verba prophetiæ libri hujus: Deum adora.*

Verùm perſtat in humilitate Angelus; ſeſeque non alium, quàm Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervum, cum ipſomet Joanne Apoſtolo, & prophetâ, necnon cum omnibus aliis, tùm veteris, tùm novi Teſtamenti Prophetis, & cum fidelibus quibuſvis, qui obſervaturi ſunt Apocalypſis ſanctiſſima mandata, profitetur. Totam quoque ſibi à Joanne oblatam venerationem, quamvìs juſtiſſimam, transfert ad Deum, à quo accepit, quid revelaret ipſi Joanni.

Verſ.10. *Et dicit mihi, nè ſignaveris verba prophetiæ libri hujus: tempus enim prope eſt.*

Poſteaquàm divinitùs arcana Danieli revelata ſunt, quæ nonniſi extremis
Da. 12. v.4.9. temporibus eſſent futura, dictum eſt ei: *Daniel, claude ſermones, & ſigna librum uſque ad tempus ſtatutum*; ac rursùs: *Vade, Daniel, quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones, uſque ad præfinitum tempus.* Secùs dicitur Joanni, *nè ſignaveris verba prophetiæ libri hujus; tempus enim prope eſt*, quo incipient fieri multa, quæ hocce libro prædicta ſunt.

Verſ. 11. *Qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc; & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & ſanctus ſanctificetur adhuc.*

Porrò totum tempus, quod reliquum eſt uſque ad conſummationem ſæculi, datur ex judicio, & miſericordiâ Dei hominibus: Ex judicio Dei, pleriſque peccatoribus, & impiis; undè fiet, ut qui Chriſtianos perſecutionibus vexant, illos adhuc perſequantur; & qui aliis iniquitatibus proximo nocent, noceant iterùm: Qui idololatriæ, aliorumve ſcelerum,

Digitized by Google

ſcelerum, & vitiorum ſordibus inquinantur, magìs, ac magìs in iiſdem flagitiis fœdè volutati, ſordeſcant: ſecùs idem temporis ſpatium conceditur ex miſericordiâ Dei juſtis, & ſanctis, ut juſtiores, ac ſanctiores evadant.

Verſ. 12. *Ecce venio citò; & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundùm opera ſua.*

Dùm verò conſummatæ fuerint hominum iniquitates, & virtutes, veniet Dominus, præmium daturus æternum bonis operibus; ſempiternam autem pœnam inflicturus malis.

Verſ. 13. *Ego ſum α, & ω; primus, & noviſſimus; principium, & finis.* Multa dudùm diximus in hæc verba explanationibus noſtris capitis primi, verſu octavo, & decimo octavo. Quamobrem ſufficiat nunc dicere, Chriſtum eſſe *principium, & finem* omnium hominum, quatenùs omnes homines ut Deus propter ſemetipſum, & ad gloriam ſuam, ipſorumque ſalutem condidit; ideoque & omnes homines referendos eſſe tandem ad illum, tanquàm ad finem ultimum, ut ab ipſo congruam mercedem bonorum operum, & malorum pœnam recipiant.

Verſ. 14. *Beati, qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni, ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in Civitatem.*

In cœleſtem civitatem admittentur, & vitam æternam poſſidebunt, qui fidem tenuerint Apoſtolorum; baptizati in nomine trium Perſonarum Divinarum, necnon ſanguine Chriſti fuerint mundati in remiſſionem peccatorum ſuorum; ac commortui Chriſto, & propter ipſum è vivis diſcedentes, fructum ſaluberrimum mortis illius perceperint, Apoc. 7.
quemadmodùm iſta, tum per ſeſe, tum ex iis, quæ aliis locis expoſuimus, manifeſta ſunt. v. 14. C. 21. v. 13. 14.

Verſ. 15. *Foris canes.* C. 21. v. 2.

A Civitate Cœleſti, cujus eſt Rex Chriſtus Sanctus Sanctorum, excludentur, qui oblatraverint impietate ſuâ religioni Chriſtianæ; ac dente canino diſcerpſerint famam eorum, qui pietatem, cæteraſque virtutes ſectabantur.

Ex verſ. 15. *Et venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſervientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium.*

Illorum etiam omnium flagitiorum, quæ capite præcedenti explicata Apoc. 21.
ſunt, & quorumcumque aliorum ſcelerum rei, non intrabunt in regnum v. 8.
cœlorum; ſed in flammas æternas inferorum protrudentur.

Verſ. 16. *Ego Ieſus miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis.*

Iſta ex anteà expoſitis explicatione non indigent.

Ex verſ. 16. *Ego ſum radix, & genus David.*

Iſaias Nativitatem Chriſti prædicens, aitbat: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet; & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Iſai. 11. v. 1. 2.
Quibus verbis ſignificabat fore, ut Salvator oriretur ex Davide, filio Iſai, ſeu Ieſſe. Ipſe verò Jeſus ait nunc Dilecto Diſcipulo, ſe eſſe

Digitized by Google

radicem, & genus David, hoc eſt, de radice, & genere David; quem-
Act. 17. admodùm Paulus, dùm aſſeruit Areopagitis, *quidam veſtrorum poëtarum*
v. 28. 29. *dixerunt, ipſius & genus ſumus; genus ergo cùm ſimus Dei*, teſtatus eſt nos
Gen. 1. eſſe de genere Dei, ſeu ortos eſſe à Deo, qui creavit nos ad imaginem,
v. 27. & ſimilitudinem ſuam.

Ex verſ. 16. *Stella ſplendida, & matutina.*

Luc. 2. Dictum eſt à Simeone de Chriſto, quòd eſſet *lumen ad revelationem*
v. 32. *gentium; & gloriam plebis Iſraël*; ac juxta prophetiam Iſaiæ, Dominus
Iſai. 49. inquit ipſimet Chriſto, *parum eſt ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus*
v. 6. *Iacob, & faces Iſraël convertendas: Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis*
ſalus mea uſque ad extremum terræ. Quapropter Chriſtus eſt *ſtella ſplendi-*
da, & matutina, quæ *oriens ex alto*, mundum tenebris ignorantiæ, &
vitiorum obſitum, incepit illuſtrare luce doctrinæ ſuæ, & ſanctitatis;
ac magìs, magiſque deinceps illuſtrabit, donec depellat omnem ethnicæ
ſuperſtitionis caliginem, & Judæorum cæcitatem. Patebit quoque tan-
dem effectuum in Apocalypſi prædictorum perſpicuitate veritas prophe-
tiæ illius, tametſi multiplices ob rationes figuris ænigmaticis, & verbis
1. ad Cor. perobſcuris obtecta videatur; adeò ut, *Dominus illuminabit abſcondita*
4 v. 5. *tenebrarum, & manifeſtabit conſilia* cordis ſui; & exultabunt juſti, & ſan-
cti in luce ejus.

Verſ. 17. *Et ſpiritus, & ſponſa dicunt, Veni.*

1 Joan. 2. Hortatur Joannes in epiſtolâ fidiſſimos Chriſti diſcipulos, *Manete in*
v. 28. *eo, ut, cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in*
C. 4. v. 16. *adventu ejus:* ac poſteà, *Deus charitas eſt; & qui manet in charitate, in*
17. *Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, ut fi-*
duciam habeamus in die judicii, quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mun-
do. Igitur quiſquis ſancto terrenarum rerum contemptu, & ſpiritu Dei
rapitur ſupra ſe, ut percipiat arcana illa cœleſtia, quæ revelata ſunt;
necnon quævis anima ſancta integritate fidei ſuæ, & puriſſimâ charita-
te Chriſto copulata, *dicunt* ex abundantiâ cordis ſui, *Veni*, obſervandiſ-
ſime magiſter, & amantiſſime ſponſe, impleturus citò, quæ in gratiam
tuorum prædixiſti, & promiſiſti, ad tui ipſiuſmet gloriam, & æternam
illorum felicitatem.

Ex verſ. 17. *Et qui audit, dicat, Veni.*

Qui audit, ac mente percipit verba prophetiæ hujus, optet etiam
Salvatoris, cui fidem ſervaverit, adventum, ut liberatus ab omnibus
hujus ſæculi calamitatibus ſummum in cœlis bonum aſſequatur: ait enim
2. ad Tim. Paulus, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In*
4. v. 7. 8. *reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die*
juſtus judex: non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum
ejus.

Ex verſ. 17. *Et qui ſitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ,*
gratis.

Qui etiam ardentiſſimâ charitate Chriſtum tanquàm fontem vitæ ſitit,

accedat

accedat fiducialiter ad ipſum, *haurietque aquas in gaudio de fontibus Sal-* Iſai. 12.
vatoris; & torrente voluptatis potabitur. Denique, qui piè, ac juſtè vi- v. 3.
vens in hoc ſæculo, vult ſincerè, & ex animo vivere in æternum apud
Deum, vitam ipſam æternam ex Dei gratiâ, quæ præcedit, comitatur,
& ſubſequitur omne opus bonum, & eſt principium omnis meriti, con-
ſequetur: Undè aiebat Doctor gentium, *gratia Dei, vita æterna in* ad Rom. 6.
Chriſto Ieſu Domino noſtro. v. 23.

Verſ. 18. *Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus; ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.*

Verſ. 19. *Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de Civitate ſanctâ, & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.*

Verſ. 20. *Dicit, qui teſtimonium perhibet iſtorum.*

Euſebius hæc ex Joſepho de Sacræ Scripturæ libris refert. *Quantùm* Euſeb. hiſt.
fidei, & authoritatis noſtræ ſcripturæ libris tribuamus, reipsâ ſatis perſpicuum l. 3. c. 9.
eſt. Nam tanto, & tàm diuturno ævi curriculo decurſo, nemo illis, vel addere, vel adimere, vel quicquam denique in eis commutare auſus eſt. Immò, quòd rata Dei præcepta, decretaque ſint, pro certo exiſtimare; iiſdemque firmè adhæreſcere; & pro illis, ſi opus ſit, vitam libenter profundere non dubitare, omnium Iudæorum animis ſtatim ab ineunte ætate quaſi inſitum, & innatum eſt.

Is ſanè pietatis ſenſus erga Sacras Scripturas inditus erat Joanni;
ideoque cùm pro comperto haberet Apocalypſim, quam tradebat, eſſe Ap. c. 1. v. 1.
verè revelationem à Jeſu Chriſto derivatam, & juſſu illius, prout di- 19.
ctaverat, conſcriptam, peroptat nè quicquam ei addatur, vel detraha-
tur; & addentibus, vel detrahentibus graves pœnas comminatur ex zelo
divinæ veritatis, quam non licet cuiquam adulterare; ſed ſincerè, ut
eſt, illam oportet excipere, & aliis commendare: *Quæcumque enim* ad Rom.
ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & 15. v. 4.
conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus, & vitam æternam habeamus. Ioan. 5.
Ex verſ. 20. *Etiam venio citò. Amen. Veni, Domine Ieſu.* v. 39.

Amantiſſimus Salvator venturum ſe citò iis modis, quos antè expoſuimus, iterùm affirmat ad ſolatium fidelium ſuorum; idque confirmat juramento quodam ſolemni, cùm dicit, *Amen.* Verè ita eſt; adventum meum non differo pluſquàm par ſit. Venio tàm citò, ut mali, quos veniens debitis pœnis afficiam, adventum multò velociorem, quàm vellent, cenſebunt; Sancti autem, quos æternâ gloriâ remunerabo, cuncta ſæcula, quæ ab hoc tempore uſque dùm veniam, effluxura ſunt, nonniſi aliquot momenta reputabunt, ad beatam æternitatem, quâ perfruentur, comparata.

Eam beatitudinem quiſque fidelis, piè affectus, ſuper omnia deſideret; ac, ſi Chriſtum Salvatorem, uti debet, ex toto corde diligit, dicat cum dilecto, & amantiſſimo Chriſti Diſcipulo, *Amen*; fiat, quod promittis. *Veni, Domine, Ieſu, Veni*; & rape me ad te, ut ſim ſemper

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS RERUM OMNIUM NOTABILIUM,

Quæ in hac Apocalypſis B. Joannis Apoſtoli Explanatione Hiſtorica continentur.

Solus numerus paginam deſignans, facilioris adinventionis gratiâ, appoſitus eſt.

A

Abyſſus.

ABYSSI nomine pluribus in locis Apocalypſis mare intelligendum eſt. p. 468

Abyſſi clavis : vide verbo *Clavis.*

Achab.

Achab impietatis, & ſcelerum Jezabelis particeps, audiens per Eliam imminentia ſibi mala, humiliatus obtinet miſericordiam à Domino. 67. Poſteri ejus plectuntur ob ejus peccata. ibid. & ſeq.

Adoleſcens.

Adoleſcens quidam, urbis Epiſcopo à B. Joanne commiſſus educandus, probè inſtruitur, & tandem Baptiſmi Sacramento illuminatur; ſed ex ejuſdem Epiſcopi indulgentia,& incuria labitur. 76

Adrianus.

Adrianus Judæos ad bellum irritat, & quibus ex cauſis. 150. Præcipuos Romanorum Duces adverſus eos mittit. 151

Agapes.

Agapes priſcorum Chriſtianorum quid fuerint, explicatur ex Tertulliano, & quæ fuerit ſolemnis ſignificatio vocis ἀγάπη, apud primævos Scriptores Eccleſiaſticos trita. 41

Agnus.

Agnus innocens ab Iſaïa prævíſus occidendus, Chriſtum præfiguravit. 132. Et à Joanne viſus in cœlo tanquam

tanquam occiſus. 133. Septem habebat cornua, & ſeptem oculos, & quid ſignificarent. ibid. Accepit librum obſignatum de manu ſedentis in throno. ibid.

Agni duo antiquitus in Templo Judaïco ſingulis diebus immolabantur, & quis ritus in eorum immolatione ſervabatur. 135

Alamundarus.

Alamundarus Saracenorum Rex, vir excelſo animo, & bellicoſo. 462. Magna Varani Perſarum Regi, ſed inaniter pollicetur. ibid. Profligantur ejus copiæ magna ex parte. ibid.

Alaricus.

Alaricus graviter Romam afflixit. 433. Vide *Roma*.

Altare.

Altare duplex in Templo antiquo. 158. Duplex etiam B. Joanni in cœlo exhibetur. ibid. & ſeq. Quare ſubtus altari holocauſtorum apparent Martyrum animæ. 159

ſub Altaribus juſtè Martyrum corpora ſepeliuntur. ibid. & ſeq.

Altaria aliquando erecta in locis ubi Martyres paſſi fuerant. 160

ex Altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei, quatuor cornibus vox emittitur, & quid prædicat. 221. & ſeqq.

B. Ambroſius.

B. Ambroſius, Florentinis obſeſſis & deſperantibus, cuidam apparens ſalutem promittit. 463

Amethyſtus.

Amethyſtus lapis ſculpturâ facilis. 497. Quis ejus color, & quare Apoſtolis comparetur. ibid.

Amor.

Amor, cordis oculus. 21. in fin.

Angelus.

Angelus humanâ formâ, Chriſto dum in humanis ageret, ſimili, apparet Joanni in medio ſeptem candelabrorum aureorum. 10

Angeli congruè ſeptenario numero contineri videntur. 112. Miſſi nomen accipiunt ex his quæ miſſionis tempore peragunt. ibid. Quare ſeptem ſpiritus Dei dicuntur. ibid. Septem lampadibus ardentibus comparantur. ibid. & ſeq.

Angeli licèt omnes adminiſtratorii ſpiritus, alios tamen alii miniſterii ſui dignitate ſuperant. 115

Vide verb. *Beatus*, *Sanctus*.

Angeli quatuor in extremis quatuor, & oppoſitis terræ partibus viſi ſtantes & erecti. 171. Quintus verò aſcendens ab Oriente, & quare. ibid. Præfert ſignum Dei & quale. ibid. & ſeq. clamat voce magna, & ad quid. 172

Angeli omnes in circuitu throni, & Seniorum ſtantes, omnium Sanctorum canticum concludunt. 185

Angeli fidelium orationes Divinæ Majeſtati offerunt. 192. & ſeq. Ad clangorem emittendum paratiſſimi. 194

Angelus futurarum plagarum prænuntius, quare ſub ſpecie aquilæ appareat. 208

Angelorum turma à B. Joanne viſa, Chriſto aſtantium. 139. & ſeq. Quàm humiles, & Deo ſubjecti. 140. Animabus hominum in cœlum aſſumptis locum cedunt, ac gloriantur, quod adminiſtratorii fuerint illorum, qui hereditatem capiunt ſalutis. ibid.

Angelorum multitudo perfecta 140. Maximè peroptant, ut Chriſtus Divinitatem, ſapientiam, poteſtatem, & fortitudinem ſibi convenientem exerat. 142

Angeli ſub equeſtris exercitus ſpecie B. Joanni

Digitized by Google

B. Joanni exhibiti, peſtis ſigna diagnoſtica præ ſe ferebant. 223. & ſeq.
Angeli regnum Dei annuntiantis figura qualis. 230. Dextrum pedem ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram ponit, & quare. ibid. Voce magna clamavit, & quid inde ſequutum ſit. ibid. & ſeqq.
Angelo ſeptimo tuba canente conſummatur myſterium Dei, impietatiſque paganæ ſubverſio ſignificatur. 269
Angeli etiam mali, dici poſſunt ſpiritus fulgentes, & comparari ſtellis cœli. 286. Varia eorum nomina. ibid.
Angelorum malorum turmæ duæ ante Incarnationem Verbi Divini, ad expugnandum duplex genus hominum. ibid.
Angeli mali quando in tres turmas diviſi. 287
Angelorum bonorum zelus in obſequium fidelium Dei ſervorum variis exemplis probatur. 294. & ſeq.
Angeli boni victores adversùs dæmones. 297. & ſeqq.
Angelorum gaudium ex rejecta impietate ethnica, & expulſis idololatriæ vitiis. 302
Angelus volans per medium cœli, Evangelium æternum habens, omnibus nationibus evangelizans, à B. Joanne viſus. 359. & 360.
Angelus Romanam ruinam prædicens. 361
Angelus ſtans ſuper nubem, coronam auream in capite geſtans, & falcem in manu ſua, ab alio præcipitur falcem ſuam mittere, & metere. 365
Angeli alii à B. Joanne viſi. 367. & ſeq.
Angeli ſeptem, ſeptem plagas noviſſimas habentes. 375. & ſeqq. Unde exeunt. 377. Accipiunt ſeptem phialas aureas plenas iracundiæ Dei. ibid. Jubentur eas effundere. 379. & ſeqq.
Angelus ſeptimus effundit phialam ſuam in aërem, & quid inde ſequatur. 398. & ſeqq.
Angelus B. Joanni ſignificat, omnia quæ dixit ei, juſſu Dei prolata, & tanquam Dei verba excipi debere. 446. & ſeq. Venerationem quam B. Joannes ei exhibebat, rejicit. 447. Conſervum ſe profitetur, & teſtimonium Chriſto perhibere. 448
Angelus futuras paganorum clades ſub Honorio, & Theodoſio juniore prænuntians, ſtabat in ſole. 460. & ſeq. Appoſitè aves ad magnam cœnam vocat. 461
Angelus deſcendit de cœlo, clavem habens abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. 468. & ſeq. Ligavit diabolum per annos mille, eique prohibet, ne per hoc tempus ſeducat gentes. 469
Vide Diabolus, Satanas, Turca.
Angelum ſuum miſit Dominus oſtendere ſervis ſuis Chriſtianis quæ oportet fieri citò. 505
Angelus Apocalyſis in humilitate perſtat. 506

Anima.

Animæ Sanctorum Martyrum in cœlis receptæ B. Joanni exhibentur tanquam in tribunalibus conſidentes, Angelos apoſtatas judicaturæ. 471. Authoritatem habent à Chriſto de rebus humanis judicandi. 473. Fideles in ſuis neceſſitatibus ad eas recurrentes in multis juvant. ibid.

Animæ Martyrum quare dicantur in cœlis cum Chriſto vivere mille annis. 473. & ſeq.
Vide *Martyr.*
Animæ Chriſto copulatæ deſiderium. 508

Animal.

Animalia quatuor cœlitus B. Joanni oſtenſa, quid ſignificarent, declaratur. 116. Quare plena oculis antè & retrò oſtenſa. ibid. Singulorum effigies quales. 117. & ſeq. Eorum ſingula ſex alas habebant. 120. & ſeq. Quid ſignificarent. 121. Requiem nullam habent die ac nocte. 123. Sacrum triſagium ſemper Chriſto concinunt.ibid Benedictionem dant ſedenti ſuper thronum. 125
Vide verb. *Levita, Sanctus.*
Animalia quatuor myſtica prona coram Agno accipiente librum ad aperiendum, cadunt.135. Quo ſenſu dicantur habere ſingula citharas, & phialas aureas plenas thymiamatum. ibid. & ſeq.
Animal primum ſtatim ſoluto primo ſigillo libri cœleſtis, B. Joannem excitat ad videndum. 145
Animal ſecundum quare ſub bovis ſpecie, poſt apertum ſecundum libri cœleſtis ſigillum, B. Joanni apparet. 149
Animal tertium quare ſub ſpecie hominis Joannem movet ad videndum librum, ſtatim aperto ſigillo tertio. 152
Animal quartum, quarto reſignato ſigillo, Joannis mentem evocat ad ſigna videnda in cœleſti libro contenta. 155. Congruenter ſub aquilæ ſpecie apparet. ibid.

Anthrax.

Anthrax, novus ſub Maximino morbus, mortifera pericula ſecum afferens. 380. Innumeros excæcavit. ibid.
Vide *Peſtis.*

Antiſtes.

Antiſtites ſacri quàm Deo chari. 38. Ab eo tamen corripiuntur. ibid. Virtutum ſplendore nitere debent. ibid.
Vide verbo *Epiſcopus.*

Antoninus Pius.

Antonini Pii tempore quæ adverſa evenerint. 203
Vide verb. *Aqua, Stella.*

Apocalypſis.

Apocalypſis nomen quid ſignificet, & quæ declaranda contineat. 2
in Apocalpſi revelata multa,etſi brevi eventura, quare variis verborum figuris obtecta. 3
Apocalypſis res ſancta, cujus quot verba, tot ſacramenta: & quò ſanctior, eò magis ſub multiplici ſignorum ſpecie infidelium oculos latet. ibid.
Apocalypſis B. Joanni à Chriſto ſignificata,& per quem ibid.& ſeq.
Apocalypſis verba, *Quæcumque vidit*, & ad Joannem, & ad Chriſtum referenda ſunt. 4
in Apocalypſi revelata legenti, audienti, & ſervanti beatitudo promittitur. ibid. & p. 5
in Apocalypſi ſcripta brevi prædicuntur eventura. ibid. & quo ſenſu intelligendum. 3
Apocalyſis ad ſeptem Aſiæ Eccleſias dirigitur. 6
Apocalypſis verba, *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt*, & de Deo, & de Chriſto ut homine intelligenda. 7. & 14
Apocalypſis prophetiam obſervanti beatitudo promittitur. 505

Apocalypſis verba ſignari prohibentur. 506
Vide *Ioannes*, *Angelus*.

Apollonius Thyanæus.

Apollonius Thyanæus, inſignis magus, Epheſo Smyrnam ad magicas ſuas nequitias diſſeminandas profectus eſt; hinc Pergamum, ubi magno in honore habitus eſt. 18

Apoſtolus.

Apoſtoli fundamenta ſunt muri cœleſtis civitatis. 495. Comparantur duodecim margaritis. 496. & ſeq.
Apoſtolorum perfectio in quo attendenda. 497
Apoſtolorum doctrina pretioſiſſima, & præſtantiſſima inſtar unionum. ibid.

Aqua, & Aquæductus.

Aquarum tertia pars amaritudinem contraxit, quam cometa tempore Antonini Pii apparens, produxit, vel præſignificavit. 205
ex Aquis illis epotis Ethnici multi interempti. 206
Aquæ in ſanguinem converſæ in ſeditione Alexandrina ſub Gallieno Imperatore. 147
Aquæ fluviales & fontanæ ita corruptæ, ut bibentibus mortem inferrent. 382
Aquæ Euphratis ſiccatæ, ut præpararetur via Regibus ab ortu Solis. 386. & ſeqq.
Aquæductus plurimi tempore Imperii Romani, quorum monimenta præclara ſuperſunt, etiam in Gallia. 204
Aquæductus celebris Lutetiam Pariſiorum copioſas aquas deferens. ibid.

Aquila.

Aquilas ſuas Romanorum aquilis opponit Chriſtus. 208
ex Aquilarum volatu quàm ſuperſtitioſam impietatem inferrent Romani. ibid.
Aquila volucrum rapaciſſima, & animalibus lethifera. ibid.
Aquilæ cum dracone actius eſt certamen. 305
Aquilæ magnæ comparatione intelligi poteſt in Scriptura Deus, & ejus Eccleſia. 306
Aquila volucrum omnium maxima, volatu ſuo ad excelſiores uſque rupes contendit. 307

Arca.

Arca Teſtamenti, in quâ Templi parte collocata. 276. Figura Crucis fuit. 277
Arca Teſtamenti à B. Joanne in Templo cœleſti viſa, quid deſignaverit. ibid.

Armagedon.

Armagedon, locus in quo Julianus à Perſis victus. 394. Quare ita dictus, & non *Mageddo*, ibid. Variæ ejus interpretationes. 395. Explicantur. 396. & ſeq.

Attalus.

Attalus civis Pergamenius Chriſtianus, per calumniam cum aliis Chriſtianis martyrium patitur. 58
Attalus martyrium patiens, crimen in tortores regerit, eiſque ſævitiem exprobrat. 60

Aves.

Aves ad magnam cœnam vocantur, & congregantur. 461. Quàm magna fuerit hæc cœna. ibid. & ſeq.

Aurum.

Aurum ignitum & probatum, charitatem ardentem, ſapientiam Divinam, & Chriſtianam eloquentiam deſignat. 101. Charitati comparatur. ibid. Tripliciter à Laodiceno Epiſcopo emendû declaratur. 103

Digitized by Google

B

Beatus.

Beati per Levitas in circuitu ſedis B. Joanni apparentes deſignati. 115. Eorum cum illis comparatio. ibid.

Beati antiquorum Levitarum munia eminenter, & ſanctiſſimè in cœlo perficiunt, ad gloriam Dei. 122

in Beatis erit perfecta ſanitas perfectæ ſanctitati conjuncta. 503

Beati perfectiſſimè benedicti à Deo. ibid.

Beati revelata facie Deum ſpeculantes, in eum transformantur. 504

Vide verb. *Levita*, *Sanctus*.

Benedictio.

Benedictionis nomen pro quo uſurpetur in Scriptura. 125. Quomodo dari dicatur Chriſto à quatuor myſticis Animalibus. ibid.

Beryllus.

Berylli lapidis colores duo. 496. Apprimè Apoſtolis adaptantur. ibid. & ſeq.

Beſtia.

Beſtiæ non immeritò à Prophetis nominantur homines beſtiis ipſis ſæviores. 322

Beſtiæ à B. Joanne viſæ deſcriptio, & ſignificatio. 322. & ſeq.

Beſtiæ immanis ex tribus feris, pardo, urſo, & leone compactæ, interpretatio. 324

Beſtiæ Imperium Romanum ethnicum repræſentantis immanitas deſcribitur. ibid. & ſeq.

Beſtia prima B. Joanni exhibita, viſa eſt aſcendere de mari; ſecunda autem de terra, & quare. p. 323. & 337

Beſtia ſecunda bicornis, viſa eſt habere cornua ſimilia agni, & tanquam draco loqui. 338

Beſtiæ ſecundæ ſigna inſolita. 342. & ſeq.

Beſtiæ character in manibus, aut frontibus Chriſtianorum apoſtatarum, ut emere, vel vendere poſſent. 346. & ſeq.

Beſtiæ nomen in libello, quo eximebantur Chriſtiani à neceſſitate palam idolis ſacrificandi. 347

Beſtiæ numerus computatur. 349. & ſeq.

Beſtiæ nomine multi Reges & Imperatores Ethnici Chriſtianæ Religionis perſecutores, intelligendi veniunt. 464

Blandina.

Blandina virgo Lugdunenſis, tormentorum ſuorum dolores, prolatione verborum, *Chriſtiana ſum*, ſublevabat. 60. Eoſdem certaminum curſus exultans remetitur, ac nullum cruciamentorum ſenſum habens, tandem enſe jugulatur, ac martyrio coronatur. ibid.

Bubo.

Bubones peſtiferi quas potiſſimùm humani corporis partes afficiant. 227. Unde dicantur ſerpentibus ſimiles. ibid.

Vide *Carbunculus*, *Peſtis*.

Byzantium.

Byzantium urbs maritima, & munitiſſima. 199. Situs ejus è regione maris, amicis gratiſſimus, hoſtibus moleſtiſſimus. ibid. Obſidetur. ibid.

Byzantiorum tum in urbe obſidionem ſuſtinentium, tum eâ ſecedentium miſeranda calamitas. ibid. & ſeq. Aſianis nota fuit antequàm ab eis audiretur. 200. Urbis deditionem faciunt Byzantii. ibid.

Byzantii mœnia ita diruta, ut ſi ea Barbari

Barbari cepiſſent, non Romani. 200. In eis ſeptem turres vocales mirabili artificio conſtructæ. ibid.

Byzantium à B. Ioanne dictum, *tanquam mons*, ſicut olim Iſaias Babylonem montem nuncupavit. ibid. Quare dictum igne ardens. 201

Byzantii in tres partes diviſi. 201. & ſeq. Eorum tertia pars interiit. ibid. Navium etiam tertia pars periit. 202

Byzantio juſtitiæ divinæ decreto attribuitur, quod Iſaias dixit de Tyro. ibid. In illius excidio dictum, *Chriſtiani gaudete.* ibid.

C

Calculus.

CAlculo nigro per calumniam ab iniquis judicibus notati Chriſtiani, calculo candido à Chriſto donantur, ac nomine novo decorantur. 59. & ſeqq.

Vide verbis *Chriſtianus*, *Martyr.*

Candelabrum.

Candelabra ſeptem à B. Joanne in Apocalypſi viſa, quare ſeptem Eccleſias Aſiaticas deſignaverint. 35. Quare ipſa aurea. ibid.

Candelabri Tabernaculi ſtructura. 38

Canticum.

Canticum à fidelibus Romæ præſertim degentibus cantatum poſt Maxentium à Conſtantino victum. 375. & ſeq. Quale fuerit. 376

Cantico Moyſis addebant fideles canticum Chriſti Domini. ibid.

Carbunculus peſtilens.

Carbunculi peſtiferi cauſæ quæ. 227. Ejus figura, & maligni effectus. ibid.

Vide verbo *Peſtis.*

Carbunculus lapis.

Carbunculus lapis unde dictus Chalcedonius. 496. Fulgor ejus quid exhibeat. ibid.

Carpocratiani, & Cerinthiani.

Carpocratiani, & Cerinthiani hæretici nequiſſimi, ab Oneſimo Epheſinæ Eccleſiæ Præſule abiguntur. 39. Chriſtiano nomine abutuntur, & non tantùm ſe Jeſu ſimiles, ſed etiam eo fortiores nefariè jactant. ibid.

Charitas.

Charitas virtus Chriſtianorum propria. 41

Charitatis opera à primævis Chriſtianis authoritate Epiſcoporum exerceri ſolita, ex Juſtino Martyre, Tertulliano, & B. Ignatio deſcribuntur. ibid. & ſeq.

Charitas prima, quam vituperatur Oneſimus Epheſiorum Epiſcopus reliquiſſe, quæ fuerit. 42. & ſeq.

Carpus.

Carpus Thyatiræ Epiſcopus. 63. Quare ad eum ſcribit B. Joannes ſtatim ac ad Pergamenſem Præſulem mandata Domini direxit. ibid. Ejus opera & virtutes recenſentur, & laudantur, eo quòd noviſſima plura prioribus. 64. Deinceps tamen à Chriſto reprehenditur, & quare. ibid. & ſeqq.

Carpo, ejuſque Clero promittit Dominus, ſe non miſſurum ſuper eos pondus. 69

Chriſtus.

Chriſtus, ut homo, Patre minor, & in terris degens, & inter cœlites agens, in omnibus ei obedit, & morem gerit. 2

Chriſtus pridie paſſionis ſuæ diſcipulos ſuos amicos vocat, & quare. ibid.

Chriſtus teſtis fidelis. 8. Primogenitus mortuorum. ibid.

Chriſtus Princeps Regum terræ dicitur. 9

Chriſti erga nos dilectio, & alia beneficia recenſentur? ibid. & ſeq.

Chriſtus & Reges, & Sacerdotes nos facit. 10

Chriſtus ſolus ex hominibus tanquam Rex immortalis cum Patre & Spiritu Sancto glorificandus. ibid.

Chriſtus ſolus & unus Salvator & Rex, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. ibid.

Chriſtus aſcendit in cœlum nube obvolutus, quæ abſcondit eum ab oculis Apoſtolorum; in nube verò de cœlis deſcendet, quæ eum omnibus planè hominibus conſpicuum faciet. 11

Chriſtus in medio ſeptem candelabrorum aureorum apparens, cur podere veſtitus Joanni viſus eſt. 20

Chriſtus Joanni apparet veſtitus tunicâ hiacynthinâ, & præcinctus ad mamillas zonâ aureâ. 21

Chriſti tanquam Pontificis à B. Joanne viſi habitus, & ornatus reliquus explicatur. ibid. & ſeqq.

Chriſtus tanquam Pontifex apparens Joanni, congruenter viſus eſt thiaram byſſinam candore niveo in capite geſtans, cum capillis veneranda canitie albicantibus. 22

Chriſti oculi ſub forma Pontificis apparentis Joanni, cur micantes tanquam flamma ignis. ibid. & ſeq.

Chriſti quadruplicem zelum indicant ejus oculi micantes, & tanquam flamma ignis ſcintillantes. 23

Chriſtus tanquam Summus Sacerdos apparens B. Ioanni, viſus eſt nudis pedibus, iiſque ſplendentibus tanquam æs candens in fornace. 24

Chriſtus in ore ſuo portat gladium bicipitem. 26. & ſeq.
Vide verbo *Gladius*.

Chriſtus à Joanne viſus facie rutilante tanquam ſol, & quare. 27

Chriſtus Sanctus Sanctorum, Sanctus Dei Filius, &c. dictus. ibid.

Chriſtus multiplici ſenſu primus & noviſſimus dicitur. 29. & ſeq.

Chriſti ad Ioannem ex ejus aſpectu ſtupefactum, colloquium. 30

Chriſtus Ioanni dicens ſe primum, & noviſſimum, quid ei ſignificare intendat. 32

Chriſti humanitas Divinitatem ſibi inditam non exeruit, nec immenſos cognitionis ſuæ theſauros protulit, niſi paulatim, in gratiam Diſcipulorum, & ad Patris libitum. ibid.

Chriſtus morte ſua promeruit ſibi ipſi gloriam, hominibus autem gratiam, quâ Diſcipulos ulteriùs ſapientiæ ſuæ luce perfunderet, brevì in omnes gentes refundendam. 35

Chriſtus mortis ſuæ pretio infinito promeruit, ut electis ſuis in terra degentibus innumera arcana cœleſtia revelaret. ibid.

Chriſtus ſolus dignus aperire librum quo continentur arcana rerum futurarum B. Ioanni revelandarum. ibid.

Chriſtus Ioanni præcipit ſcribere quæ vidit, & quæ ſint. ibid. & ſeq.

Chriſtus anno Pontificatus ſui nonageſimo & octavo ſanctiùs & juſtiùs ſe gerit erga Eccleſiæ ſuæ miniſtros, quàm Summus Sacerdos Heli erga filios ſuos Sacerdotes. 37

Chriſtus mente perambulans Aſiaticas Eccleſias, quid in Epiſcopo &

& Clero Epheſino reprehendendum viderit. 38.& ſeq.
Chriſtus admonitionem & comminationem Epheſino Præſuli & Eccleſiæ factam ad omnes Epiſcopos & Eccleſias etiam dirigit. 45
Chriſtus commendationem æternitatis ſuæ præmittit laudibus, quas Polycarpo daturus eſt, & quare. 47
Chriſtus nullum adeſſe metum ubi Patris charitas, nec ullam moleſtiam ubi fides viget, in Martyribus notum facit. 60. & ſeq.
Chriſtus oculos habens ardentes tanquam flammam ignis, & pedes ſimiles aurichalco, ad Præſulem Thyatirenſem mandata dirigit, & quare. 63,& ſeq.
Chriſtus fidelibus promittens daturum ſe ſtellam matutinam, mirabilem Ethnicorum, aliorumque hæreticorum converſionem eis pollicetur. 72
Chriſtus attentos optat omnes ſervos ſuos ad ea quæ Thyatiræ Præſuli, ejuſque Clero & populo ſignificavit. 73
Chriſtus ut homo Patrem nuncupat Deum ſuum. 89
Chriſti nomen antiquum in terra, & novum in cœlo. 91
Chriſtus ſeipſum dicens *Amen*, principium ſe & finem eſſe declarat. 94. & ſeq.
Chriſtus Laodicenum Epiſcopum alloquens, convenientiſſimè ſeipſum *Amen*, nuncupat, & quare. 95. & ſeq.
Chriſtus ſe teſtem fidelem & verum dicit, & quare. 96
Chriſtus tripliciter principium creaturæ Dei dici poteſt. 97 & ſeq.
Chriſtus ut homo, reſurrectione ſua maximè, ac unicè creatura Dei eſt. 98. Hodie genitus, & ex utero genitus dicitur. ibid.
Chriſtus Præſulem Laodicenum alloquens, quare ſe principium creaturæ Dei dicat. 99. Ei ſuadet ut aurum ignitum & probatum emat. 102. & ſeq.
Chriſtus in cœlo ſedens, tanquam Pontifex, tanquam Rex, tanquam Iudex, & tanquam Deus à B. Ioanne videtur. 108. viſus eſt fulgere quaſi jaſpis & ſardius, & ambiri iride. ibid. Congruentiæ hujus ornatus declarantur. 109. & ſeq.
Chriſtus tanquam Pontifex Sanctis & aliis Beatis in cœlo vallatus B. Ioanni exhibetur. 115
ad Chriſtum refertur triſagium ſacrum quod à myſticis Animalibus jugiter in cœlo decantatur. 123. & ſeq.
Chriſtus Dominus & Deus, qui eſt, qui fuit, & qui venturus eſt. 124
Chriſto datur honor, gloria, & benedictio à quatuor myſticis Animalibus. 125
Chriſtus ut ſanctus ſedet in throno, vitamque immortalem ducit. ibid.
Chriſtus ſolus dignus inventus aperire librum obſignatum B. Ioanni oſtenſum. 132. Agnus dictus à Ioanne Baptiſta, & ita ab Iſaia prævíſus. ibid. Tanquam occiſus à B. Ioanne in Apocalypſi viſus, & quare. 133. Quare cum ſeptem cornibus, & oculis ſeptem viſus. ibid. Ut homo, & Rex, accipit à ſeipſo ut Deo & Pontifice librum obſignatum. ibid.
Chriſtus ut Pontifex, ut Rex, ut Iudex, ut Filius Dei, morte ſua promeruit accipere librum arcana di-

vina

vina complectentem, & illa patefacere. 157 & ſeq.

Chriſtus etſi voluntariè crucifixus, dignus eſt tamen oſtendere Iudæis & gentibus quod ſit verè Dei Filius, Dei virtus, Dei ſapientia. 141. & ſeq. Saturatus opprobriis in morte ſua, meretur ab omni creatura honorem, gloriam, & benedictionem. 142

Chriſtus albo equo inſidens, & arcum tenens apparet. 156. Coronatus, & victor etiam viſus eſt, & quid hoc præfigurabat. ibid. & ſeq.

Chriſtus in terris degens annonam multiplicat; in cœlis verò conſidens Ethnicos penuriâ affligit. 153

Chriſtus etiam Romæ crucifixus dici poteſt. 255

Chriſtus in ſæcula ſæculorum regnabit poſt Romanum Imperium à Diaboli poteſtate vindicatum. 271

Chriſto regnante iratæ ſunt gentes. ibid. & ſeq.

Chriſtus patiens & benignus in Ethnicos Chriſtianorum perſequutores, in eos tandem iraſcitur. 272

Chriſtus & ſigno Crucis, & ſtupendis tonitruis, grandine, & terræ motu inanes hoſtium ſuorum conatus oſtendit. 279

Chriſtus morte ſua ſibi, fidelibus ſuis, ac ſanctis Angelis, de præſtigiis, aliiſque dæmonum, atque Ethnicorum ſceleribus victoriam promeruit. 301

Chriſtus ſub Pontio Pilato paſſus, tamen ab origine mundi dicitur occiſus. 333

Chriſtus etiam ſedens in gloria Patris, laudem & gloriam omnem ſibi à Cœlitibus delatam, Patri refert, & ab aliis deferri vult. 444

Chriſti cum Eccleſia ſpiritale matrimonium in terris incipit, & in cœlo perficietur. 446

Chriſtus equo albo inſidens B. Ioanni exhibetur. 449

Chriſti nomen quod nemo novit, niſi ipſe, quodnam ſit. 454

Chriſtus cur præſertim ſe Verbum dixit Apocalypſis cap. 19. verſ. 12. 455. Cur ſe exhibet ſanguine ſuo, & hoſtili aſperſum. ibid.

Chriſtus dicitur calcare torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis. 457. Habet in veſtimento & femore ſcriptum, *Rex Regum, &c.* 458. & ſeq.

Chriſtus in Imperio Conſtantinopolitano regnavit, quandiu ab Imperatoribus Chriſtianis gubernatum fuit. 474

Chriſtus Eccleſiæ militantis & triumphantis murus. 493

Vide *Civitas*.

Chriſtus murus cœleſtis civitatis, circumambiens eam, & cives ejus. 495. & ſeq.

Chriſtus homo Deus templum cœleſtis civitatis. 499

Chriſti ultimus adventus hominibus tardus, velox eſt Deo. 505

Chriſtus omnium hominum principium, & finis. 507

Chriſtus lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis Iſraël miſſus. 508

Chriſtianus.

Chriſtianos juſtos & ſanctos etiam aliquando gladio oris ſui perſequitur Dominus. 57

Chriſtiani Pergami & aliorum locorum, tametſi ſancti & caſti, tanquam Nicolaïtarum, & Gnoſticorum flagitiis contaminati, atrocem perſecutionem patiuntur. 58

Chriſtianis libidinem caſtitate, & gulam

Digitized by Google

gulam temperantiâ vincentibus quale præmium à Chriſto repromittitur. ibid. & ſeq.
Chriſtiani ſancti calculo nigro ab impiis judicibus notati, calculo candido à Chriſto donabuntur, & nomine novo. 59
in Chriſtianis, in quibus abundaverint paſſiones Chriſti, ſuperabundabit per Chriſtum conſolatio multiplex. ibid.
Chriſtiani nomine ſolo gloriabantur Martyres Lugdunenſes & Viennenſes, eiſque pro nomine, pro civitate, & pro genere fuit. 60
Chriſtiani ex morbis peracerbis & inſolitis digitum Dei impios percutientem, eorumque ſcelera ulciſcentem cognoſcunt. 68. & ſeq.
Chriſtiani Thyatirenſes benignè corripiuntur à Domino, quorum conſtantiam & perſeverantiam in fide peroptat. 69
Chriſtianos inter & Gnoſticos, & alios infideles, quale ſit diſcrimen, etiam ante tempus noviſſimum indicabit Dominus. 71
Vide verbo *Fideles.*
Chriſtianæ religionis ſplendor Gnoſticorum, & aliorum nequitiâ obſcuratus, eorum detectis ſpurcitiis & erroribus magis dilatatur. 72
Chriſtiani Sardii quare non tam acerbè reprehenduntur, ac nonnulli Pergami, & Thyatiræ degentes. 78
Chriſtiani multi tempore Tertulliani gentilium ſpectacula adibant, cum iiſque in aliis rebus profanis communicabant, ex quibus inquinabantur. 79. & ſeq.
Chriſtiani pauci Sardenſes non inquinaverunt veſtimenta ſua, ſed cum Chriſto in albis ambularũt. 81
Chriſtianus uſque in finem perſeverans, non delebitur de libro vitæ, ſed cohæres Chriſti, ac felicitatis ejus conſors futurus eſt. ibid. & ſeq.
Chriſtiani omnes utilitatem conſequi debent, tum ex iis quæ in multis Sardenſibus vituperavit Dominus, tum ex iis, quæ in nonnullis ejuſdem Eccleſiæ fidelibus laudavit. 82
ad Chriſtianos omnes præclara admonitio, ex Tertulliano. ibid. & ſeq.
Chriſtiani nomine civitatum, quas incolebant, vel quarum privilegiis gaudebant, aliquando nuncupabantur. 89
Chriſtiani tum ab Ethnicis, tum à Judæis varias & graves perſecutiones perpeſſi. 151. Quales tunc temporis erant. ibid.
Chriſtiani ſalvi fiunt, dum plectuntur impii Ethnici. 171. Quo ſigno velit Chriſtus eos notari, ut ab infidelibus ſecernantur. 172. Quare ad hanc diſcretionem moveatur Deus. ibid. & ſeq.
Chriſtiani Divinâ Providentiâ vel exempti fuere à plagis Ethnicis inflictis; vel ſi aliquando viſi ſint iiſdem calamitatibus involvi, nullum tamen inde detrimentum paſſi ſunt, ſed utilitates potiùs percepere. 173. & ſeq.
Chriſtiani filii Iſraël, & veri Iſraëlitæ. 175. Filii Jacob, & quare. ibid.
Chriſtiani, tamquam novi Iſraëlitæ, ad certamen adverſus omnes impias nationes ineundum, ſacri milites eliguntur. 176. Qui ex eis ſeligantur ad ſacrum bellum feliciter ineundum. 177. Signantur ſigno Dei vivi. ibid. & ſeq.

Chriſtianis quàm aptè conveniat tribuum Iſraëliticarum obſignatio juxta ejus ordinem. 178. & ſeq.
Chriſtiani filii doloris,& filii dexteræ. 180
in Chriſtianis mirabiliter complentur, quæ Iſraëlitis poſt egreſſum ex Ægypto in figura contigere. 183. & ſeq.
Chriſtiani in cœlum recepti perſecutiones graviſſimas ab Ethnicis ſunt paſſi. 187. Stolas ſuas laverunt in ſanguine Agni. ibid.
Chriſtiani, Decio, & Diocletiano imperantibus dira paſſi, locaque in quibus ad privatos uſus degebant, & publicos conventus faciebant, vaſtata. 237
Chriſtianorum Eccleſiæ & domus datæ ſunt plerumque in poteſtatem gentium tribus annis, & dimidio. 238. & ſeqq.
Chriſtiani quales eſſe debeant, perſecutionum præſertim tempore, & quales olim fuerint. 241
Chriſtiani, acceptâ ab Imperatoribus poteſtate, Eccleſias ab Ethnicis dirutas diligenter ædificant. 244
Chriſtiani per calumniam plagarum, & calamitatum communium rei effecti. 247.248
Chriſtiani milites militiâ exuti ad ſervilium laborum afflictionem, non tam miniſterii, quàm cruciatus causâ compulſi,& tandem enecati. 253
Chriſtiani ab Ethnicis falſas calumnias paſſi. 254. Ad leones etiam conclamati. ibid. & ſeq.
Chriſtiani juſtorum nomine etiam ab Ethnicis, & ipſis dæmonibus nuncupati. 273
Chriſtiani perſecutionum tempore relictis ædibus propriis, & facultatibus omnis generis, ad vaſta deſerta, & loca invia contendunt, ubi multis & miris modis à Deo paſcuntur. 290. & ſeq.
Chriſtianæ Religionis triumphus ſub Conſtantino, & cui adſcribendus. p.297.& ſeqq.
Chriſtianos ad martyrium exhortatur Eccleſiæ Nicomedienſis Archidiaconus. 302
Chriſtiani carcerati Imperatoria lege ad extremam famem adacti. 308. & ſeq.
Chriſtiani quibuſdam in locis tranquillam vitam agunt, alibi verò perſecutionem patiuntur. 317
Chriſtiani multi, relicto vero Deo, falſorum Deorum catervam, ipſoſque Imperatores ethnicos,tanquam Deos impiè venerati ſunt. 328. Quid intrà ſe dicerent molles illi & effœminati. 329
Chriſtiani quamplurimi, tametſi corpore à perſecutoribus attriti,animo tamen ſemper fuere invicti: alii autem diriſſimis doloribus ſubacti, in impietatem miſerè ſunt delapſi. 332
Chriſtianorum terrenis inhærentium, fidemque Chriſti ſuſceptam è mentibus ſuis penitus ejicientium, nomina ſcripta non ſunt in libro vitæ Agni. 333
Chriſtiani libellatici tempore Decii Imperatoris. 347
Chriſtianæ Religionis victoria in atrocibus perſecutionibus. 351. & ſeqq.
Chriſtiani propter Deum, & Chriſtum occumbentes, quàm multipliciter beati. 361. & ſeq. Requieſcunt à laboribus ſuis, & opera eorum ſequuntur illos. 363. Ad eos exhortatio. 364

Chriſtiani

Digitized by Google

Chriſtiani multi occultâ providentiâ moniti Româ ſecedunt ante & poſt illius excidium. 430. & ſeq.
Vide verbo *Martyr.*

Chryſolithus.

Chryſolithi lapidis proprietates, quæ Apoſtolis adaptantur. 496

Chryſopraſus.

Chryſopraſus qualis gemma, qualis ejus color. 497. Apoſtolis comparatur. ibid.

Civitas.

Civitatum plurimarum ruina per terræ motus horribiles. 401
Civitatis magnæ, & celeberrimæ caſus. ibid.
Vide *Nicomedia, Roma, Terræmotus.*
Civitas magna meretricis magnæ nomine indicatur 415. Dicitur ſedere ſuper aquas multas. ibid.
Civitatis cœleſtis mirabilis felicitas, & indeſinens ſtatus. 489. Cur dicatur Jeruſalem. ibid. Nova eſt. ibid. Species illius deſcendit de cœlo à Deo, & exhibita eſt Joanni. ibid. A Deo parata eſt. ibid. Omnibus gratiæ, & gloriæ dotibus illam inſtruxit. 490
Civitas cœleſtis Jeruſalem altior terreſtri. 492. Vera ſponſa Chriſti. ibid. & ſeq. Undequaque illuſtratur luce Divina. 492. Quare lumen ejus ſimile lapidi pretioſo. ibid. & ſeq.
Civitatis cœleſtis murus Chriſtus eſt. 493
Civitas cœleſtis habet portas duodecim, in quibus Angeli duodecim, & ad quid. ibid. Conſtat ex gentibus & Iſraëlitis fide & pietate conjunctis. ibid. In eam admittuntur electi ex omnibus partibus orbis. ibid. Fundamenta ejus. ibid. & ſeq. Metitur eam Deus menſurâ aureâ. 494. In quadro poſita eſt. ibid. Ejus latitudo, altitudo, & longitudo æquales. ibid. & ſeq. Maximam Sanctorum perfectionem deſignat menſura ejus. ibid. Ipſa verò aurum mundum, ſimile vitro mundo. 495. Fundamenta ejus omni lapide pretioſo ornata. 495. & ſeqq. Platea ejus aurum mundum & perlucidum. 498. Templum illius Dominus omnipotens. ibid. & ſeq. Non eget ſole, neque lunâ. 499. Portæ ejus nunquam clauduntur. ibid. Nihil coinquinatum in eam intrabit. 500. Qui tandem ad eam admittentur. 507. Qui ab ea excludentur. ibid.

Clades.

Clades generales, & particulares à Prophetis, tum majoribus, tum minoribus prædictæ. 198
Clades Byzantina B. Joanni præcognita. ibid. & ſeq.
Vide *Byzantium.*

Clavis.

Clavis David in manu Chriſti, quid ſit in Scripturis. 85
Vide *Oſtium.*
Clavis putei abyſſi ſtellæ data, quâ eum aperuit, quid ſit, & quomodo id intelligendum. 211. & ſeq.
Clavem alicujus rei habens, ejus eſt Dominus, aut ei aſſervandæ à Domino præpoſitus. 468
Clavis abyſſi, vide verbo *Abyſſus.*

Cœlum.

Cœlum operiri quid ſit in Scriptura apud Ezechielem. 166
Cœlorum militia dicitur tabeſcere apud Iſaiam. ibid.
Cœlum receſſiſſe, & complicari ſicut liber involutus, dicitur à B. Joanne. ibid.

Cœlum poſt generalem reſurrectionem omnium hominum non erit eo modo quo nunc eſt. 480. & ſeq. & 488. & ſeq.
Cœlum novum expectandum, in quo juſtitia habitat. 480. & 488
Cœlum inferius etiam hocce tempore multis abominationibus refertum. 488. & ſeq.

Conſtantinopolis, & Conſtantinopolitanus.

Conſtantinopolitani peccant volentes habere Procopium Imperatorem, unde grandinis plagâ affliguntur. 412
Conſtantinopolis minùs iniqua quàm antiqua Roma, priùs ac mitiùs caſtigatur. ibid.
Conſtantinopolis urbs ad mare ſita, quando, & à quo condita. 471. Sedes Imperii Chriſtiani facta. ibid. Solemni ritu dicata, idolis purgata, & magnificis Eccleſiis ornata. ibid. In ea regnavere mille annis Imperatores Chriſtiani. 472. Chriſtus in ea regnavit, dum eâ potiti ſunt Imperatores Chriſtiani. 474

Conſtantinus.

Conſtantinus Magnus præclariſſimas Eccleſias in honorem Sanctorum Martyrum erigit. 259. & ſeq. Idololatriam ubique comprimit. 260. Trophæum Salvatoris in celeberrimo Urbis loco erigit. 270. Chriſtianam religionem ubique promovet. ibid.
Conſtantino imperante, cœperunt adorare Chriſtum omnes Reges terræ, & omnes gentes ei ſervire. 270
Conſtantinus precandi formulam legion bus ſuis præſcribit. ibid.
Conſtantinus Imperator Chriſtianis favens prædicitur gentes recturus in virga ferrea. 288. & ſeq. Dicitur filius Dei, & filius Eccleſiæ. ibid. Dici poteſt *Benoni*, & *Benjamin*. ibid.
Conſtantinus Eccleſiæ filius, raptus eſt ad Deum & ad thronum ejus. ibid. & 290. Ejus cum Moyſe comparatio. ibid. & ſeq. Ejus præclaræ dotes, tum animi, tum corporis. 289. Parantur adverſus eum variæ inſidiæ, quas nutu Dei deprehendit ac effugit. ibid. Imperatorum invidia in eum concitatur. ibid. Ad patrem trajicit. ibid.
Conſtantino viſiones admirandæ exhibentur, & quid ex his præmonitus ſtatuerit. 290
Conſtantini adverſus Maxentium pugnaturi cœleſtes auxiliatores viſi. 298. & ſeq.
Conſtantinus Byzantium ampliat, & maximis Eccleſiis exornat. 299. Eccleſiam Michaëlium dictam erigit, & quare. ibid.
ad Conſtantinum, ob beneficium ejus ope Chriſtianis collatum divinitùs, peroratio. 300. & ſeq.
Conſtantini copiæ impares Maxentianis. 312
Conſtantinus auxilio Divino fretus copias Maxentianas profligat, de ipſoque Maxentio victoriam conſequitur. 314. Haſtile in formam crucis in manum propriæ imaginis inſertum, Romæ in loco celeberrimo curat locari cum inſcriptione. ibid. & ſeq.
Conſtantinus omnia Chriſtiani nominis officia exequitur. 316
Conſtantini contra Licinium præliaturi pietas, & cultus in Deum. 319. Victoriam conſequitur. ibid.
Conſtantinus Licinium fugâ Byzantium

tium delatum obſidet. 320. Multis terreſtribus, & navalibus præliis copias ejus omnes opprimit. ibid. & ſeq. Ad oſtium Ponti navigat, ubi prælium cum Licinio init, ac vincit. 321. A Byzantinis, & Chalcedonis, portis apertis excipitur. ibid. Licinium Nicomediæ obſidet. ibid. Ei Theſſalonicam ablegato laqueo vitam adimit. ibid.

Conſtantinus Maxentianas copias profligat, uti ſub figura meſſis & vindemiæ à B. Joanne prædictum fuerat. 366. & ſeqq. Cœleſtes exercitus viſi ſunt ei ſuppetias ferre. 367

Conſtantinus ultimo prælio Maxentium vincit. 369. & ſeq.

Conſtantini victoria in Maxentium, Judæ Machabæi victoriæ in Lyſiam comparatur. 370. & ſeqq.

Conſtantinus Romæ & Chriſtianis Eccleſiis libertatem adeptus eſt. ibid. & ſeq.

Conſtantinus, condita Conſtantinopoli, ligat in ea Satanam, mittitque illum in abyſſum. 471

Vide *Conſtantinopolis*.

Corona.

Coronæ fidelibus præparatæ nunquam pereunt, ſed quam alter amittit, alius accipit. 87. & ſeq.

Vide *Palma*.

Creatura.

Creaturarum omnium mirabilis concentus, Chriſtum, & Deum creatorem omnium laudantium, à B. Joanne auditur. 143. Ægrè ferunt ſe ab ethnicis tanquam Deos adorari. ibid. Earum deſiderium à Sanctis approbatur, & confirmatur. 143

Crux.

Crux non ſignum hominis mortui, ſed ſignum Dei vivi dicitur. 170

Crucis ſignum, Chriſti vexillum. 172. Cum eo apparebit in fine ſæculorum. ibid. Litera Thau ejus figura. ibid.

Crux per Arcam Teſtamenti à Beato Joanne in Templo cœleſti viſam deſignata. 277

Crux Conſtantino apparens, tranſlationem Imperii Romani ab Ethnicis ad Chriſtianos ſignificat. ibid. Quando Conſtantino apparuerit, ibid. & ſeq.

Crux, in qua Salvator pependit, quomodo ab Helena Conſtantini matre inventa, & quomodo recognita. 278

Crux adeò inviſa Juliano Apoſtatæ, ut ejus inſigne ſuſtulerit è ſignis militaribus Romanis. ibid. & ſeq.

Crucis ſignum in veſtimentis omnium Judæorum apparens. 279

Crucis effigies exhibita Probiano ſatelliti Conſtantini in Eccleſia, quam Michaëlium nuncupavit. 301

in Cruce fabrefacta mirabiliter ſcriptum in ſuperiore parte *Emanuel*, & utrinque *Michael*, *Gabriel*. ibid.

D

Dæmon.

Dæmones Divina virtute coacti Chriſtianos juſtorum nomine nuncuparunt. 273

Dæmones à Sanctis viris fugantur. 429

Dæmoniorum habitatio facta quondam Roma. ibid.

Vide *Diabolus*, *Roma*.

Deus.

Dei olim cum Iſraëlitis, & nunc cum

Chriſtianis ſingulatis præſentia unde arguenda. 7

Deus olim Iſraëlitarum preſſuris, & nunc Chriſtianorum patientiâ movetur, ut veniat cum poteſtate magna, erepturus eos ab omnibus malis. ibid.

Deus α, & ω. 14

Deus omnipotentiam ſuam ſummam in Sanctorum beatâ immortalitate, & iniquorum æternis cruciatibus oſtendit. ibid.

Deus nuncupans ſe primum & noviſſimum, dum Prophetas alloquitur, quid ſignificare intendat. 31. & ſeq.

Deus nuncupans ſe *Amen*, omnium rerum principium & finem ſe oſtendit. 95. & ſeq.

Deus teſtis fidelis & verus. 96. Ipſe & teſtis, & judex eſt. ibid.

Deus multis, & miris modis Fideles in eremis & antris perſecutionum tempore latitantes pavit, & Eccleſiam tutatus eſt. 291. & ſeq.

Dei mira providentia erga proavos S. Baſilii in Ponticorum montium ſylva latitantes. 292

Deus cunctarum gentium ſaluti conſuluit, eripiens eas ab ethnica impietate, & horrendo dæmonum cultu. 300

Deus ſub Aquilæ ſpecie aliquando in Scripturis intelligitur. 306

Deus in veteri Teſtamento paſſim dicitur facturus ea, quæ non niſi per alios facit. 392

Deus unus perpetuò in Beatis permanſurus eſt. 490. Abſterget omnem lacrymam ab oculis electorum ſuorum. ibid.

Diabolus.

Diabolus, Princeps hujus mundi, & Deus hujus ſæculi dictus. 269. Regni ejus finis quando contigit. ibid. & ſeq.

Diabolus ſub ſpecie draconis rufi B. Joanni exhibitus, & quare. 285. Habet capita ſeptem, diademata ſeptem, & cornua decem. ibid.

Diaboli cauda militia tartarea malorum Angelorum, ibid. & ſeq.

Diabolus utplurimùm nuncupatur Lucifer. 286

Diaboli invidiâ mors introïvit in orbem terrarum. ibid.

Diabolus tertiam partem malorum Angelorum poſt ſe traxit, & miſit eam in terram. ibid. & ſeq.

Diabolus aſſeritur ſtare ante mulierem Eccleſiam ſignificantem, & ad quid. 287

Diaboli conatus varii adverſus Conſtantinum. 289

Diabolus nefandis calumniis Chriſti fideles inceſſit, horrendaque crimina illis objicit. 300

Diabolus præſciens modicum ſupereſſe tempus cultus ſui, impios ethnicos commovet adverſus fideles Dei cultores. 304

Diabolus Eccleſiam Dei impiorum Ethnicorum ope perſequitur. ibid. & ſeqq.

Diabolus Conſtantinum, etſi Chriſti ſigno ſalutari munitum, perſequitur, & expugnare conatur. 311. & ſeq.

Diabolus Licinium movet ad prælium adverſus Conſtantinum, ut Eccleſiam penitus deleat. 317. & ſeq.

Diabolus adminiculo Licinii Chriſtianos perſequitur. 318

Diaboli vis in homines, tum pios, tum impios, Imperatoribus Romanis ethnicis data. 325

Diabolus quando fuerit Princeps

Digitized by Google

hujus mundi, & quando ab ejus uſurpatione dejectus. 468.& ſeq.

Diabolus per mille annos vinctus, modico tempore poſt illud tempus ſolvendus eſt. 469.470

Diabolus mille annis completis è mari ſolvitur, priſtinamque dominationem magna ex parte conſequitur. 471.& 472

Dictio.

Dictio, *veſtimentum*, quid ſignificet in aliquibus Scripturæ Sacræ locis. 78

Dictio *Amen*, in multis Scripturæ locis in principio, & in fine ſermonis apponitur. 94

Dictio *Amen*, præſtantior eſt, quàm literæ Græcæ α, & ω, 95. Cenſenda eſt ſacratiſſima, & Divina. ibid. Quid ſignificet. ibid.

Dictio *Principium*, uſurpari poteſt activè, & paſſivè. 97

Dictio *aperuiſſet*, intruſa in locum vocis *accepiſſet*, in Apocalypſis capite 5. verſ. 8. 134

Dictio *Divitas*, facilè in dictionem *Divinitas*, potuit commutari, & ſic corrumpi locus Apocalypſis cap. 5. verſ. 12. quod ex autographo Græco emendatur. 141

Dictio *Amen*, proferentis aſſenſum ſignificat. 185

Dictio *Reſponſum*, præcedens deſiderium denotat. 186

Dictio *Va*, numquam, niſi contra impios, & infideles fuit in Apocalypſi detorta. 303. & ſeq.

Dictio *Hora*, multos annos, & aliquot etiam ſæcula aliquando comprehendit. 419. & ſeq.

Dictio, *Adoratio*, frequenter in ſacra Scriptura latiori ſignificatione ſumitur. 447

Dies.

Dies patientiæ Dei, & Chriſti, & dies magnus iræ ipſiuſmet Dei, & Chriſti. 169

Dies in Scripturis uſurpatur pro anno & tempore, unde tres anni cum dimidio ; per tres dies & dimidium diei ſignificati. 255

Dies omnipotentis Dei, dies excidii Juliani. 390

Dies Domini magnus, & quaſi vaſtitas à potente. ibid.

Dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet. 391

Dies aliquando in Scriptura tempus plurium annorum deſignat. 452

Diocletianus.

Diocletianus Iovius, & Maximianus Herculius Chriſtianam Religionem penitus abolere propoſuerunt. 336. Per beſtiam aſcendentem de terra ſignificantur, & quare. 337

Diocletiani natales & patria. ibid. Imperio ſe abdicat, & ad privatum vivendi genus ſe transfert. 338

Diocletianus, & Maximianus quare Imperium deponunt. 340

Diocletianus Imperatorum victorioſiſſimus, divinos honores Imperatoribus Auguſtis habendos præcepit. 342

Diocletianus quare Iovius dictus. 344

Diocletianus juſſit, ut à prima die ſui Imperii ſequentes numerarentur anni. 348

Diocletianus, anteà Aurelius Valerius dictus. 349. Qualis numerus inveniatur in literis numeralibus nominis DIOCLETIANVS IOVIVS. ibid. Literis numeralibus nominum Diocletiani, & Maximiani junctis, qualis etiam numerus conſurgat. ibid.

Diocletiani, & Maximiani ingentes opes

Digitized by Google

opes ex devictorum Perſarum præda reportatæ. 349.& 350
Diocletianus Nicomediæ impium & iniquum adverſus Eccleſiam & Chriſtianos edictum proponit.402

Domitianus.

Domitianus quoſdam de Chriſto, & de regno ejus interrogans, quale reſponſum acceperit. 11
Domitiani blaſphemia & impietas. 323. Portio Neronis dictus eſt. 327. Ejus impietas ſuſcitata in Trajano. 328
Domitianus, quòd Neronianam in Chriſtianos perſecutionem renovavit, cauſam admirationis dedit. ibid.
Domitianæ perſecutionis tempus computatur. 330
Domitius occiditur. ibid.

Draco.

Draco magnus B. Ioanni exhibitus quid ſignificavit, & quare rufus apparuerit. 285
Vide *Diabolus*.

E

Eccleſia.

Eccleſiæ Aſiaticæ quare eo ordine à B. Joanne in Apocalypſi recenſitæ. 19
Eccleſiæ ſeptem Aſiaticæ, quare per ſeptem Candelabra aurea à B. Ioanne in Apocalypſi viſa deſignatæ. 35
Eccleſiæ Smyrnenſi illata perſecutio, in qua paſſus eſt Polycarpus cum pluribus aliis Martyribus, ultra decem dies non duravit. 51.& ſeq.
Vide verbo *Polycarpus*.
Eccleſiæ Catholicæ ſplendor ex rejectis Gnoſticorum erroribus ac ſparcitiis valde dilatatus. 72
Eccleſia Chriſti ſponſa, arctiùs ſibi conjungendum ſponſum ſperavit, nec eam ſpes ſua fefellit. 179
Eccleſia Chriſtiana ſub figura mulieris caſtæ repræſentata. 283. Apparet tanquam mulier amicta Sole. ibid.
Eccleſia meritò Sole amicta, & Lunam pedibus calcans exhibetur, & quare. 284. Caput ejus Chriſtus, duodecim verò Apoſtoli, ejus corona. ibid. Ingenti ſpe & fide fœta fuit. ibid. Ad Dominum cùm tribularetur clamabat. ibid. Seipſam etiam peracerbis exercitationibus excruciabat. ibid.& ſeq.
Eccleſia tandem enixis precibus obtinet filium maſculum Imperio deſtinatum, quem ſpe conceperat. 288
Eccleſia perſecutionum tempore urbibus ſecedens in deſerta loca fugit, ubi multis, & miris modis pavit eam Dominus. 290.& ſeq.
Eccleſia cum aquila comparata, eique datæ alæ duæ. 305. Timore & deſiderio veluti duabus alis, perſecutiones fugit. ibid. & ſeq.
Eccleſia ad fugam in deſertum duplici ſpe in Deum munitur, & incitatur. 306.& ſeq.
Eccleſia graviſſimis irruentibus perſecutionibus, ſic diſponente Deo, omnibus relictis humanis ſubſidiis, in ſolitudinem fugit. 307
Eccleſiæ loca tuta ſunt aſperæ ſolitudines & juga montium. 308
Eccleſiæ locus primævus, & naturalis deſertum. ibid.
Eccleſia Patris cœleſtis providentiâ in eremis & montibus celſioribus nutritur. ibid. & ſeq.
Eccleſia tempore perſecutionum Maximini & Licinii, mira Dei providentiâ tribus annis & ſemiſſe alenda fuit. 309

Digitized by Google

Eccleſiam Chriſti ſponſam terra juvit. 313. Triplici ſenſu poteſt hoc dici. ibid. & ſeq.
Eccleſia bonis à Conſtantino ſibi abundè ſuppeditatis diutiùs non fruitur. 317. Perſecutionem patitur in ſui parte. ibid.
Eccleſia, quæ conſuetudinis erant apud Ethnicos civilis, multa piè in uſum ſuum traxit. 348
Eccleſia in terris præparatur ad cœleſtes nuptias cum Sponſo, quæ in cœlo conſummabuntur. 445. & ſeq.
Eccleſia Chriſti ſponſa byſſino ſplendenti & candido cooperta apparet. 446
Eccleſia Militans ſponſa Chriſti à Paulo vocatur: quantò magis Eccleſia triumphans. 491
Eccleſia Militans ſtabilis, & immutabilis: multò magis Triumphans. 494

S. Emerentiana.

S. Emerentiana ad B. Agnetis ſepulchrum accedens lapidibus obruitur. 280

Epheſius, & Epheſus.

Epheſus urbs primaria Aſiæ minoris. 18. In ea diu Ioannes Evangelium prædicavit. ibid.
Epheſinum templum famoſiſſimum, ex quo in omnes gentes idololatria pervagabatur. ibid.
Epheſiorum fides ac zelus à B. Ignatio valde commendantur. 39. Has virtutes exemplo Præſulis ſui provocati exercebant. ibid.

Epiſcopus.

Epiſcoporum Aſianorum, & ſtellarum à B. Joanne in manu venerandi Senis viſarum comparatio. 34
Epiſcopi à Chriſto Angeli dicti, & quare. ibid.
Epiſcopi variis cœleſtium ſpirituum ordinibus conferuntur. ibid. & ſeq.
Epiſcopis Aſiaticis in miniſterio ſuo delinquentibus per B. Joannem correptio à Domino indicta ſignificatur. 37
Epiſcopus Epheſinus in primis corripitur, & quare. ibid.
Epiſcopus quilibet, veluti Dei organum, Chriſto coagere debet in ſacris miniſteriis. ibid.
Epiſcopi Deo chari. 38. Ab eo tamen corripiuntur. ibid. Virtutibus perpetuò nitere debent ad gloriam divinæ Majeſtatis. ibid.
Epiſcopis monitum datur à Domino per Ezechielem. 75
Epiſcopus quidam, alioquin virtutibus clarus, ob incuriam erga adoleſcentulum ſibi commendatum à B. Ioanne reprehenditur. 76
Epiſcopis neceſſitas incumbit, ut ſuam, omniumque ſibi commiſſorum ſalutem perpetuò ac vigilanter curent. 77
Epiſcopi omnes in Præſule Sardenſi proprii muneris, & vigilantiæ erga ſibi commiſſum gregem admonentur. 82
Epiſcopus Philadelphienſis à B. Ignatio valdè commendatur in epiſtola ad Philadelphienſes. 84. Ejus miniſterio multi Judæi ad Evangelicam veritatem à Deo revocandi erant, etſi eorum converſioni impar videretur Antiſtes ille. 85. Gratus Deo ob eximias virtutes. ibid. & ſeq. Quare dicatur modicam habere virtutem. 86. Servavit verbum Dei, & non negavit nomen ejus. ibid. Benignè Judæos converſos ſuſcepturus erat. 87. Promittit ei Deus ſervaturum ſe illum in hora tentationis, quæ brevi futura erat. ibid.

Monitum ad eum. ibid. & ſeq. Ex ſcriptis ad eum multi Philadelphienſes profecerunt. 91. & ſeq.
Vide *Oneſimus*, *Polycarpus*, *Carpus*, *Melito*.

Equus.

Equus B. Joanni apparet in Apocalypſi, & quare albus. 145
Equi generoſitas deſcribitur. ibid. & 369
Equus rufus à B. Joanne viſus, quid ſignificarit. 150
Equus niger B. Joanni exhibitus, & ad quid præſagiendum. 152. & ſeq.
Equus pallidus, mors ejus ſeſſor, & infernus ſequens, plagas à Deo orbi inferendas deſignavere. 156
Equi cœleſtes B. Joanni exhibiti, peſtem portendentes, quare dicantur vim habere in ore, & in caudis. 226. & ſeq.

Ethnicus.

Ethnici toto orbe diffuſi gravibus plagis à Deo prædicuntur interimendi. 156. Etiam à beſtiis terræ interficiendi. ibid. Quàm meritò has pœnas patiantur. 157. De eorum impietate conqueritur S. Cyprianus. ibid.
Ethnici Antiochiæ congregati, ſe divinitus puniri agnoſcunt ob perſecutiones Chriſtianis illatas. 169. Etiam aculeis conſcientiæ ſuæ agitati ſentiunt digitum Dei. ibid.
Ethnici dum plectuntur, ſalvi fiunt Chriſtiani. 171
Ethnici impietate obcæcati plagas ſibi digito Dei inflictas non agnoſcunt. 228
Ethnici plagis variis afflicti, ulciſcente Deo perſecutiones Chriſtianis illatas. 248. 249
Ethnicorum lætitia ob Chriſtianos exquiſitis pœnis affectos, ac honore ſepulturæ privatos. 256. Hinc etiam munera mittebant. ibid. & ſeq.
Ethnici in impietate perſiſtentes, timore affecti, ob excruciatos Martyres. 259. & ſeq.
Ethnicorum timor horribilis in reſurrectione Sanctorum Martyrum. 261
Ethnici veritatis evidentiâ, & divinâ virtute coacti Chriſtianos juſtorum nomine appellabant. 275
Ethnicorum incredulorum, & apoſtatarum dæmones & Imperatores Ethnicos adorantium nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ Agni. 331. & ſeq.
Ethnicorum Imperatorum blaſphemiæ in Deum, Eccleſiam & Sanctos, ac ferocitas in Chriſtianos. 331. & ſeq.
Vide *Imperator*.
Ethnici perſecutionum tempore ſimulationis impiæ maculam multis Chriſtianis inurere conati ſunt. 357. & ſeq.
Ethnicorum impiorum, & Chriſtianorum à fide deficientium quanta infelicitas, & cruciatus. 361. & ſeqq.
Ethnici eiſdem plerumque ſuppliciis puniuntur, quibus Chriſtianos afficiunt. 383. & ſeq. Impœnitentes etiam moriuntur, æterniſque pœnis addicuntur. 384

Evangelium.

Evangelii nomen quid ſignificet, & quæ comprehendat. 2

Eugenius Tyrannus.

Eugenius tyrannus, occiſo Maximo tyranno, creatur. 451. Promittitur ei victoria contra Theodoſium. 452. Ante Theodoſii pedes vinctis

Digitized by Google

tis poſt terga manibus adducitur. ibid. Iudicatur, & condemnatur. 453

Euſebius.

Euſebius hæreticus Nicomediæ officinam impietatis aperit, ex qua Reges, & penè totus orbis factus eſt impius. 402

Exercitus.

Exercitus numeroſi cum aqua fluminis comparatio. 312

Exercitus Maxentianus partim à Conſtantino cæſus, partim in Tiberim demerſus. 313

Vide *Maxentius*, *Terra*.

F

Fames.

Fames denigrat faciem hominis. 152. & ſeq. Futura ſignificatur per ſtateram in manu ſeſſoris equi nigri. 153. Qualis conſecuta ſit. ibid. In ea vini & olei penuria non contigit. 154. Varia eduliorum penuria quæ diverſis temporibus accidit. ibid.

Fames ingens, poſt hominum memoriam atrociſſima, in Cappadocia & alibi graſſatur. 410

Fames, peſtis, gladius, & incendium Romæ illata ab Alarico. 433

Fames peracerbè Romanos affligens, Totila Romam obſidente, deſcribitur. 454

Fidelis.

Fideles diabolicas artes vincentes, carnis illecebras, & mundi blanditias; invictoque animo decertantes, quàm grandia præmia ſequantur. 70

Fidelibus mirabilis Ethnicorum, & aliorum hæreticorum converſio promittitur à Chriſto. 72

Fideles attentos peroptat Salvator ad ea quæ Thyatirenſi Epiſcopo, ejuſque Clero & populo ſignificavit. 73

Fideles Sardii minùs acerbè in Apocalypſi reprehenduntur, quàm nonnulli Pergameni, & Thyatirenſes; & quare. 78

Fideles vincentes templi Dei columnæ fiunt, ex quo ampliùs non ſunt egreſſuri. 88. Scribitur ſuper eis nomen Dei. 89. In cœlum recepti, perpetui cives, novæ Ieruſalem dicuntur. ibid.

Fideles humilitatis Chriſti in terra participes, gloriæ ejus in regno cœleſti ſocii erunt. 91

ad Fideles monitum ex ſcriptis à Chriſto ad Philadelphienſem Epiſcopum, ex quibus multi profecerunt. 92. & ſeq.

Fidelibus vincentibus repromiſſa merces in perſona Præſulis Laodiceni, qualis. 106

Fideles ex perſecutionibus ad gloriæ cumulum evehuntur. 180. Signati ſigno Dei vivi. ibid. Grato animo cœleſtem oblatam ſibi hæreditatem percipient. 181

Fidelium felix ſtatus: infelix iniquorum. ibid.

Fideles à B. Joanne viſi amicti ſtolis albis, palmaſque in manibus præferentes, etiam non martyres. 184

Fideles omnes in quaſcumque regiones diſperſi, unam ſanctam Eccleſiam conſtituunt, & unius ſanctæ civitatis eſſe reputantur. 236

Fidelium primitivæ Eccleſiæ patientia, pietas, conſtantia, ſanctitas, & in Deo ſingularis fiducia. 240

Fideles tum Romæ, tum alibi inſtituti, non alios, quàm Chriſtianos in terra ſe reputarunt. 253

Fidelibus Chriſti adventus optandus. 503. & ſeq.

Fœmina.

Fœminæ an cum diſtinctione ſexus reſurgent. 481

Fœmineus ſexus non eſt vitium, ſed natura. ibid.

Vide *Reſurrectio.*

Fulgur.

Fulgurum exempla memoratu digna, quæ ſub Juliano Apoſtata contigere, referuntur. 281

Vide *Grando, Tonitru.*

G

Gallienus.

GAllieno imperante clades variæ contigere, quæ referuntur. 205

Vide verb. *Aqua, Locuſta, Stella, Tenebra.*

Gallieni impietas in Valerianum patrem Imperatorem apud Perſas in captivitate conſeneſcentem. 216. 217

Galerius.

Galerius Imperator Romanus, quare Armentarius cognominatus. 337

Galerii Maximiani ſimilitudo quædam cum Chriſto. 339

Galerius benignis edictis perſecutionem in Chriſtianos effervescentem extinguit. ibid. Eis jubet Eccleſias ædificare, & preces pro Imperii ſtatu fundere. ibid.

Galerius & Maximinus, dum in Chriſtianorum gratiam edicta ſanciunt, blaſphemas voces in Deum, Chriſtum, & ejus Religionem proferunt. 340

Genſericus.

Genſericus Romam capit, peracerboque luctu eam afficit. 433. & ſeq.

Vide *Roma.*

Gladius.

Gladius utraque parte acutus ex ore antiqui Pontificis videbatur prodire, eique etiam præferebatur. 26

Gladium bicipitem ex ore proferens Chriſtus B. Joanni apparet, & cur. 27

Gladius Babyloniorum, gladius Domini. 57

Gladium Ethnicorum aliquando Dominus exacuit in Chriſtianos, ſicut olim gladium Babyloniorum evaginavit in Iſraëlitas, etiam juſtos. ibid. & ſeq.

Glycerius.

Glycerii Sacerdotis, & Martyris verba ad Galerium Maximianum Cæſarem. 302

Gnoſtici.

Gnoſtici quales hæretici fuerint, qualeſve eorum errores, oſtenditur ex Euſebio, & D. Irenæo. 66. Eorum impia facinora. ibid.

Gnoſtici: hæretici, propter nefanda ſcelera morbis peracerbis divinitus illatis cruciandi & conficiendi prædicuntur. 68. & ſeq.

Gnoſticos inter, & veros Chriſtianos quale ſit diſcrimen, etiam ante ultimi judicii tempus patefaciet Dominus. 71

Gnoſticis uſus eſt diabolus, ut turpem ignominiæ notam univerſæ Chriſtianorum multitudini inureret. 72. Verùm ad prolixum temporis ſpatium non proceſſerunt, ſed obſoleſcere cœperunt, & tandem penitus extincti ſunt. ibid.

Gnoſtici cauterio ſignabantur in poſteriore parte auris dextræ. 73

Gothi.

Gothorum ſub Alarico clementia in Romanos, quibus propter Chriſtum & Sanctos miſericorditer pepercerunt.

Digitized by Google

pereunt. 404
Gothi ædium aliquot incendio facto, nullo cogente hoſte, Româ ſeceдunt. ibid.
Gothi ſub Totila Romam iterum capiunt, & ex parte deprædantur. 406

Grando.

Grando & fulgura diſcurrentia ſuper terram Ægypti. 195. A Deo immiſſa miniſterio Angelico in fidelium gratiam. ibid. & ſeq. Mixta erat cum igne, aqua, & ſanguine. ibid. Ex ea dicitur tertia pars terræ combuſta. 196. & ſeq.
Grando cum imbribus, igne, ventis vehementibus permiſta, in terræmotu Hieroſolymitano, ſicuti perorante Galerio Maximiano in gratiam Deorum ſuorum. 279. & 287
Grando magnitudinis inuſitatæ lapidibus ſimilis Conſtantinopoli decidit. 409
Grandinis in Cappadocia decidentis deſcriptio. 410
Grandinis tum Conſtantinopoli, tum in Cappadocia decidentis cauſæ quæ fuerint. 411

Gratia.

Gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti optat omnibus fidelibus Joannes. 510

H

Hæreticus.

Hæretici ex Menandro & Baſilide orti quales, & quis eorum error. 43. & ſeq.
Hæretici Carpocratiani, Cerinthiani, & Nicolaitæ quales: vide in verbis *Carpocratiani, Cerinthiani, Nicolaitæ, Gnoſtici, &c.*

Homo.

Homo antonomaſticè dicitur creatura Dei, & quare. 96. & ſeq. Per juſtificationem magis efficitur creatura Dei; per reſurrectionem verò maximè, & unicè. 97
Homines, dum illis moriendum eſt, mitiorem exoptant mortem; & tamen ſemper mallent vivere quàm mori. 168
Homines omnes in tres partes diviſi, ex quibus Chriſtiani ſoli, populus Dei, cæteris pereuntibus, ſuperſtites futuri prædicuntur. 207. & 208
Hominum tertia pars occiſa ex peſtilentiâ, quæ tempore Lucii Veri Imperatoris Romani graſſabatur. 222. & ſeqq.
Hominum corpora faciliùs corrumpuntur, quàm curentur. 224
Homines ſævi, & efferato animo, beſtiis ipſis crudeliores, nihil niſi hominum lineamenta, & extremam figuram gerunt. 322
Homines impii, dum à Deo flagellantur, Deum blaſphemant, augentque ſcelera ſua. 410
Homines omnes poſt reſurrectionem ſimul & ſinguli judicabuntur, ſcientiâ conſcientiam excuſante, vel accuſante. 482
Homines à morte ſuſcitati judicandi ſunt juxta leges divinas, & juxta opera ſingulorum. 483
Homines in mari mortui cur potiùs à B. Joanne dicuntur ſuſcitati, quàm qui in terra deceſſerunt. ibid.
Hominum omnium animæ, tum beatorum, tum damnatorum, corpora ſua reſument, ut cum illis pro meritis aut glorificentur, aut tormenta patiantur. 484
Homo quivis non inventus in libro vitæ, æternùm cruciabitur. 485

Homines omnes ad Chriſtum, tanquam ad finem ultimum referendi. 507

Honorius.

Honorius Imperator legem adverſus idola tulit. 460. Religioni Chriſtianæ favit. ibid.

Vide *Theodoſius.*

Hora.

Horæ vocabulum quodnam tempus deſignet in variis Scripturæ locis. 261

Horæ unius ſpatio aliquando in Scriptura tempus plurium annorum exprimitur. 434

Hyacinthus.

Hyacinthi lapidis color cœleſtem refert, ideo Apoſtolis comparatur. 497

I

Iaſpis.

Jaſpidis duplex genus. 109. Dignitati, & officio Chriſti Sacerdotali deſignando aptus eſt. ibid. Viror ejus, & aërius color, quid in Chriſto ſignificent. ibid. Chriſtum ut Judicem decet. 110. Ut Deum etiam. ibid.

Jaſpidis duplex genus, quid ſignificet. 492. In eo præcipuè coruſcat Chriſtus. ibid.

Jaſpis quo fulget cœleſtis civitas, pellucidus tanquam cryſtallum. ibid.

Jaſpidis proprietates, & quid ſignificent. 496

Ieruſalem.

Jeruſalem nova civitas cœleſtis. 89. Quomodo deſcendit de cœlo, eamque à Deo deſcendentem vidit Joannes. ibid. & ſeq.

ad Jeruſalem cœleſtem & novam pertinent Judæi converſi. 92

Jeruſalem præclara civitas tempore Chriſti. 264. Quàm ampla fuerit tempore Salomonis. ibid. Everſa à Babyloniis, & obſeſſa à Tito. ibid.

Decima ejus pars corruit terræ motu qui contigit ſub Juliano. ibid.

Illius pars, in qua erigendum erat Templum, dicitur *Primitiæ Domini*, & à B. Joanne vocatur decima pars. ibid. & ſeq.

Ieſus.

Jeſus nomen proprium Salvatoris; appellativum verò Meſſias, & Chriſtus, Rex Iſraël. 90

Ieſus radix, & genus David. 507. & ſeq.

Vide *Salvator.*

Iezabel.

Jezabel, Sidoniorum Regis filia, Regis Achab uxor, impiiſſima, & ſpurciſſima. 65. Mulieri famoſæ Thyatirenſi à Deo comparata. ibid.

Jezabel, & filii ejus interfecti. 67

B. Ignatius.

B. Ignatius Smyrnæ in vinculis ab Oneſimo Epheſiorum Epiſcopo inviſitur. 39. Ejus ad Epheſios epiſtola, ibid. & ſeq. Commendat Oneſimi mirabilem patientiam. ibid.

B. Ignatius hortatur Epheſios, ut frangant panem, quod eſt pharmacum immortalitatis. 45

B. Ignatii teſtimonium Epiſcopi Philadelphienſis virtutes valde laudandas commendans. 84

Ignis.

Ignis egreſſus à Domino interfecit inimicos ejus, tum in antiqua, tum in nova lege. 245. & ſeq.

Ignis cœleſtis prope fanum Veneris Aphacitidis apparens certis temporibus. 342. 343

Ignis ſacer. 380. 383

Vide *Miraculum.*

Impera

Digitized by Google

Imperator, & Imperium.

Imperii Romani mirabiles mutationes ab Ethnico ſtatu in Chriſtianum, ſono ſeptimæ tubæ Angelicæ prædicuntur. 231. & ſeq.

Imperatores ethnici plerique contra Chriſtianos renovarunt impiam Templi Jeroſolymitani profanationem, & Civitatis vaſtationem, ab Antiocho Epiphane perpetratam. 236. & ſeqq.

Imperatorum nonnullorum Ethnicorum perſecutiones durarunt tribus annis & ſemiſſe. 238. & ſeq.

Imperatores Romani Chriſtianorum perſecutores, variis cum ſequacibus ſuis plagis affecti. 274

Imperator Chriſtianis favens, gentes idololatras recturus in virga ferrea, dicitur filius Dei, & filius Eccleſiæ. 288

Vide *Conſtantinus Magnus.*

Imperium Romanum in duas partes diremptum, noctis tenebris, & ſplendori diei perſimile viſum. 317

Imperium Romanum ethnicum ſub immanis beſtiæ ſpecie B. Joanni oſtenſum. 322

Vide *Roma*, *Romanus.*

Imperatores Romani, Reges, à B. Joanne, patrio more dicti. 323. Blaſphemia eorum. ibid.

Imperium Romanum ethnicum belluæ ex tribus feris, quas Daniel viderat, compactæ comparatum. 324

Imperatores ethnici Deos ſe vocari jubent, & tanquam Deos ab omnibus adorari. 332.& ſeq.

Imperatores ethnici per eoſdem puniendi ſunt cruciatus, quos Chriſtianis veri Dei cultoribus intulerunt. 334

Imperatores ethnici miſſi ſunt cum ſequacibus ſuis in ſtagnum ignis ardentis ſulphure. 335

Imperatores quatuor Romani, ſub beſtiæ de terra aſcendentis ſpecie B. Joanni exhibiti. 337

Imperatores ethnici in aliquo Chriſto ſimiles. 338. & ſeq. Imitantur præceſſores per primam beſtiam ſignificatos. 341. 342

Imperatorum Ethnicorum tanta fuit ferocitas in Chriſtianos, ut nec à legibus ſuis impiis Chriſtianorum parvulos vellent eximi. 346

Imperium orbis in Principibus Chriſtianis fixum fuit, Juliano, & ejus conſanguineis penitus deletis. 399. & ſeq.

Imperii defectio ab Ethnicis per terræmotum ſignificata. 400

Imperatores ſeptem ethnici, & decem, per ſeptem beſtiæ capita, & decem cornua ſignificati recenſentur. 418. 419. Quomodo dicantur poteſtatem una hora accepturi. 419. & ſeq.

Imperatores ethnici decem Chriſtianorum poſt Trajanum perſecutores referuntur. 420. 421. Quid de eis prædictum à Joanne. ibid. Dedit eis Deus ut faciant quod placitum eſt illi. 422. Ut dent regnum ſuum beſtiæ donec conſummentur verba Dei. 423

Imperii Chriſtiani vires quando primùm debilitatæ. 476. & ſeq.

Imperium Turcarum, vide *Turca.*

B. Ioannes.

Joannes Apoſtolus complura obſequii ſui erga Chriſtum Dominum argumenta opere & ſermone dedit. 4

Joannes ſingulari privilegio quod audivit, & vidit, teſtatur, & annuntiat. ibid.

Joannes Apocalypſim ſuam ſeptem

Digitized by Google

Aſiæ Eccleſiis dirigens, perbenevolo utitur prologo. 6. 8
Joannes Eccleſiis Chriſti, & ipſi Chriſto optata claudit voce Hebræa *Amen.* 11
Joannes futurum Chriſti adventum glorioſum tanquam jam præſentem, ex nimio illius deſiderio prænunciat. ibid. & ſeq.
Joannes quæ de Chriſto tanquam omnium hominum judice dixit, Hebræa & Græca voce affirmat, & quare. 13. & ſeq.
Joannes non Martyrem ſe, ſed fidelium fratrem & participem in tribulationibus vocat. 16
Joannes in inſulam Pathmos relegatur, & quare. ibid. Cur in mediis æſtibus olei accenſi non moritur, nec poſtea occiditur. ibid. & ſeq.
Joannes in præfata inſula commorans vehementer Dominum in cœlis viventem & gloriâ fulgentem videre deſiderat, & Aſiaticas Eccleſias inviſere. 17. Animus ejus à Domino rapitur, & quæ eo in raptu ei oſtendantur. ibid.
Joannes Apoſtolus ſeptem Eccleſiis ſcribit, ut unam Catholicam ſeptiformis gratiæ plenam Spiritu deſignaret. 19
Joannes in ſpiritu raptus Divinam operationem in ſe ſentit; ſed converſus, ut videret vocem, quæ ſibi loquebatur, ſeptem aurea candelabra videt. ibid.
Joannes ad viſionem Chriſti ſub forma tam inſueta ei in Apocalypſi apparentis, terrore perculſus, ad pedes ejus corruit tanquam mortuus. 28. & ſeq.
Joannes ex aſpectu Chriſti ſtupefactus, benigno colloquio corroboratur. 30. Jubetur à cœleſti Magiſtro ſcribere res ad extrema uſque tempora futuras. ibid.
Joannes præcipitur ſcribere quæ vidit, & quæ ſunt. 33
B. Joannis eximia charitas erga perverſum adoleſcentem proponitur. 76
B. Joanne à Domino ad cœlum evocato, mens illius à terrenis ſejuncta, & cœleſtium rerum contemplationi idonea ſtatim facta eſt. 107. Sedem in cœlo, eique Chriſtum Dominum inſidentem videt. 108
B. Joannes videns librum ſibi oſtenſum ita obſignatum, ut à nullo potuerit aperiri, ubertim flevit, ſed ſtatim ab uno ex Senioribus conſolationem accipit. 132
B. Joannes mirabilem creaturarum omnium concentum; Deum creatorem laudantium audit. 143. A primo Animali myſtico rugiente excitatur, ſoluto primo ſigillo libri cœleſtis, ad videndum. 145. Quid viderit. ibid. & ſeq.
B. Joannes multa in Apocalypſi ſua prædixit diverſo ordine ac futura ſunt. 163
Vide verbo *Propheta*, *Prophetia*.
B. Joannes librum propheticum ab Angelo accipit, miramque à Deo ſuavitatem inſuſam in mente perſentit. 232. Amaricatus eſt tamen venter ejus. ibid. & ſeq.
B. Joanni datur calamus ſimilis virgæ; & quid deinde præcipiatur ei. 234. & ſeq.
Joannes, auditis verbis Angeli procidit ante eum. 447. Quem cultum ei deferre voluerit. ibid.
Joanni nova arcana è cœlo exhibentur. 449
Joannes humiliat ſe, Apocalypſi recepta.

cepta. 506. Eam commendat. ibid. & p. 509. Nititur, etſi repulſam paſſus. Angelo debitam venerationem exhibere. ibid. Divinam gratiam omnibus fidelibus exoptat. 510

Iovianus.

Jovianus, Juliano extincto, Imperator erigitur. 387. Perſas Oratores ſuper fundenda pace miſſos exaudit. ibid.

Jovianus criminandus non fuit de iniquis conditionibus pacis, quæ ſecutæ ſunt. 388. Imperium ejus breve. 399

Iris.

Iris ſignum pacis inter Deum & homines terram incolentes. 109. Convenienter Pontifex in Apocalypſi viſus, eo circumdatus apparuit. ibid. Chriſtum judicem decet. 110.

Iris filium Dei incarnatum, Deum & hominem ſignificat. ibid. Ut ſymbolum pacis, convenientiſſimè Chriſtum ſignificat. ibid.

Iris mirabilis thronum Pontificis ambiens in Apocalypſi viſa, quare ſmaragdum præ cæteris coloribus objiciebat. ibid.

Iſauri.

Iſaurorum proditio, qua Romam Totilæ poteſtati dedunt, deſcribitur. 406

Vide *Roma, Totilas.*

Iſraëlita.

Iſraëlitæ etiam juſti gladio Babyloniorum percuſſi, & quare. 57

Iſraëlitæ qui cum Madianitidis mulieribus ſcortati non ſunt, nec idolothyta comederunt, quale præmium à Deo acceperunt. 58

Vide verbo *Judæi.*

Iſraëlitarum duodecim millia ex quavis Tribu obſignantur, & quare. 176

Vide verbo *Tribus.*

Iſraëlitarum numerus poſt egreſſum ex Ægypto. 182. Bellatores ex eis eliguntur, & numerantur. ibid. Moriuntur. ibid. Succedunt alii ſelecti ex unaquaque Tribu. 183. Præda inter eos dividitur. ibid. Ad Terram Promiſſam perveniunt. ibid. Perſeverantiam in cultu veri Dei promittunt. ibid. Feſtum Tabernaculorum celebrant, & his hæc in figura contigere quæ in Chriſtianis implentur. ibid. & ſeq.

Iſraëlitæ qui legales immunditias contraxerant, Tabernaculum vel Templum non introibant, donec mundarentur. 187

Iſraëlitarum antiquorum, & Chriſtianorum in cœlo regnantium comparatio. 188. & ſeq.

Judæi.

Judæorum, Chriſti cum eis in terris agentis ſubſannatorum planctus in extremo judicio. 12. & ſeq.

Judæi unde ſic dicti. 49. Populus quondam peculiaris Dei fuere; jam ſunt ſynagoga ſatanæ. ibid. & p. 86. & ſeq. Conviciis & maledictis Polycarpum Smyrnenſium Epiſcopum affecere. 49

Judæi multi Philadelphienſes miniſterio Præſulis illius Eccleſiæ, etſi ad hoc opus imparis, à Deo convertuntur. 85. & 86. Chriſtum negant; & tamen multi ex eis convertuntur. 87

Judæi converſi veræ columnæ fiunt Templi Dominici, à quo foras ampliùs non ejicientur. 91. & ſeq. Veri filii ſunt Dei Patris. ibid.

Judæi increduli pertinent ad terrenam civitatem Jeruſalem ; converſi verò ad Cœleſtem. 92

Judæorum ſtrages horribilis ſub Trajano. 150. Aliquibus de cauſis bellum movent ; ſed quieſcunt, Adrianum veriti. ibid. & ſeq. Ex eorum motu totus orbis penè concuſſus. 151. Tandem à Romanis gravem deſolationem patiuntur. ibid.

Judæi à Salmanaſar obſeſſi, quid vitæ, vel mitioris mortis deſiderio exclamarint. 168

Judæorum inſolentia, & comminationes in Chriſtianos. 263

Judæi undique conveniunt ad Templum Jeroſolymitanum reædificandum. ibid. Chriſti prædictiones falſas oſtendere credunt. ibid. Quot occiduntur in terræ motu Jeroſolymitano. 267. Pavore tandem deterriti Chriſtum Deum confitentur, & ab inceptis deſiſtunt, fugiunt, & aliqui convertuntur. ibid. & ſeq.

Judicium.

Judicii extremi brevis effigies delineatur. 12. & ſeq.

Judicium extremum à Chriſto in fine ſæculorum perficiendum, vide *Homo, Mors, Reſurrectio, Terra.*

Julianus.

Julianus Chriſtianos martyrii beneficio repulſus, aliâ viâ eos affligere aggreditur. 263. Quare Chriſtianorum miſertus videtur. ibid. Judæos in Chriſtianos armat. ibid. Prædictionem divinam ſe poſſe eludere inſanè credit. ibid.

Julianus Apoſtata Chriſtianam Religionem deſeruit, & perſecutus eſt. 385. Suſtulit è ſignis militaribus Romanis ſignum Crucis. ibid. Ejus interitus prædicitur. 386. Jeroboamus fuit defectione, Pharao duritie. ibid. Bellum adverſus Perſas movet. ibid. & ſeq. Claſſem validiſſimam comburi jubet. ibid. Culpandus fuit de iniquis conditionibus pacis initæ cum Perſis. 388. Divinationum conjecturis, quas à Maximo Philoſopho didicerat, confiſus eſt. ibid. Poſt pugnam Perſicam gravia adverſus Chriſtianos meditatur. 389. Chriſtianum ſanguinem Diis ſuis vovit. ibid. Oracula conſulit de bello adverſus Perſas gerendo, à quibus decipitur. ibid.

Julianus per Reges totius terræ deſignatur. 389. Lethiferè vulneratur. 390. Quid accepto vulnere fecerit, & protulerit. ibid. Ejus excidii dies ſicut fur advenit. 391. & ſeq. Gelidâ epotâ facilius moritur. 392

Julianus inermis in aciem prorumpens haſta equeſtri perfoditur. 393. Funus ejus probroſum. ibid. & ſeq. Quare dicatur congregatus in locum *Armagedon* dictum. 394. & ſeq. In extremis poſitus, ex aſtu nititur pro Deo haberi. ibid. Congregatus eſt in Armagedon. 396. Ibi perit. 397

Julianus, & ejus conſanguinei parem conſecuti ſunt finem. 398

Juſtus.

Juſtorum corpora in terra degentium, & ſurſum cor habentium, vaſa ſunt electionis, & ſancta, ac phialæ aureæ plenis ſactorum thymiamatum. 136

Vide in verbo *Sanctus*.

Juſtorum orationes thymiama ſanctum Domino. 137

Juſtus cum impio, iraſcente Deo, non occiditur. 171

Vide verbo *Chriſtianus, Ethnicus*.

Juſtos

Juſtos & fideles non attingit comminatio cœleſtis in Apocalypſi prolata, *Væ terræ & mari.* 303. & ſeq.

L

Labrum.

Labrum æneum in templo Judaïco collocatum, dici poterat mare vitreum ſimile cryſtallo. 115
Vide verbo *Vas.*

Lacus.

Lacus bituminis juxta Babylonem puteus abyſſi dictus. 112
Quanta vis ejus ad muros ædificandos. ibid.
Vide verbo *Sapor.*

Lacus quid ſit apud peritos Grammaticos. 368

Lacus juxta Tiberim, in quo Maxentius à Conſtantino devictus eſt, adhuc hodie patet. 369. Quantum diſtet à loco Veronæ proximo, ubi à Conſtantino cæſus fuerat alius Maxentii exercitus. 373

Lamina.

Lamina aurea in fronte ab antiquis Pontificibus delata, quid ſignificaret. 27. Ex ejus delatione Pontifices antiqui Soli comparabantur. ibid.

Lampas.

Lampades ſeptem ardentes ante thronum Dei, in Apocalypſi à B. Ioanne viſæ. 112. Prorſus inextinguibiles ſunt ac perennes. ibid.
Vide verbo *Angelus.*

Legatus.

Legati variis ex locis ad Imperatores miſſi in Chriſtianorum odium. 157

Legio.

Legio Chriſtiana Fulminatrix dicta. 196. Deum precatur, unde inſolitum portentum contigit. ibid. Ad illius unius preces ſigna Moyſis, Joſue, & Samuelis innovavit Deus. 197

Levita.

Levitæ in circuitu throni Dei B. Joanni apparentes Beatos ſignificabant. 115. Eorum cum illis comparatio. ibid.

Levitæ per quatuor Animalia myſtica deſignati. 116. Quodnam eorum munus. ibid. Quo ſenſu dici poſſint pleni oculis antè & retrò. ibid. & ſeq. Comparantur leoni. 117. Eorum primus actus piè ſæviens & ferox. ibid. In circuitu tabernaculi excubabant, & ad quid. ibid. Etiam ut cantores leoni comparantur. ibid. & ſeq. Bobus etiam & vitulis ob varias rationes comparantur. 118. Tribus de cauſis etiam ſub ſpecie humana oſtenſi ſunt. ibid. & ſeq. Aquilæ etiam comparantur, & quare. 119. & ſeq.

Levitarum alæ ſex myſticæ, per Animalium ſingulorum alas ſex deſignatæ, declarantur quales eſſent. 121. & ſeq. Eorum religio & charitas in dedicatione Templi Salomonis. 122. Quatenus dici poterant in circuitu & intus pleni oculis. ibid. Eorum munia eminenter & ſanctiſſimè perficiunt in cœlo Beati. ibid. & ſeq.
Vide verb. *Sacerdos*, *Sanctus.*

Libellaticus.

Libellatici Chriſtiani, quare ſic dicti. 347

Libellatici, etſi nefandis ſacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conſcientiam polluerunt. 348

Libellaticis datus libellus, quâ formâ conſcriptus. ibid.

Liber.

de Libro vitæ deleri quid ſit. 81

Liber Ezechieli oſtenſus, inque os ejus infuſus, quid deſignaverit. 129.

Qui fuit Joanni oſtenſus intus & foris ſcriptus, quid continebat. ibid. & ſeq. Digito Dei ſcriptus erat. 130. Quare intus & foris ſcriptus. ibid. Sigillis ſeptem obſignatus erat, & quare. ibid. & ſeq. Ita fortiter obſignatus erat, ut nullus Angelorum, Sanctorum vel hominum dignus repertus fuerit aperire ſignacula ejus. 131. & ſeq A Chriſto ſolo potuit aperiri. 132

Licinius.

Licinii adversùs Conſtantinum præliaturi ad milites ſuos, ſuggerente Diabolo, habita oratio. 296. & ſeq.

Licinius ab impiis præſtigiatoribus & auguribus fauſta promittentibus illuditur. 299. Quid ſtupendum in civitatibus ejus ditioni ſubjectis apparuit. ibid.

Liciniana ingruente perſecutione pii, & juſti viri fugam arripiunt. 308

Licinius Chriſtianos in urbibus detentos & carceratos ad extremam famem adegit. 308. & ſeq.

Liciniana perſecutio quantum duravit, & quàm gravis fuit. 310. & ſeq.

Licinius ex gravi odio in Chriſtianos, plures primùm ex occulto adortus eſt, deinde palam vexare aggreditur. 316. Profert edictum in eos. ibid. Perſecutionem extinctam exſuſcitat, & iram metu Conſtantini compreſſam, acerbiùs in eos exagitat. ibid.

Licinii artes & conatus ad Eccleſiam penitus delendam. 317

Licinius crudele bellum adversùs Conſtantinum excitat, ac contra Deum omnium moderatorem. 318. Chriſtianos impios vocat. Ibid. Edicto prohibet, ne quis Chriſtum profiteatur, proponitque omnia pœnarum genera confitentibus. ibid. Conſtantino inſultat. 319. De eo prædicitur locus ubi ſæviret, ubi terreſtribus, & navalibus præliis vinceretur, ut ubi occumberet. ibid. & ſeq.

Licinius multis in oris maritimis à Conſtantino victus, & ejus copiæ profligatæ. p. 321. & ſeq. Fugâ delatus Byzantium ibi obſidetur. ibid. Derelicto Byzantio, Chalcedonem navigio defertur. ibid. Victus Nicomediam cum paucis contendit. 321. Ad Conſtantinum ſupplex accedit. ibid. Theſſalonicam ablegatur, ubi laqueo vitam finit. ibid.

Lignum.

Ligni vitæ paradiſi terreſtris vis qualis. 45

Lignum Crucis lignum vitæ per Chriſtum in eo pendentem. ibid.

Lignum vitæ quod edendum vincentibus Fidelibus promittitur, quale ſit, explicatur. ibid. & ſeq.

Lignum vitæ paradiſi cœleſtis quid ſit. 102

Locuſta.

Locuſtæ B. Joanni exhibitæ, Saporis Perſarum Regis exercitum deſignarunt. 210. Earum plaga Valeriano, & Gallieno imperantibus contigit. ibid. Earum deſcriptio ferè ſimilis ei quam Joël protulit. ibid. Septem in eis adnotanda. ibid. & ſeq.

Locuſtarum Apocalypſis productio. 213. Habebant caudas ſimiles ſcorpionum. ibid. & ſeq. Non erant veræ & naturales. 214 Dicuntur ſimiles equis paratis in prælium, & capita earum coronata. 217. & ſeq. Reliqua earum deſcriptio. 218.

Locuſtæ naturales circulum flavum ac rutilantem in capitibus geſtant. 217.

Digitized by Google

217. Simile quid præferunt vultui hominum. 218. Pectus earum loricatum. 219. Non habent Regem; ſecus metaphoricæ. 219

Lucerna.

Lucernæ aureæ ſuper aureum Tabernaculi candelabrum poſitæ, accuratè à Pontificibus & Sacerdotibus componebantur. 25. Quid ſignificarent. ibid. Noctu tantùm lucebant. ibid.

M

Maledictio.

Maledictio primi hominis. 503
Maledictiones Iſraëlitici populi legem Dei tranſgredientis. ibid.

Manna.

Manna abſconditum, calculus candidus, & nomen novum, Chriſtianis in fide conſtantibus, & Martyribus à Deo promittuntur, & dantur, ut in tormentis corroborentur. 58. & ſeqq.
Vide *Chriſtianus, Martyr.*

Marcellina.

Marcellina mulier impia & ſpurciſſima Thyatirenſis, Iezabeli comparatur. 65. Prophetem ſe dicit, & aliquot ex Chriſtianis Thyatiræ ſeducit. ibid. Ad omnem laſciviem pellicit, & idolothytis veſci compellit. ibid. Qualis ejus ſecta. ibid.
Marcellina Thyatirâ zelo Carpi Præſulis diſcedere coacta, Romam ſe contulit, ut impiam ſuam ſectam magis diſſeminaret. ibid.
Marcellinæ pœnitentiam clementiâ permotus Deus peroptabat, ſed fruſtra eam expectavit, ac interiùs allocutus eſt. 67
Marcellina cum impiis fornicatoribus ſuis, & filiis, morbis digitum Dei indicantibus cruciandа prædicitur. 68. & ſeq.

Marcellus.

Marcellus tyrannus, Procopii cognatus, umbram functi Principatus capeſſit. 399. Paulò pòſt acerbiſſima paſſus interit. ibid.

Mare.

Mare limpidiſſimas aquas continens, in Templo Judaïco collocatum, quid fuerit. 115. In qua Templi parte collocatum. 116
Vide verbo *Vas.*
Mare Byzantio proximum in tres partes diviſum. 201. Quomodo una ex his partibus facta ſanguis. ibid.
Mare vitreum B. Joanni exhibitum, igne miſtum, quid deſignaverit. 375
Mare ſub Maximino tantam paſſus eſt intemperiem, ut ejus aquæ tanquam cruor cadaveris apparuerint. 381. In eo etiam piſces mortui ſunt, unde lues peſtilens orta. ibid. Quomodo hoc contingat. ibid.
Mare dum alicui apertum, vel clauſum dicitur, quid ſignificetur. 468
Mare dediſſe mortuos ſuos, cur à B. Joanne dictum ſit. 483
Mare poſt reſurrectionem generalem non erit eo modo quo nunc eſt. 488

Margarita.

Margaritarum duodecim proprietates referuntur, & Apoſtolis comparantur. 496. & ſeq.
Margaritarum pretium ante cenſeatur. 498. Quare uniones dicantur. ibid.

Martyr, & Martyrium.

Martyrum Viennam & Lugdunum incolentium mirabilis modeſtia refertur ex Euſebio. 15
Martyres Smyrnenſes tempore Polycarpi paſſi, prædicuntur incarcerandi,

Digitized by Google

randi, ſed non Polycarpus, & quare. 50. & ſeq. Eorum cruciatus, quos tam toleranter ſuſtinuerunt, ut videntes incredibili admiratione obſtupeſcerent. 51
Martyres Smyrnæi paucis diebus paſſi ſunt. 52
Martyres, in quibus Chriſti paſſiones abundaverint, multiplici per Chriſtum conſolatione gaudebunt. 59
Martyres Lugdunenſes in tormentis ſublevabat lætitia ex martyrio concepta, & ſpes promiſſorum. 60
Martyres varii Pergami paſſi, ex Euſebio & Martyrologio Romano recenſentur. 62.& ſeq.
Martyres majorem quàm Moyſes à Domino poteſtatem adipiſcuntur. 70
Martyrum ſanctorum animæ, quare ſubtus altari holocauſtorum viſæ. 159
Martyres juſtè ſub altaribus in Eccleſia ſepulti. ibid.& ſeq.
Martyrum ſub altari viſorum vox qualis, & deſiderium. 160.161
Martyres quam vindictam à Deo expectant. 161 & ſeq.
Martyrum animæ quare veſtibus albis indutæ apparent. 162
Martyrum conſervi & fratres adhuc multi ab Ethnicis causâ Fidei Chriſtianæ interficiendi. ibid.
Martyribus quàm aptè conveniat Tribuum Iſraëliticarum obſignatio, declaratur. 178.& ſeq.
Martyrum gloriæ participes fiunt etiam non martyres. 184
Martyres trecenti Carthagine paſſi, Vide *Maſſa candida.*
Martyres innumeri ſub Decio, & Diocletiano variis in locis paſſi. 237
Martyres ſaccis induti. 242. & ſeq.
Martyres ex Clero & populo Chriſtiano, facti duæ olivæ, & duo candelabra. 243. & ſeq.
ex Martyrum ore exiit ignis. 245. & ſeq.
Martyres poteſtatem claudendi cœlum habuere, & aquas in ſanguinem convertendi. 246.247
Martyrum ſanctorum corpora inſepulta jacent in plateis Civitatis magnæ. 251.& ſeq.
in Martyrum honorem præclariſſimæ Eccleſiæ erectæ. 259
Martyrum in cœlum aſcenſio civilis & religioſa. 260. & ſeq.
Martyrum ſanguis ad Chriſti gloriam vindicatus. 272
Martyrum duplex merces, & duplex gloria. ibid.
Martyres ſervi Dei, & Chriſti, etiam in gloria. 273
Martyres ſpiritu Dei animati, quàm præclara peragebant. ibid.
Martyres meritò Sancti nuncupati, & timentes nomen Domini. ibid.
Martyres cujuſvis ætatis & conditionis extitere. 274
Martyrum corpora divinitus recognita, & Chriſtiani ad eorum ſepulchra accedentes ab Ethnicorum invaſione cœlitus liberati. 280. & ſeq.
Martyrum in ſolitudine pro Chriſto variis caſibus obeuntium gloria non minor quàm aliorum. 293
ad Martyrii teſtimonium ſufficit teſtis ille qui probat Martyres, & coronat. ibid.
Martyres ſancti animas ſuas non diligebant, ut temporaneam pro æterna vitam commutarent. 302
Martyrum numerus, etſi infinitus, quare ad finitum redactus in Scriptura. 352
Martyres Chriſti & Patris æterni nomen

Digitized by Google

men in frontibus ſuis ſcriptum habent. 353. Victoriam ſuam Chriſto juſtè ac ſanctè aſcribunt. ibid. Voces eorum, & epinicium. ibid. Mori potuerunt, vinci non potuerunt. ibid.

Martyribus ſolis competit ad gloriam Chriſti decantare canticum laudis. 354

Martyres quare Virgines dicti, & cum mulieribus non coinquinari. ibid. Multipliciter Chriſtum ſecuti ſunt, & nunc ſequuntur. 355. & ſeqq. Empti ſunt pretio magno. 357. Mendaces non fuere, ſed ſine macula ſunt ante thronum Dei. ibid.

Martyres invicti nullâ ſimulationis impiæ maculâ, ſive à ſeipſis, ſive ab aliis fœdari ſunt. 358

Martyres Prophetæ dicti. 382. Eorum ſanguis tanquam aqua effuſus. ibid.

Martyrum millia multa Nicomediæ juſſu Diocletiani cum Dominico combuſta. 402

Martyrum fides & conſtantia mirum in modum eluxit in perſecutionibus. 335

Martyres eo majorem gloriam in cœlis conſequuntur, quo majora perpeſſi ſunt tormenta propter Chriſtum. 473

Martyres cum Chriſto in Imperio Conſtantinopolitano Chriſtiano regnarunt. 474

Martyrum reſurrectio prima, in qua primas partes habent. 475

Martyres, & Confeſſores, Sacerdotes ſunt Dei, & Chriſti. 476

Maſſa Candida.

Maſſa candida, quare ſic dicti Martyres trecenti Carthagine ſub Valeriano, & Gallieno paſſi. 213

Maxentius.

Maxentius adverſus Conſtantinum pugnaturus, ad magicæ artis præſtigias & nefanda ſcelera confugit. 299

Maxentius dæmonum ſubſidio belli imperum abs ſe avertere curat. 312. Timiditas ejus notatur. ibid. Intra Romana mœnia incluſus Diis litat, & extiſpices conſulit. ibid. Sibyllinum oraculum perperam intelligit. ibid. Quantus ejus exercitus. ibid.

Maxentii exercitum vocat B. Joannes aquam tanquam flumen. ibid.

Maxentius Conſtantinum Romam adventantem in fluvium Tiberim immergere nititur. 313

Maxentii milites partim cæſi, partim in Tiberim demerſi. ibid.

Maxentium ipſum cum equo & armis inſignibus idem Tiberis correptum gurgite devoravit. ibid.

Maxentius Romæ tyrannidem exercens, nullum impietatis, nullum intemperantiæ facinus prætermiſit. 368

Maxentius non procul à ponte Milvio extra Romam devictus & profligatus. 369

Maxantiani exercitus ſtrages quanta. ibid. & ſeq.

Maxentii exercitus quot equitibus, quotve peditibus conſtabat. 372

Maximianus.

Maximianus cognomento Herculius, Imperator Romanus, agreſti loco, & mercenariis parentibus ortus. 337. Imperio ſe abdicat Mediolani eodem die, quo Jovius Nicomediæ. 338

Vide *Diocletianus.*

Maximinus.

Maximinus Imperator Romanus, ortu, & inſtituto paſtorali fuit. 337. Similitudo quædam ejus cum Chriſto.

Digitized by Google

Chriſto. 339. Benignis edictis Chriſtianos conſolatur. ibid. Carceratos & in Metallum damnatos liberos dimittit. ibid. Bona eis reſtitui jubet. ibid.

Maximini impietas diabolico ore locuta, etiam cùm perſecutionem adverſus Chriſtianos motam divinitus compeſcere nititur. 341
Vide *Galerius*.

Maximinus Jovii cognomen arripit. 344. Illi datum eſt, ut ſpiritum daret imagini beſtiæ, ut loqueretur imago beſtiæ. 345

Maximini perſecutio in Chriſtianos multò acerbior, quàm prior. ibid.

Maximini impium edictum refertur. 379. & ſeq. Gravem plagam ejus ſcelera meruerunt. ibid. Ejus in Chriſtianos arrogans oſtentatio reprimitur. 380

Maximini regnum tenebroſum factum. 380. 383

Maximinus, quæ primus in Martyres ſupplicia excogitavit, eadem ipſe ſuſtinet. 383. & ſeq.

Maximus Tyrannus.

Maximus perſecutionem in Chriſtianos à Galerio Maximiano cœptam renovat. 310. Quantum duravit ea perſecutio. ibid.
Vide *Licinius*.

Maximus Tyrannus apud Britannias exortus, Gratianum Imperatorem piiſſimum perimit, & Valentinianum fratrem ejus fugat. 450. Gentilibus favet. ibid. Cum Theodoſio congreditur, & vincitur. 451

Maximus Philoſophus.

Maximus Epheſius Philoſophus Juliano Apoſtatæ odium in Religionem Chriſtianam ſuggerit. 388. Revera pſeudopropheta, & magus fuit. ibid.

Melito.

Melito Eccleſiæ Sardenſis Præſul. 74. Ad eum ſcribens Joannes Apoſtolus, quâ præfatiunculâ utitur. ibid. Famâ celebris. ibid.

Melito, etſi cenſeretur ab omnibus ſpiritu vivere, reprehenditur tamen à Domino, & quare. 75. Ei vigilantia in gregem commendatur. 76. Cujus ſceleris notâ aſpergebatur apud Deum. 77. De proprio officio adimplendo admonetur. ibid. De incuria pœnitentiam agere præcipitur. ibid. & ſeq.

Melitoni repentinum & inopinatum interitum comminatur Dominus. 78. Quo tempore floruit. 79

Miles.

Milites quadraginta Chriſtum intrepidè confitentur, contra impium Licinii edictum, coram Præfecto contraria ſuadente. 318

Milites in campo ſtantes non ineleganter ſpicis comparantur. 366

Milites Maxentiani, per botros ſignificati, interficiendi prædicuntur ſicut vindemia ſucciditur, & conculcatur. 368. Miſſi ſunt in lacum iræ Dei magnum. ibid.
Vide *Maxentius*.

Miraculum.

Miracula falſa multis in locis aſtu Dæmonis edita, quibus innumeri ſeducebantur homines. 343. 344
Vide *Ignis*.

Miracula falſa in templo Serapis Alexandriæ, ſtuporem, admirationemque videntium commoventia referuntur. 464

Morbus.

Morbi equites accedunt, pedites verò recedunt, tritum adagium. 224

Morbus peſtilens: Vide verbo *Carbunculus*, *Peſtis*.

Mors.

Mortis & reſurrectionis quatuor genera, ex Sacra Scriptura notanda. 257

Vide *Reſurrectio.*

Mors Sanctorum in eremis, ſylvis, & antris ex variis caſibus extinctorum, multùm illis proficua, & in conſpectu Domini pretioſa. 293

Mors prima qualis ſit, & quæ ſecunda. 475. & 484

Mors ſecunda non habet in Sanctos poteſtatem. ibid. & ſeq.

Mors & infernus dederunt mortuos ſuos, quomodo intelligendum ſit à B. Joanne dictum. 484

Mors, & infernus miſſi ſunt in ſtagnum ignis. ibid.

Moyſes.

Moyſes quantacumque ſanctitate fuérit, tantam tamen apud Deum non eſt adeptus poteſtatem, quanta pollent Martyres. 70

Moyſi quàm eximia laus à filiis Iſraël, Sacerdotibus, & Levitis attribui poterat. 138

Moyſes & Elias Sanctorum Martyrum præclaræ figuræ. 244. & ſeqq.

Mulier.

Mulier Jezabeliana, de qua in Apocalypſi, qualis fuerit. 66

Vide verbo *Marcellina.*

Mulier, cui frons meretricis facta eſt, non convertitur ad Dominum, nec cognoſcit eum. 67

Mulieris inſenſatæ nequiſſimi filii exterminabuntur. 68

Mulieris & Eccleſiæ comparatio ex Paulo. 283

Mulier fornicaria, figura populi Iſraël: caſta verò, figura Eccleſiæ. ibid.

Mulier amicta Sole, Eccleſiam repræſentat. 283. Virgo, & ſponſa eſt Chriſti. ibid.

Mulier Eccleſiam ſignificans peperit filium maſculum, & qualis ille fuerit. 288

Mundus.

Mundi hujus figura tranſibit, quando incipiet eſſe novum cœlum, & nova terra. 480. & ſeq.

Mundus in melius innovatus aptè accommodabitur hominibus, etiam carne in melius innovatis. 481

N

Naarmalcha.

Naarmalcha, amnis Regum, canalis ampliſſimus à Trajano, & Severo effoſſus. 395. A Perſis ſaxorum mole obrutus. ibid. Iterum à Juliano effoſſus. 396

Nero.

Nero primum caput beſtiæ in Chriſtianos ſævientis. 327. Tertulliani de eo ſententia. ibid.

Neronis impietas Chriſtianorum perſecutrix extincta, in Domitiano revixit. ibid.

Nero quaſi in mortem occiſus, & plaga mortis ejus curata. ibid. & ſeq.

Neronianæ perſecutionis tempus computatur. 330

Nicolaïtæ.

Nicolaïtæ quales hæretici, & qualis eorum error. 44. Falſum nomen à Nicolao Diacono ſibi aſſumunt, & qua occaſione. ibid. Chriſtianorum nomen uſurpant. ibid. & p. 57

Nicolaïtæ Balaamo impuriſſimo mago ſimiles. 56. Chriſto exoſi ſunt. ibid. Eorum emendationem per pœnitentiam exoptat Salvator. ibid. & ſeq.

Digitized by Google

Nicomedia.

Nicomediæ matris urbium Bithyniæ clades portentoſa deſcribitur. 401. & ſeq. Quando contigerit. 402. Tribus vicibus completa eſt. ibid. Civitas magna fuit, & inclyta. ibid.

Nicomedia Babylonis magnæ nomine intelligi poteſt. ibid. Omnis ejus inſula fugit, & montes non ſunt inventi. 403

Nomen.

Nomen novum Chriſtianis piis, & in fide conſtantibus Martyribus à Chriſto inditum, ad dolorum & cruciatuum levamen. 59. & ſeqq. Vide verbis *Chriſtianus, Martyr.*

Nomen bonum melius quàm divitiæ multæ. 74. Quàm bonum nomen Præſulis Eccleſiæ Sardenſis. ibid.

Nomen Salvatoris proprium, & appellativum, & ejuſdem appellativi ſignificatio antiqua, & nova declarantur. 90. & ſeq.

Nox.

Nox non erit in cœleſti civitate, vide verbo *Beatus, Civitas.*

Numerus.

Numerus millenarius ex triplici multiplicatione per decem producitur, & maximam perfectionem ſignificat. 494

Numerus centum quadraginta quatuor exurgit ex duodecim duodecies multiplicatis. 495

Nuptiæ.

Nuptiæ ſpiritales Agni præparantur in terra, ſed conſummabuntur in cœlo. 445. & ſeq. Qui ad eas vocabuntur. ibid.

O

Oneſimus.

ONeſimus Eccleſiæ Epheſinæ Præſul, ad fidem à B. Paulo converſus, poſt obitum S. Joannis ſuperſtes fuit. 37

Oneſimi increpatio præfatione benignâ & laudum ejus plenâ temperatur. 38. & ſeq.

Oneſimus ex patientia & zelo in abigendis lupis rapacibus à ſuo ovili, laudatur. 39. Hæreticos Carpocratianos, & Cerinthianos examinat, eoſque non à Deo, ſed à Diabolo miſſos, & mendaces, & peſſimis moribus imbutos novit. ibid.

Oneſimus B. Ignatium Smyrnæ in vinculis inviſit, ibid. Ab eo in epiſtola ad Epheſios ſcripta valde commendatur. ibid. & ſeq.

Oneſimi, Timothei ſucceſſoris mirabilis patientia erga gentes Epheſi commorantes laudatur, & in B. Ignatii epiſtola commendatur. 40.

Oneſimus, vir nunquam ob charitatem ſatis prædicandus, juxta Beatum Ignatium. 39. A Chriſto tamen vituperatur, quòd charitatem ſuam primam reliquerit. 40. & ſeq.

Oneſimi prima charitas, quam vituperatur reliquiſſe, quæ fuerit, explicatur. 41. & ſeq.

Oneſimo præcipitur in memoriam revocare à quali virtutum gradu exciderit, pœnitentiam agere, & priſtina opera facere. 43. Comminatur ei Dominus depoſitionem, niſi pœnitentiam agat. 44. Ladatur iterum quòd facta Nicolaitarum odio habeat, quia eximiæ caſtimoniæ

moniæ & ſanctitatis fuit. ibid.
Oneſimi admonitio ad omnes Epiſcopos & Eccleſias dirigitur. 45
Oneſimus correptione Domini emendatus, beata immortalitate donatus eſt. 46

Oſtium.

Oſtium fidei aperit Chriſtus, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit. 85. & ſeq.
ad Oſtium ſtare Chriſtum, & pulſare, quid ſit. 104. & ſeq.

P

Palma.

PAlmas præferunt in cœlo Sancti, etiam non Martyres. 184
Vide *Martyr.*

Peccator.

Peccator quando albis veſtimentis induatur. 104
Peccatoribus quales pœnitentiæ fructus in Laodiceni Præſulis perſona repromittantur. 105. & ſeq.

Pergamus.

Pergamus, Galeni patria, templum Æſculapio dicatum habuit; ſed meliori conſilio Deum animarum Medicum tandem agnovit. 18. & ſeq.
Pergamus quare ſedes Satanæ dicta. 55
Pergamenſis Præſulis egregia & laudabilia opera referuntur. ibid. & ſeq. Reprehenditur tamen à Domino, & quare. 56. Congruam in eo exoptat pœnitentiam Chriſtus, cujus defectu gravia ei comminatur. ibid. & ſeq.
Vide verbo *Martyr.*

Perſa.

Perſæ, Romano exercitu inediâ confecto, priores de fundenda pace Oratores mittunt. 387. Quid obtinent. ibid.
Perſis Orientalibus paratur via ad regiones & urbes è ditione Romanorum ad Perſicam poteſtatem transferendas. 388
Perſa ſenex transfuga Julianum & ejus exercitum decipit. 391
Perſarum exercitus in Romanos jam languentes impetum facit. ibid. & ſeq. Occultis inſidiis comitantur eos explorando. 392

Perſecutor, & Perſecutio.

Perſecutiones olim populo Hebræo illatæ, ab Imperatoribus Chriſtianis in Chriſtianos renovatæ. 136. & ſeq.
Perſecutiones variæ in Chriſtianos referuntur, quæ tribus annis & dimidio durarunt, uti à B. Joanne prædictum. 238. & ſeq.
Perſecutionis inchoatæ ſub Diocletiano, & continuatæ ſub Galerio Maximiano, computatio. 239. & ſeq.
Peſecutio prima Judæorum in Chriſtianos orta Jeroſolymis; gentium verò in eoſdem, Romæ. 254. & ſeq.
Perſecutionum in Chriſtianos motarum dies certo numero à B. Joanne notantur, & quare. 291. & ſeq.
Perſecutionum Maximini, & Licinii Imperatorum tempus computatur. 309. & ſeq.
Perſecutio Liciniana metu Conſtantini compreſſa, actioris flamma exſuſcitatur. 316
Perſecutionis Licinianæ procella in quibuſdam locis, ſed non ubique graſſabatur. 317
Perſecutionum Neronianæ, Domitianæ, Trajanæ, & aliarum tempus

 computa

computatur. 330. & ſeq.
Perſecutoribus eadem referenda ſunt ſupplicia, & cruciatus, quos veris Dei cultoribus intulerunt. 334
Vide *Domitianus*, *Licinius*, *Nicolaïtæ*, *Pergamus*, *Polycarpus*, *Smyrna*, *Veſpaſianus*, &c.

Peſtis.

Peſtis quæ tempore, Marci Antonini & Lucii veri graſſata eſt, quàm maligna, & unde orta. 222. & ſeq. Quid de ea protulerit Joſephus Quercetanus, ibid. Præviſa in Apocalypſi. 223. & ſeq.
Peſtis Galliam & Germaniam depaſcens. ibid.
Peſtilens conſtitutio aliquando toti ferè orbi communis. ibid.
Peſtis ſigna diagnoſtica varia deſcribuntur ex variis Authoribus. 224. & ſeq.
Peſte laborantium qualis facies. 225
Peſtis tanquam bellua immaniter ſævit. ibid.
Peſtis à paſcendo dicta. ibid.
Peſtiferorum horrendus æſtus deſcribitur. ibid. & ſeq.
Peſtiferi ſitim intolerabilem patiuntur, anhelitumque graveolentem exſpirant. 226
Peſtis Aquis in Provincia graſſantis deſcriptio. ibid.
Peſtis cum ſerpentibus comparatio. 227
Peſtis ex ſomnio prædicta. ibid.
Peſtis orta ex putreſcentibus piſcibus ex aquis ejectis, aërem inficientibus. 381. & ſeq.
Peſtis quâ infecti ita furebant, ut in aquas ſeſe immergerent. 383

Phiala.

Phialæ aureæ thymiamateria dictæ, in manibus Sanctorum à Beato Joanne viſæ. 135
Vide verbo *Thymiama.*

Philadelphia.

Philadelphienſis Præſul à Beato Ignatio valde commendatur. 8
Vide verbo *Epiſcopus.*

Philippus Apoſtolus.

Philippus Apoſtolus Theodoſio Imperatori apparet cum Joanne Evangeliſta, & quare. 457
Vide *Theodoſius.*

Piſcis.

Piſces mortui ex aquis ejecti ſulphureum odorem emittentes. 381. Si moriantur in aquis ſtagnantibus, eas inficiunt, aërem corrumpunt, atque peſtem invehunt. ibid.
Piſcis ingentis magnitudinis è mari ejectus, moriens maximum ejulatum emiſit. ibid. Putreſcens in littore peſtem invehit. 382

Plaga.

Plagæ variæ toto orbe infligendæ prædicuntur. 154. Quo tempore contigerint. ibid. & ſeq. Eas Ethnicis infligi ob eorum ſcelera, & injuſtas adverſus Chriſtianos perſecutiones, probat. S. Cyprianus. 157
Plagæ ex Angelicarum tubarum clangore obortæ, initia ſunt dolorum, quos infideles patientur. 208
Plagas varias inflixit Deus Ethnicis, ulciſcens injurias Chriſtianis ſervis ſuis illatas. 248
Plagas cœlitus inflictas veriti Judæi fugiunt, & Chriſtum Deum confitentur. 268
Plaga immiſſa in homines qui habebant characterem beſtiæ, vel qui adoraverunt imaginem ejus. 379. & ſeq. Immiſſa ob ſcelera Maximini. ibid.
Plagæ & calamitates Romæ à Barbaris

baris illatæ, quænam, & quàm graves fuerint. 433.& ſeqq.
Vide *Alaricus, Genſericus, Totilas.*

Polycarpus.

Polycarpus Smyrnæorum Epiſcopus, Apoſtoli Joannis auditor. 47. Ejus merita & ſanctit..s quanta. ibid. Summè laudatur à Chriſto Domino, nec quicquam in eo redarguitur. ibid.

Polycarpi tribulatio, paupertas & alia ejus opera laudantur. ibid.& ſeq.

Polycarpus Preſbyter Apoſtolicus dictus. 48. Ejus dictum, *Tolle impios*, quo ſenſu prolatum. ibid. Pauper ſpiritu, dives erat ſecundùm Deum. ibid.& ſeq.

Polycarpi encomium apud Euſebium. 49. Conſtantia in tolerandis conviciis, & maledictis Judæorum. ibid.

Polycarpus, licèt ſenio confectus, tantùm roboris & conſtantiæ ſumpſit, ut Proconſuli admirationi fuerit. 50. Ejus reſponſa ad Proconſulem. ibid. Non prænunciatur incarcerandus cum reliquis Martyribus, & quare. ibid.& ſeq. Obſecrantibus familiaribus Smyrnâ in proximam villam ſe ſubducit. 51. Martyrium ſuum ex ſomnio prædicit. ibid. Iterum in aliam villam ſe tranſfert. ibid.

Polycarpus perſecutionis flammam contra Eccleſiam incenſam, ſanguine ſuo per martyrium effuſo reſtinxit. 52. & ſeq Continuis precibus exorans Dominum, brevitatem perſecutionis obtinuit. ibid. Promittitur eidem ob eximias virtutes, & labores corona immortalitatis. ibid. & ſeq.

Polycarpus martyrium patitur, in quo quid ſtupendum contigit. 53

Pontifex.

Pontificis antiquæ legis tunica duplex talaris ex ſacris litteris adnotanda. 20. in fin.

Pontificis ornatus quotidiano fungentis miniſterio. ibid.& ſeq.
Vide verbo *Tunica.*

Pontifices & Sacerdotes Moſaïci Sanctuarium nudis pedibus, iiſque lotis, & manibus ingrediebantur, & quare. 23.& ſeq.

Prælium.

Prælium inter bonos & malos Angelos frequens committitur, quod magnum valde eſt, & quare. 295. & ſeq.

in Prælio veniunt Angeli boni. 297

Prælium Angelorum Sanctorum pro Conſtantino, & Religione Chriſtiana; Dæmonum verò pro Maxentio, & ſuperſtitione ethnica. 298.& ſeq.

Prælium Michaëlis & Angelorum ejus pro Conſtantino; diaboli verò & aliorum dæmonum pro Licinio. 299.&ſeq.

Præſul.

Præſules Aſiani ſtellis, & Angelis comparantur. 34. & ſeq.

Præſules Eccleſiarum illuſtriſſimi novum mortis genus ſub Licinio ſubierunt. 319
Vide verbo *Epiſcopus.*

Procopius Martyr.

Procopius Martyr Palæſtinus, Diis, Imperatoribuſque immolare renuit. 342. Dicto Præſidi non arridente ab eo prolato, ſtatim ſecuri percutitur. ibid.

Procopius Tyrannus.

Procopius tyrannus, Juliano extincto, ſtatim Conſtantinopoli viſus eſt purpuratus. 399. Julianum pro-

Digitized by Google

pinquitate contingebat.ibid. Occiditur. ibid.
Procopii interitus quando contigit. ibid.
Procopius tyrannus, Valentiniani, & Valentis metu fugiens Conſtantinopolim adit. 411. Ibi veluti Rex ſcenicus ſubitò factus conſpicitur. ibid. Quomodo ad ſe populum pellexit. ibid.

Propheta, & Prophetia.

Prophetarum, & Apoſtolorum ea fuit imbecillitas, dum in terris verſabantur, ut impar fuerit divinis rebus contuendis. 29
Prophetæ rerum divinarum intuitu conſternati opem divinam ſenſere. ibid.
Prophetæ multoties futura non prædicunt eo ordine, quo contingunt. 163
Propheta Evangelicus: vide verbo *Joannes*.
Prophetia, quantum fieri poteſt, & veritas hiſtoriæ conſentit, interpretari debet ad literam. 52

R

Rationale.

Rationale judicii, in quo erant quatuor ordines lapidum pretioſorum à Pontifice Moſaico in pectore geſtatum. 108

Reſurrectio.

Reſurrectionis quatuor genera ex ſacra Scriptura notanda. 257. & ſeq.
Reſurrectio civilis Chriſtianorum. 258
Reſurrectio religioſa. ibid. Quantum duraverit. ibid. & ſeq.
Reſurrectio prima qualis ſit. 475. In ea primas partes habent Martyres, ſecundarias verò Confeſſores. ibid.
Reſurrectio fieri non poteſt, niſi mors præceſſerit. 481
Reſurrectio mortuorum futura ab omnibus Chriſtianis eſt credenda. ibid.
Reſurrecturi ſunt omnes omninò homines, ut judicentur. ibid.
Reſurrectio puſillorum, & magnorum, juvenum & ſenum, in qua ætate & mole perficietur. ibid. & ſeq.

Rex.

Rex Babylonis ab Iſaia Lucifer dictus; ſicut & Perſarum Rex. 211. & ſeq. Nuncupationis hujus rationes dantur. ibid.
Rex Perſarum congruè deſignatus per ſtellam quæ B. Joanni eſt oſtenſa. 212
Vide verbo *Sapor*.
Reges totius terræ congregantur in prælium à ſpiritibus dæmoniorum. 389. & ſeq.
Vide *Julianus*, *Perſæ*.

Rhadagaiſus.

Rhadagaiſus, Dei nutu perit, ut eo perdito, confunderentur ethnici Romani. 460. Pœnam quam aliis inferre decreverat, ipſe patitur. 461. Quàm ingentes ejus copiæ, & quàm celeriter devictæ. ibid. Profligatis ejus copiis, capitis debitâ pœnâ unà cum filiis plectitur. ibid. Omnium Chriſtianæ Religionis hoſtium immaniſſimus fuit. 462

Rhoilus.

Rhoïlus Scytharum Dux Joanni tyranno adverſus Romanos auxilium cum ingentibus copiis præbet. 463. Fulminis ictu comburitur, peſtéque, & igne perit ejus exercitus. ibid.

Roma, & Romanus.

Roma civitas magna, in cujus plateis

Digitized by Google

teis jacuere Sanctorum Martyrum corpora. 251
Roma Ethnica Chriſtianorum perſecutrix atrociſſima, Babylon & Sodoma dicta. ibid.& ſeq.
Romæ Ethnicæ vitia, & quàm priſci Romani immiſericordes erga egenos. 252
Roma etiam cum Ægypto confertur. ibid.& ſeq.
Roma ethnica Ieroſolymæ nomen, quatenus in eâ crucifixus eſt omnium Dominus, etiam habuit. 254
Roma caput mundi, totiuſque Romani Imperii moderatrix. 269. In ea totius impietatis paganæ ſubverſio ſignificatur. ibid.
Romanum Imperium factum regnum Domini noſtri, & Chriſti ejus. ibid. & ſeq.
Romanum Imperium à Chriſtianis videtur deficere, ſed ad eos iterum ſubitò tranſit. 270. & ſeq.
Romanum Imperium per ferrum ſignificatum, in æternum non diſſipabitur. 271
Roma Ethnica nationes omnes ſibi obſequentes dæmonum cultui arctè devinxerat, eaque adverſus Chriſtianos concitaverat. 274
Roma ebria de ſanguine Sanctorum, & de ſanguine Martyrum Jeſu. 285
Roma Ethnica Babylon magna dicta. 361. Ruina ejus certò futura prædicitur. ibid.
Romæ nunc etiam videtur arcus triumphalis à S.P.Q.R. Conſtantino dicatus. 371
Roma Babylon altera, aut occidentalis. 403. In pluribus filia Sion quàm filia Babylonis. ibid. Impietati ſuæ debitas pœnas ſubiit. ibid. & ſeq. In tres partes oſtenditur diviſa, multis de cauſis. 401. & ſeq. A Gothis ſub Alarico capitur. ibid. Incenditur à Genſerico Vandalorum Rege. 405. Peſte, fame, & hoſtili gladio affligitur. ibid. & ſeqq. Trina Iſaurorum proditione traditur Totilæ poteſtati. 406. & 407
Romæ inſula fugit, & montes non ſunt inventi. 406. & ſeq. Status ejus captæ ſub Totila à Gothis. 408. & ſeq.
Roma ethnica B. Joanni ab Angelo vocato in deſertum exhibetur. 416. Ejus ornamenta quæ fuerint. ibid. Mater fornicationum, & abominationum terræ ibid. & ſeq. Sanguine Martyrum ebria dicitur. 417. Horrenda illius ſpecies B. Joannem in admirationem rapit. ibid.
Romani montes, & Imperatores ethnici, per ſeptem beſtiæ capita, & decem cornua ſignificati recenſentur. 418. & 419
Roma ethnica populo variarum linguarum & nationum abundabat. 421. & ſeq. Caput Imperii ethnici fuit. 423
Romæ ethnicæ ſubverſio bis ab Angelo proclamatur, & quare. 426. De quo intelligenda ſit potiſſimùm ejus ſubverſio. 427
Romani plures, tum è Senatu, tum è plebe, adhuc idololatræ fuere, Chriſtianis regnantibus Imperatoribus. ibid.
Romæ vix ulla ſuperfuere ſuperſtitionis antiquæ ſigna poſt illatas ab Alarico, Genſerico, & Totila ſtrages, & clades. 428
Roma facta habitatio dæmoniorum. ibid. & ſeq. Seceſſus etiam animalium immundorum. 429 Ejus facies ex S. Hieronymo. ibid. & ſeq.
Romanæ ſubverſionis cauſæ. 480. Ex ea diſcedit monitus populus Chriſtianus.

ſtianus. ibid. Quanta,& quàm gravia ejus peccata. 431

Roma juſtè pœnâ talionis plectitur. ibid. Quater capta fuit, & quare. 432. Tantum tulit tormentum & luctum, quantùm glorificavit ſe, & in deliciis fuit. ibid. Quomodo dicantur ejus plagæ venire una die. ibid.& ſeq. Quænam fuerint. 443. Quàm pauci homines in ea inventi, à Totila captâ. 434. Luctus ſuper eam factus. ibid. Opes ejus, quibus orbata eſt. 435. Cives ejus opulenti valde, ad mendicitatem redacti. ibid. Decor omnis ejus ab illa egreſſus eſt. ibid.& ſeq. Divini nominis ignominia in illa. 436. Cœlitum lætitia ex illius excidio. ibid Prædicitur. 437

Roma ethnica ita vaſtata & ſubverſa, ut numquam in priſtinum ſtatum ſit revocanda. ibid. Omnium gentium ſerviebat erroribus. ibid. Penuria ejus ex multiplici ſtrage. ibid. & ſeq. Lux lucernæ non luxit amplius in ea. 438. Nuptiæ non ſunt in ea celebratæ. 439

Roma ethnica cum civibus ſuis opibus undique aſcitis, ſceleſtè, intemperanterque abutebatur. ibid. Gentes Imperio ſuo obſequentes erroribus ſuis infecit.ibid. Rea fuit ſanguinis Chriſtiani toto orbe fuſi. ibid. Ob ejus excidium laudant Sancti Deum 441.Quomodo dicatur fumus ejus ſemper aſcendere. 442. & ſeq. Babylon & meretrix dicta. 445

Romanorum & Iudæorum cædes horribilis, quæ ſub Trajano contigit, deſcribitur. 150

Romani ſub Adriano Iudæorum impetum inſulsè contemnunt. 151 Tandem eos vincunt, ſed non incruentâ victoriâ. ibid.

Romano exercitui mirabile portentum contigit precibus Legionis Chriſtianæ. 196

Romani homines ingenui mortem præponebant ſervituti. 217

Romani cum Perſis bellum gerere, quàm pati Chriſtianos tam miſerè perire, maluerunt. 462. Feliciter contra eos pugnant. 463

Ruſticana.

Ruſticana dives Romana, extremam miſeriam patitur,urbe vaſtata. 435

S

Sacerdos.

Sacerdotes antiqui in vigintiquatuor familias diſtincti, alternatim ſub ſummo Pontifice in templo munia ſua complebant. 111. Sub eorum ſpecie apparent Sancti, Chriſto ſummo Pontificii aſtantes. ibid. Cum illo ſedent. ibid. Senes videntur, & quare. ibid. Veſtimentis albis induuntur. ibid. Coronati apparent. ibid.

Sacerdotes in circuitu ſedis B. Joanni apparentes Sanctos deſignabant. 115. Eorum cum illis comparatio. ibid.

Vide verb. *Levita*, *Sanctus*.

Sagaris.

Sagaris Eccleſiæ Laodicenæ Epiſcopus, Pauli Apoſtoli diſcipulus. 94. Peracerbè reprehenditur. ibid. Nec frigidus, nec calidus dicitur, & quare. 99. Frigoris ac caloris defectus multis rationibus in eo arguuntur. ibid. & ſeq. ob tepiditatem comminatur illi Deus eum ex ore ſuo evomere. 100. Superbit ex divitiis ſpiritualibus, & opibus terrenis. ibid. & ſeq. Miſer, miſerabilis, pauper, cæcus, & nudus dicitur, & quare. 101. & ſeq. Quid ſuadeat

Digitized by Google

ſuadeat ei Chriſtus, dum monet, ut aurum ignitum, & probatum ſibi emat. 102. & ſeq. Tripliciter ab eo erat emendum. 103
Sagari conſulit Chriſtus, ut induatur veſtimentis albis, ne amplius appareret confuſio nuditatis ejus. ibid. Et collyrio inungat oculos ad mentis cæcitatem diſcutiendam. 104
Sagaris ad æmulationem & pœnitentiam excitatur. ibid. Ad ejus oſtium ſtat Chriſtus & pulſat. ibid. & ſeq. Quales fructus ex pœnitentia ſperare debeat. 105. & ſeq.

Salvator.

Salvator noſter nomine proprio vocatur Jeſus; appellativo verò, Meſſias, Chriſtus, Rex Iſraël. 90. Utrumque hoc nomen eſt recens, & communicatur electis Dei. ibid. Ejuſdem nominis appellativi ſignificatio antiqua & nova declaratur. ibid. & ſeq.
Salvatoris adventus, & malis, & bonis, & Sanctis citus futurus. 509
Vide verbo *Chriſtus*, *Ieſus*.

Sanctus.

Sancti ſub Sacerdotum ſpecie apparent in Apocalypſi Chriſto ſummo Pontifici adſtantes. 111
Vide verbo *Sacerdos*.
Sancti alii aliis ſunt beatiores. 115. Per Sacerdotes in circuitu throni Divini apparentes deſignati. ibid.
Sancti à B. Joanne viſi in circuitu ſedis, ſub figuris leonis, bovis, hominis & aquilæ. 120
Sancti oſtenſi præ ſe ferre ſex alas. 122. Antiquorum Levitarum munia perfectè, ac ſanctiſſimè adimplent. ibid. Jugiter Deum glorificant. 123
Sancti audientes ſanctitatem Chriſti Domini, ſtatim procidunt ante thronum illius. 126
Vide verb. *Levita*, *Sacerdos*, *Sanctus*.
Sancti proni adorant ſummam poteſtatem Chriſti accipientis librum obſignatum ad aperiendum. 135. Ritus Moſaïcus perficientes in cœlis, alii videntur cantantes cum citharis in laudem Chriſti; alii autem cum phialis aureis plenis thymiamatum ſacrorum oſtenduntur. ibid. & ſeq.
Sanctorum corpora & animæ Chriſti ſunt bonus odor reconditus. 136
Sancti novi Levitæ, & Sacerdotes, canticum novum in Chriſti honorem canunt. 137
Sancti in cœlo veterum Sacerdotum, & Levitarum mirabiliter implent officia, ſupplentque defectus. 138. & ſeq.
Sancti Chriſto gratias eximias agunt variis ex titulis. 139
Sancti quo majores dignitate, eo magis ſe coram Deo humiliant, & taciti illum laudant. 144
Sancti omnes in circuitu throni ſtantes, palmas in manibus præferunt, Canticum Agno dicentes. 184. Puriſſimi ſunt. 187
Sanctorum in cœlo regnantium ſtatus, complementum eſt ejus qui fuit in Iſraëlitis antiquis præfiguratus. 188. & 189
Sancti poteſtatem aliquando habent convertendi aquas in ſanguinem, & percutiendi terram omni plaga. 247. 248
Sanctorum pro Chriſto interfectorum corpora in plateis expoſita, & militum excubiis cuſtodita, ut inſepulta jacerent. 255. & ſeq.
Sanctorum omnium lætitia, & laudes in

Digitized by Google

in Deum ob afflictam & everſam Romam ethnicam. 441.& ſeq.

Sanctorum vox gloriam Deo concinentium, cui comparetur. 445

Sancti in terra perſecutionum ictibus obfuſcantur, ut Redemptoris gratiâ exculti, divinum in cœlis fulgorem aſſequantur. 492

Sanctorum charitas quare à Beato Joanne comparatur fulgori jaſpidis. ibid.

Sanctorum magna felicitas in cœlo. 504

Sapores.

Sapori Perſarum Regi dicitur data clavis putei abyſſi.212.& ſeq. Valerianum Imperatorem vincit, & capit. 214. Cruciatus diros ei infligit.215. Acerbiùs adhuc in eum exaſperatur,& quare.216. Muliebri apparatu proceſſit ad bellum. 218. Syriam, Ciliciam, & Cappadociam depopulatus eſt. ibid. Dictus eſt Angelus abyſſi. 219

Sapphirus.

Sapphiri color qualis, & quid ſignificet. 496. Apoſtolis comparatur, ibid.

Sardius.

Sardius lapis pretioſus, varii coloris. 100. Qualiter Chriſto conveniant, & quid ſignificent hi colores. ibid. Chriſtum Judicem decet. 110

Sardii color ſanguineus, & igneus aptè Chriſtum filium Dei exhibent. ibid.

Sardii lapidis proprietates, quæ Apoſtolis adaptantur. 496

Sardonix.

Sardonix pretioſior, qui tribus coloribus variegatur.496. Comparatur Apoſtolis. ibid.

Satanas, dum modico tempore poſt mille annos ſolvendus prædicitur, quomodo ſit hoc intelligendum. 470

Vide *Diabolus*, *Turca*.

Scriptura.

Scripturæ Sacræ divinitus conſervatæ, cœlo pro his dimicante, furentibuſque elementis in ſacrilegos. 279

Scriptura ſacra in rebus enarrandis ſæpe non ſervat ordinem quo illæ eveniunt. 280

Scripturæ Sacræ librorum quàm veneranda authoritas. 509

Scytha.

Scytharum populus unde ortus. 477

Scythia ubi ſita. ibid.

Scytharum mores deſcribuntur. ibid. Dicti ſunt Gog, & Magog. ibid.

Senior.

Seniores à Beato Joanne viſi, procedunt ante ſedentem in throno,mittuntque coronas ſuas ante thronum. 125. & ſeq.

Seniorum effatum, *Dignus es, Domine, &c.* quadrupliciter intelligendum proponitur. 126. & ſeq.

Seniores figuras legales in honorem Chriſti ad ſe transferunt, mirabiliterque implent. ibid. Percupiunt ut Chriſtus ſummam, quâ pollet in omnes creaturas, potentiam oſtendat. 128

Seniores viginti-quatuor coram Chriſto librum accipiente ad aperiendum proni cadunt. 135. Quomodo dicantur habere ſinguli citharas, & phialas aureas. ibid. & ſeq.

Vide *Levita*, *Sanctus*.

Serapis.

Serapis ſimulacrum & templum dirutum ſub Theodoſio magno, multaque alia idola, fana & delubra Alexandriæ. 458

in Serapis templo multa ad ſtuporem, admiratio

Digitized by Google

admirationemque videntium, dolis & arte compoſita. 464

Sigillum.

Sigillis ſeptem obſignatus erat liber B. Joanni oſtenſus, & ita fortiter, ut nullus potuerit ea aperire. 130. & ſeq.

Vide verbo *Liber*.

Silentium.

Silentii cœleſtis, poſt ſolutionem ſigilli ſeptimi, cauſa declaratur. 190. Eo præparabantur ad bellum Iſraëlitæ. ibid.

Silentium in obſidione & excidio urbis Jericuntinæ obſervatum, & clamor & clangor ſubſecutus, figura ſilentii, clamoris & clangoris cœleſtis B. Joanni exhibiti. 191. & ſeq.

Silentium ab Hebræis obſervatum tempore precationis, & incenſationis quotidianæ. 192

Simulacrum.

Simulacra juſſu Theodoſii Magni quædam fracta, alia ſervata. 427

Simulacris quibuſdam ornamenta adempta; alia ex auro, & argento facta, conflata. ibid.

Simulacra innumera ex urbe Româ ablata à Genſerico, & in Africam multa delata. 428

Smaragdus.

Smaragdi color quàm gratus oculis. 496. Cui comparandus. ibid.

Smyrna.

Smyrna Homeri patria, quare Epheſo in Apocalypſi adjuncta. 18

Smyrnenſis Eccleſiæ perſecutio, cùm paſſus eſt Polycarpus, decem tantùm diebus perduravit. 51. & ſeq.

Vide verbo *Polycarpus*.

Sol.

Sol dum in Scripturis dicitur ſuper aliquem cadere, quomodo ſit intelligendum. 211

Spectaculum.

Spectaculis gentilium inquinabantur Chriſtiani, qui eis ſponte intererant. 79. & ſeq. Ab idololatria promanaſſe, probatur ex Tertulliano. ibid.

Spectacula, ludique Circenſes Chriſtianorum, quales debent eſſe, declaratur ex Tertulliano. 83

Spiritus.

Spiritus cœleſtes ante thronum ſummi Pontificis ſtupentes in Apocalypſi viſi, ad quæ munia obeunda parati. 113

Vide verbo *Angelus*.

Spiritus tres immundi in modum ranarum de ore draconis, beſtiæ, & pſeudoprophetæ exeuntes, qui fuerint. 388

Spiritus dæmoniorum edentes miraracula falſa, congregant Reges terræ in prælium. 389

Spiritus immundi nomine quid intelligendum veniat in Scriptura. 429

Stagnum.

Stagnum ardens ſulphure, in quod beſtia, & pſeudoprophetæ mittuntur, quid ſit. 465

Stella.

Stellæ ſeptem in dextra Summi Sacerdotis B. Joanni in Apocalypſi apparentis viſæ, lucernis ſeptem aurei Candelabri ſignificatæ, ſeptem Eccleſiarum Aſiæ Præſules deſignant. 25. & ſeq.

Stellarum à B. Joanne in manu Summi Pontificis in Apocalypſi viſarum, cum Epiſcopis comparatio. 34

Stella cadens quale mat. orum. 103

Stella crinita, quæ tempore Antonini Pii apparuit, à B. Joanne prævisa. ibid.

Digitized by Google

ibid. Magna dicitur, & ardere tanquam facula. 204
Stella, comeτa dicta, de cœlo ſuperiori cadit. ibid.
Stella à B. Joanne prævisa, quo ſenſu dicatur cadere in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum. 204. & ſeq. Abſinthium nuncupatur. ibid.
Stellam de cœlo cecidiſſe in terram, quo ſenſu intelligendum. 211. & ſeq. Quomodo aperuit puteum abyſſi. 212. & ſeq.

T

Templum.

TEmpli Moſaïci partes duæ referuntur, & quid in eis collocatum fuerit. 234
Templum Dei metiri, & altare, & adorantes in eo, quid ſit. 235. Quare B. Joanni præcipiatur unam illius partem metiri, alteram verò prohibeatur. ibid. & ſeq.
Templi Jeroſolymitani profanatione, & Civitatis direptione, quid præfiguratum ſit. 236
Templi & civitatis Jeruſalem contaminatio, & vaſtatio quanto tempore duraverit, ſub Antiocho Epiphane. 238
ad Templi Jeroſolymitani reædificationem Gentiles pariter cum Judæis concurrunt. 263. Quàm fuerit amplum. 264. Ejus reædificationem fruſtra moliuntur Judæi. ibid. & ſeqq.
Templum Dei pars intima Templi, Sancta Sanctorum, & thronus Dei. 276
Templi cœleſtis tam patens exhibitio facta D. Joanni, quid deſignarit. 278
Templa Sacra à Conſtantino, & ejus matre erecta. ibid.
Templum tabernaculi teſtimonii apertum in cœlo viſum à B. Joanne. 376. Exeunt de eo ſeptem Angeli plagas ſeptem inflicturi. 377. Impletur fumo à majeſtate Dei. ibid.
Templa ad quid potiſſimùm conſtructa. 498. Nulla eorum neceſſitas in cœlo Beatorum. ibid.
Templum cœleſtis civitatis Dominus Deus omnipotens. 499

Tempus.

Tempus plurium annorum ſæpè in Scriptura unius diei, aliquando verò unius horæ ſpatio exprimitur. 432. & 434
Tempus quod reliquum eſt uſque ad conſummationem ſæculi, datur ex judicio & miſericordia Dei. 506. & ſeq.

Tenebræ.

Tenebræ inſolitæ & ſtupendæ à B. Joanne prævisæ, Gallieno Imperante contigere. 206. & ſeq.
de Tenebris vocavit Chriſtianos Dominus in admirabile lumen. 208

Terra.

Terræ tertia pars combuſta ex grandine cum igne, & ſanguine mixta. 197
Terra in tres partes hominum dividitur. 207
Terræ nomine, & ipſa terra, & terræ Dominus intelligi poteſt. 313. Etiam poteſt intelligi Chriſtus. ibid.
Terram adjuviſſe mulierem, triplici ſenſu

ſenſu à B. Joanne potuit dici. ibid. & ſeq.
Terra abſorpſit flumen à dracone immiſſum. 315
Vide *Exercitus*.
Terra poſt reſurrectionem generalem omnium hominum non erit eo modo quo nunc eſt. 480. & ſeq.& 486.& ſeq.
Terra nova, in qua juſtitia habitet, expectanda. ibid.

Terræ motus.

Terræ motus horrendus, ex quo planè univerſus orbis calamitatem ingentem accepit, deſcribitur. 164. Quæ ſtupenda ſigna eum præceſſerunt. ibid. Prædictus in Apocalypſi. 165. Ex eo Mons Caſius valde concuſſus. ibid.
Terræ motus ingens in Apocalypſi prædictus, convenienter de Antiocheno intelligitur. 166. & ſeq. Quomodo intelligendum, quod in eo omnis mons & inſulæ de ſuis locis motæ ſunt. ibid.
Terræ motuum diverſa genera. 167
in Terræ motu Antiocheno quid metu perculſi omnes homines abſconditi exclamarent. ibid. & ſeq. Ejus explicatio concluditur pia adhortatione. 170
Terræ motu magno facto ex igne in terram ab Angelo miſſo, qualis intelligendus veniat. 193. & ſeq. Magnus dicitur. 194
Terræ motus varii referuntur. ibid.
Terræ motus magnus, de quo Apocalypſis cap. 13. verſ. 13. qualis fuerit, & quando contigerit. 260. Ejus deſcriptio. 264. Quàm gravi ſtrage affecerit civitatem Jeruſalem. ibid.
in Terræ motu Jeroſolymitano quid ſtupendum contigit, & quot Judæorum millia interempta. 267
Terræ motus magnus, qualis nunquam fuit, deſcribitur. 399. & ſeq. Quando contigit. ibid. Quid portendebat. 400
Terræ motus horribilis, ex quibus multæ gentium civitates ceciderunt. 401.& ſeq.

Tertullianus.

Tertullianus quo tempore floruit. 79. Chriſtianos multis rationibus ſpecie fallentibus ad adeunda ſpectacula permoveri declarat. ibid. Ideo librum de ſpectaculis componit. ibid. Hujus libri initium, & authoritates aliquot referuntur. ibid. & ſeq.

Teſtimonium.

Teſtimonium Jeſu habere quid ſit. 160 & 318.
Teſtimonium de Jeſu quale ſit. ibid.
Teſtimonium ſolum illius qui judicaturus eſt, ſufficit ad coronam Dei promerendam. 184
Teſtimonium Dei in ſe habet, qui credit in Filium Dei. ibid.

Teſtis.

Teſtes duo fideles Dei, Clerus ac populus Chriſtianus. 241. Dedit eis Dominus copioſè Spiritum ſuum, quo animati prophetarunt, dum Eccleſia, & Civitas ſancta ab impiis & Ethnicis calcabatur. ibid.& ſeq.
Teſtibus Chriſti fidiſſimis indita virtus

tus quanto tempore duraverit. 242

Teſtes veritatis generoſiſſimi ſaccis olim induti. ibid. & ſeq.

Theodoſius Magnus.

Theodoſius Imperator in Dei ope confidens, nationes cunctis Majoribus formidatas debellare aggreditur. p. 450. Memor beneficiorum Gratiani, totius viribus Orientis ultus eſt ſanguinem juſtum. ibid. Maximum tyrannum, ſola fide major, aggreſſus eſt. ibid.

Theodoſio victoriam contulit Chriſtus verax & fidelis. 450. & ſeq.

Theodoſius victoriam incruentam, Deo procurante ſuſcipit. 451. Contra Eugenium tyrannum arma ſuſcipit. ibid. Ad bellum ſe præparat jejuniis, & orationibus. 452. Projectis armis ad ſolida ſe vertit auxilia. ibid. Glorioſior fuit ei victoria de fruſtratis opinionibus paganorum, quàm de tyranni interitu. ibid. Cum juſtitia judicat, & condemnat Eugenium tyrannum. 453

Theodoſii quadruplex zelus. ibid. & ſeq. Multa diademata illi collata ſunt. 454

Theodoſius bellum contra Eugenium intermittere renuit. 455. Quàm fidenter in bellum, etiam nullo ſequente, proruperit. ibid. In ſomnis equites duos albo veſtitu amictos, victoriam promittentes videt. 456. Copiis paucioribus, hoſtium ingentes copias ſuperat. ibid. Cur non apparuerit ei multitudo militiæ cœleſtis, ſed tantùm Joannes Evangeliſta, & Philippus Apoſtolus: & cur præſertim hi duo è Cœleſtibus. 457. Particeps effectus eſt poteſtatis & juſtitiæ Dei. 458. Eo imperante idolorum cultus collapſus eſt. ibid. Ideo exultat, & gratias Deo agit. ibid. Virtutes ejus. 459

Theodoſius Iunior.

Theodoſius junior legem adverſus paganos & idola protulit. 460. Ex his pietatis ſeminibus fructum continuum percepit. ibid. & ſeq. Maximum exercitum adverſus Perſas mittit. 463. Quàm feliciter confectum hoc bellum. ibid. Joannem tyrannum Ravennæ opprimit. ibid. Digito Divino perit ejus hoſtis Rhoïlus, & omnes ejus exercitus. ibid.

Theotecnus.

Theotecnus vir crudelis, vafer & improbus, Chriſtianorum infenſus hoſtis. 344. 345. Simulacrum Jovis Φιλίε erigit, in quo magicis præſtigiis falſa miracula edit, quæ ad aures Imperatoris pervenire curat. ibid.

Thronus.

Thronus Chriſti magnus exhibetur Joanni. 480. Candidus etiam apparet, & quid ejus candor ſignificet. ibid.

Thronus Dei, & Chriſti in cœlo in ſæculum ſæculi. 503. & ſeq.

Thronus Dei, & ejus Filii unigeniti, nunc thronus gratiæ, Beatis futurus thronus gloriæ. 504

Thyara.

Thyara byſſina Pontificia candidiſſima

ma. 22. Ejus deſcriptio ex S. Hieronymo. ibid.
Thyatæ Pontificis à B. Joanne viſi candor intenſus, eximiam animi ejus munditiem ſignificat. 22

Thymiama.

Thymiama in ſacrificio agni matutino, & veſpertino adolebatur. 135. reponebatur in phialis aureis. ibid. Componebatur ex aromatibus æqualis ponderis optimè contuſis. 137
Thymiama ſanctum Domino, orationes juſtorum. ibid.

Tonitru.

Tonitru vox Dei. 111. Quid illis indicarit Deus in Apocalypſi. ibid.
Tonitruum fragor aliquibus Scripturæ locis ſignificatur. ibid.
Tonitrua & terræ motus magnus factus ex igne ab Angelo in terram miſſo, quid ſignificet. 193. & ſeq.
Tonitrua ſtupenda cum eliſis è nubibus igne & grandine, voces gravem Dei commoti iram ſignificantes. 279
Tonitrua cum fulgetris pro Martyribus, & Chriſtianis ad eorum ſepulchra concurrentibus dimicant. ibid. & ſeq.
Vide verbo *Terra motus.*

Topazius.

Topazius lapis quantò inventu rarior, tantò pretioſior. 497. Proprietates ejus referuntur, & Apoſtolis adaptantur. ibid.

Totilas.

Totilas tertius Romæ vaſtator. 406. Clementia ejus in Romanos. ibid. Quid concedat precibus Pelagii. ibid. Trina Iſaurorum proditione urbem capit. ibid. & ſeq. Eam ad ſolum proſternere decernit, ſed conſilium mutat. 407
Totilas, urbe capta, Petri Apoſtoli Baſilicam ingreditur, & inde gratiam Romanis præſtitit. 408
Totilas Romam obſidet, capit, & graviter affligit. 433
Vide *Roma.*

Trajanus.

Trajanus Imperator victoriis clarus. 147. Ejus felicitas tentatio fuit Chriſtianis, qui fide nutarent. ibid. Agarenos adortus grave periculum ſubit. ibid. Prodigia mira inibi contingunt. ibid. Decumbit & moritur. ibid.
Trajani ſuperbia juſtè fuit edomita juxta civitatem à filiis Agar denominatam. 148
Trajanus Antiochiæ hiemans, vix periculum ex horrendo terræ motu imminens evadit. 164. Timore concutitur. 165
Trajano notum fuit Chriſtianos Deum unum, & Chriſtum colere. 169

Tribus.

ex Tribu qualibet Iſraëlitica duodecim millia ſignantur, & quare. 176. Non obſignantur eo ordine quo in Scriptura referuntur. 177. Earum obſignatio quomodo Chriſtianis

Digitized by Google

ſtianis conveniat. ibid. & ſeq. Obſignationis ordo qualis. ibid. & ſeq.
Tribus Dan inter alias ſigno Dei vivi non obſignatur, & quare. 180
Tribus Ephraim ob eaſdem ferè rationes inter obſignatas ſigno Dei vivi non recenſetur. 181

Triſagium.

Triſagium ſacrum ſemper ab Animalibus myſticis Levitas repræſentantibus in cœlo decantatum. 123. Chriſto variis rationibus applicatur. ibid. & ſeq.

Tunica.

Tunica talaris Pontificis Moſaïci duplex ex ſacris litteris obſervatur. 20. in fin. Diverſitatis ratio affertur. 21

Turca.

Turcarum Imperium quanto tempore ſit duraturum, non determinatur, & quare. 470
per Turcas infideles ſatanas ſolutus cenſetur. 476
Turcis arenam maris intueri non licuiſſet, ſi Romana claſſis ſemper mare tenuiſſet. ibid.
Turcarum Imperium ex Romani diminutione auctum. ibid.& ſeq.
Turcarum gens unde orta ſit. 477. & ſeq.
Turcæ in multis cum Scythis conveniunt. 478
Turcarum progreſſus à Chriſtianis lugendus, & diffuſio in multas orbis regiones. ibid. & ſeq.
Turcæ contra Chriſtianos dimicantes igne cœleſti abſumendi. 479
Turcarum exercitus innumerabiles cum Duce illorum, & pſeudopropheta, igne cruciabuntur æterno. ibid.

V

Valentinianus.

Valentinianus Imperator creatur. 399. Valentem fratrem Imperii participem facit, & Procopium tyrannum occidit. ibid.

Valerianus.

Valerianus Imperator innocentes ac Sanctos Dei acerbè perſequutus eſt. 214. Hoſtium probris objectus, & à Sapore Perſarum Rege captus. ibid.
Valerianus ſervitutis tempore diros cruciatus paſſus. 215. Quot annos captivitas ejus duravit. ibid. Tentat eum liberare Odenatus Palmirenus. ibid. & ſeq.
Valerianus ob peracerbam mœſtitiam, & extrema opprobria mortem optavit. 217
Valeriani impia & horrenda facinora, & mors, ex quibus adhortatio ad Reges. 220

Varanes.

Varanes Perſarum Rex Chriſtianos acerbè exagitat. 462. Auxilium à Saracenis poſtulat contra Romanos. ibid. A quibus commotus adverſus Chriſtianos. 465

Vas.

Vas nitidiſſimas aquas continens, abluendis

Digitized by Google

abluendis pedibus & manibus Sacerdotum deſtinatas, in Templo Judæorum collocatum. 114. Quàm mundum & nitidum fuerit æs, ex quo fabrefactum erat. ibid. & ſeq. Quo in loco Templi collocatum. 115

Vas in cœlo B. Joanni monſtratum, quare mare vitreum ſimile cryſtallo dicatur. ibid. Quare exhibitum ante thronum Chriſti & Dei, Sanctis veluti Sacerdotibus vallati. ibid.

Verbum.

Verba Apocalypſis cap. 5. verſ. 8. *Habentes ſinguli citharas, & phialas aureas*, quomodo intelligenda, declaratur. 135. & ſeq.
Vide Dictio, *Vox.*

Veſpaſianus.

Veſpaſiano impiè & adulatoriè attribuuntur oracula Sacræ Scripturæ, quod totius orbis aliquando potietur imperio. 10

Veſpaſianus ex familia David oriundos graviter perſecutus eſt, & alios Judæos. ibid.

Veſtimentum.

Veſtimentorum nomine quid ſignificetur in aliquibus Scripturæ locis. 78

Veſtimenta alba Chriſtianis vincentibus promiſſa. 81

Veſtimentis albis quando peccator dicatur indui, nec ampliùs apparere confuſio nuditatis ejus. 104

Vita æterna.

Vita æterna perpetuò à Deo in Beatos manat. 501. & ſeq.

Vitæ lignum, vide *Lignum.*

Voluſianus.

Voluſianus Cæſar Chriſtianis gravis. 157. Quàm graves clades ſub eo contigerint. ibid.

Vox.

Vox ad Joannem de cœlo perlata, *magna*: quæ fuerit, & quæ ei indixerit. 17. & ſeq. Comparatur clangori; tubæ quâ utebantur in præliis Hebræi diebus feſtis. 18

Vox venerandi Senis B. Joanni in Apocalypſi apparentis, ſonitui aquarum multarum magno impetu decurrentium comparatur, & hujus comparationis variæ rationes redduntur. 24. & ſeq.

Vox Chriſti orantis in cœlo Patrem, vox eſt uberrimè aquas cœleſtes emittens. 25

Voces, *Ego ſum α, & ω; primus, & noviſſimus; principium & finis*, idem planè ſignificant. 29

Voces hæ, *Hæc dicit Dominus*, omnibus ſermonibus propheticis præmittebantur. 37

Vocis Græcæ ἀγάπη, quæ fuerit apud primævos Scriptores Eccleſiaſticos ſolemnis ſignificatio, explicatur. 41
Vide verbo *Dictio.*

Vox è cœlo demiſſa, *Fortis eſto Polycarpe*, dum ſtadium ingrederetur, ab ipſo audita, mirè ejus robur & conſtantiam auxit. 50

Voces, *Chriſtianus ſum*, à Martyribus prolatæ in cruciatibus, fuere dolorum ſumma levatio, & cujuſque moleſtiæ depulſio. 60

Hervetus in Apocalypſim.

Vox Hebræa; *Alleluia*, quid ſignificet. 441
Vide *Verbum*.

Z

Zelus.

ZElus Pontificis Moſaïci quadruplex recenſetur. 22. & ſeq.
Zelo quadruplici Chriſtum ardere, indicant ejus micantes oculi, vide *Chriſtus*.
Zelum quadruplicem Chriſti, quantum homini licet, imitatus eſt Imperator Theodoſius. 453. & ſeq.

Zona.

Zona Pontificis antiquæ Legis, ex quadruplici confecta materia, aurea tamen dicebatur. 21. Eâ ſub mamillis ſolitus erat præcingi Pontifex. ibid.
Zona Pontificia cur variegata. ibid.
Juſtitiæ zona dicitur, & cur. ibid.
Cur ad mamillas ea cinctus erat Summus Sacerdos. ibid.

FINIS.

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

Digitized by Google